AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM DOGMATICO-MORALEM APPARATUS...

Daniele Concina

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FIRENZE
37
30 B
11
- MAG 177
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM DOGMATICO-MORALEM APPARATUS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS PRIMUS.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

ACCEDUNT PLURES PONTIFICIAE CONSTITUTIONES AD MORES FORMANDOS ATTINENTES.



ROMAE, MDCCLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI.

DECLARATIO,

ET SINCERA PROTESTATIO

F. DANIELIS CONCINAE

Super aliquibus oppoſitionibus factis contra Tomos ſuæ Theologiæ Chriſtianæ dogmatico-moralis recens typis editos.

CUM intellexerim magna cum moleſtia, nonneminem credidiſſe, & accuſaſſe me, quaſi in Chriſtiana mea Theologia detraxerim multis piis, doctis, probatiſque Scriptoribus, præſertim inclytæ Societatis Ieſu, debeo omnino hac declaratione, & iuſtificatione lectores monere, & certos reddere, me numquam habuiſſe in animo ullam vel minimam iniuriam afferre adeo laudatæ Societati Ieſu, de qua (ut priore volumine *pag.* 124. ſignificavi) ſemper ea qua par eſt reverentia ſcripſi, & locutus ſum: quare ſi quis verbum in ea reperiret, aut loquendi formulam, aut quidlibet aliud quod cum hac mea ſententia pugnaret, id omne revoco, atque improbo. Equidem refutavi ut privatus Theologus aliquas opiniones nonnullorum Auctorum tam Societatis, quam aliorum Ordinum Regularium; verumtamen non aliud volui quam ipſas opiniones refellere, non autem infamare Auctores, quorum ſemper animum, atque intentionem excuſavi. Et ſi quis agnoſcit, me eas impugnando erraſſe, proteſtationem renovo quam feci in proœmio primi, & noni Voluminis, nempe meum qualecumque iudicium alterius ſapienti iudicio ſubmiſſurum. His præmiſſis venio ad referenda, quoad ſcio, oppoſitionum capita.

Digitized by Google

I.

Primum caput eſt, me tribuere ſine fundamento non-nullis Societatis Scriptoribus quaſdam opiniones præter modum laxas: nempe ſequentes, *Tomo I. pag.* 65. Patri Sanchez: *In praxi numquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ chriſtianæ ignorantiam, quia ruſtici ignorantes non habent commode doctorem, nec Confeſſor poteſt illos inſtruere*: cum tamen dixerit: *& Confeſſor poteſt illos inſtruere. Tomo II. pag.* 4. Patri Moyæ, neminem obligari *ex neceſſariis ad ſuum ſtatum conſervandum* eleemoſynam dare pauperibus, etiamſi ſint in extrema neceſſitate; cum tamen hæc opinio referatur dumtaxat, non ſuſtineatur a Patre Moya. Ita etiam *Tomo III. pag.* 117. de voto non ludendi Patri la-Croix: *Si voviſti redimere iacturam temporis;* cum dixerit, *ſi voluiſti*: qua verbi mutatione doctrinæ a me tamquam huius Auctoris eo loco relatæ ſenſus mutatur. Error in his tribus opinionibus ortus eſt, ut quiſque iudicare poteſt, vel a vitio typographi, aut viſus mei debilitate, a malitia voluntatis nullo modo.

Præterea cum tantum otii mihi non fuerit, ut ſemper ſingulos Caſuiſtas conſulerem, & poſtquam unum aliquem principem, puta *Leandrum*, aut *Salmanticenſes* conſului, hos in ceteris citandis ſim ſecutus, hinc ortum eſt ut perperam, non tamen voluntate, Auctoribus quarumdam opinionum, quæ laxæ ſunt, quoſdam doctos Societatis Scriptores annumeraverim: nempe *Tom. II. pag.* 165. Patrem Sanchez pro opinione quæ dicit, licere duellum *ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum*: *Tom. IV. pag.* 408. eumdem pro opinione, grave non eſſe peccatum, *aſpectum membrorum turpium*: *pag.* 444. Eſcobarium & Leſſium pro parvitate materiæ *in genere luxuriæ*. Has omnes & quaſcumque alias laxas opiniones, quas quis reperiret in mea Theologia cuicumque Auctori non vere & immerito tributas, ut me nolente accidiſſet, ita proteſtor, publiceque declaro me revocare.

Equidem *Tom. III. pag.* 390. *&* 436. dixi, Patrem Tamburinum docuiſſe propoſitionem 25. de Iuramento a Ven. Innocentio XI. damnatam: ita enim ex eius verbis inferri

ri

ri exiſtimavi : nihilominus, ſi cui nullius ponderis meum videbitur argumentum, hanc quoque revoco aſſertionem. Habeat etiam pondus, quo dignum eſt, ſcriptum in Bibliotheca Angelica repertum, editumque *Tomo IX. pag.* 586., vi cuius ibidem aſſero, Patrem Suarez probabilem exiſtimaſſe ſententiam *de Confeſſione inter abſentes per epiſtolam*, damnatam a Clemente VIII. in quo iuſtæ aliorum criticæ me ſubiicio.

I I.

Secundum caput expreſſiones reſpicit quibus utor poſt relatas laxas opiniones, & aliquas *notas*, quas adiungo, eas appellans exempli cauſſa *falſas*, *ſcandali plenas*, *erronea commenta*, *monſtra*, *paradoxa immania*, *anti-evangelica* &c. contra decretum, ut mihi obiicitur, Innocentii XI.

Declamationes, & cenſuræ ad eas dumtaxat opiniones in quas, niſi fallor, cadere exiſtimo, non item ad Auctores referendæ ſunt. Quare ſi quis reperiret in mea Theologia cenſuram iniuſte alicui opinioni tributam, aut invectivam orationem, declamationem, aut expreſſionem, quæ aliquem offenderet Auctorem catholicum, revocatam habere volo.

Credidi autem, decretum Innocentii XI. comprehendens illas propoſitiones *quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur*, intelligi de propoſitionibus quæ in *Scholis catholicis* libere diſputantur; non autem de illis quas hic, vel alius privatus Doctor poſſit tueri. Quod ſi alia ſit mens Ven. Pontificis, revocatum eſſe volo quidquid menti ſummi Paſtoris contrarium iudicabitur. Atque huc ſpectare poſſe exiſtimo quod ait Pater la-Croix Lib. I. num. 199. pag. 16. *Si quis tamen ſententiam aliquam appellet improbabilem, vel levem, ſaltem in communiore ſenſu, non eſt cenſura . . . . neque ſi appellet laxam in communiore ſenſu.*

I I I.

Tertium caput fundamentum habet in Indicibus verborum. Obiicitur mihi, artificioſe eſse compoſitos, eo quod Scriptores Societatis ſolum citantur tamquam auctores opinio-

Digitized by Google

nionum quas reiicio, non item earum quas probo; cum tamen pro his in corpore librorum eoſdem Scriptores citaverim; e contra locus non eſt in Indicibus Scriptoribus Dominicanis, quos in corpore librorum quandoque citavi tamquam defenſores laxarum opinionum.

Ingenue fateor, Indices a me non fuiſse confectos: quare nihil mihi vitio dari poteſt. Video tamen in iis citatos eſse ſumma cum laude Albertum de Albertis, Bellarminum, Cardenam, Columbier, Comitolum, Cornelium a Lapide, Elizaldam, Emericum de Bonis, Pallavicinum, Suarez, Terillum, Auctores Societatis; contra vero parum honorifice Candidum, & Lopez Dominicanos. Nolo nihilominus defectus Indicum defendere: quare confiteor & confirmo, Scriptores Societatis, inter quos Sanchez, Leſſium, Tamburinum, Vivam &c. pios eſse, & doctos, multaſque defendere veras opiniones, ut retuli in corpore, & in Indicibus ſuis locis indicari debebat: in quibus, ſi cui videtur ullam laxam opinionem alicui Scriptori falſo tribui, is ſciat, id me delendum eſse putare.

I V.

Quartum caput eſt, me initio cuiuſque tractatus *Elenchum* propoſitionum præmittere, quas *damnabiles* pronuntio: in quo mihi iudicium Eccleſiæ antevertiſse opponitur.

Numquam fuit in animo Cenſoris tribunal erigere; ſed ſolum ceu privatus Theologus meum proferre qualecumque iudicium, cum ita veſtigiis inſiſterem graviſſimorum Doctorum. Ita Francolinus in opuſculo cui titulus, *Francolinus Vindicatus*, cap. ſecundo conficit elenchum propoſitionum ex operibus Merbeſii, Iuvenini, & Genetti, quas afficit nota *Rigoriſmi*. Quod ſi quis hanc methodum improbaret, aut propoſitiones in numerum illarum quas *damnabiles* appello, immerito adſcriptas reperiret, eas revocare, atque expungere paratus ſum.

V.

Quintum caput eſt, me in toto curſu, vel opere meæ Theo-

Theologiæ ſemper magno ſtudio conatum eſse ut Scriptores Societatis auctores apparerent damnatarum propoſitionum.

Puto tamen laudes quas merito tribui Ven. Cardinali Bellarmino, Toleto, Pallavicino &c. me ſatis defendere. Reieci equidem aliquas opiniones quorumdam Caſuiſtarum; ſed mens non fuit illos doctos, & pios Scriptores, quos valde veneror, quibuſque uſus ſum in ſententiis & doctrinis meæ Theologiæ, vituperare, ſed, uti Theologi ſolent, refellere: & ſi quis demonſtrabit me in iis impugnandis falſum eſse, libenter errorem meum confitebor.

V I.

Sextum graviſſimum caput eſt, contineri in mea Theologia res quæ probatis Scriptoribus gravi ſunt iniuriæ. Tria adducuntur exempla. Primum eſt, quod loquens *Tom. II. pag.* 139. de ſecreta correctione in Evangelio præcepta, ſubiiciam: *Qui contendunt, melius efficaciuſve incolumem diſciplinam evangelicam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur, hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere velle videntur:* quaſi hac doctrina Regulam Sancti Ignatii, quæ præſcribit voluntariam renuntiationem correctionis fraternæ, vellicare voluerim.

Sed tamen huic difficultati ita immediate reſpondeo: *Hoc mihi difficultatem ingerit, nec ob id tamen improbo, ſi quid ſapientes ſanctique viri oppoſitum ſtatuerunt; quin illis, utpote divino perſuſis lumine, faſces ſubmitto, & utroque pollice ſubſcribo.* Qua reſponſione reiici credo factam accuſationem. Ceterum profiteor venerationem quam habeo pro illa ſancta Regula, quæ, ut nihil præſcribit contra ſanctum Evangelium, ita nequit aut in totum, aut ex parte, directe, vel indirecte oppugnari, ut iuſte ſummi Pontifices præceperunt.

Alterum exemplum eſt in *Tom. II. pag.* 104. ubi defendens, Beneficiatis prohibitum eſſe *iure divino* teſtamentum facere in favorem conſanguineorum, mihique obiiciens diſpenſationes quas interdum a ſummis Pontificibus obtinent, reſpondeo cum D. Bernardo: *Plura impertiuntur Pontifices ſummi*

mi aut mendacio decepti, aut importunitate victi. In qua reſponſione parva mihi obiicitur erga ſummos Pontifices reverentia.

Abſit a me hæc impietas. Hoc reſponſum attuli, quia, poſito quod Beneficiatis *iure divino, & non iure tantum eccleſiaſtico* prohibitum ſit in favorem conſanguineorum teſtamentum facere, neſcivi reſponſionem meliorem invenire; quam ſi quis parum reverentiæ erga ſummos Pontifices convenire iudicabit, reiicio atque abominor.

Tertium exemplum eſt *Tom. VIII. pag.* 390. ubi aſſero, quandoque Moniales dotem & vitalitium earum quas recipiunt, exigentes committere peccatum ſimoniæ. Opponitur mihi, hac doctrina ſacram etiam me condemnare Congregationem, quæ talem concedens facultatem, dotis ſolutionem imponit. Iuſtiſſima eſt praxis ſacræ Congregationis: nam ſupponit Monaſterium paupertate laborare, neque ferre omnia onera poſſe; quo titulo, ut præſcribit Concilium Tridentinum, dotis imponit ſolutionem, quam, ſi contrarium evidenter conſtaret, non imponeret. Atque his limitibus intelligitur, quidquid ibi de ſimonia Monialium diſſerui; in quo ſi quis errorem reperiet, revocare ſum paratus.

V I I.

In ſeptimo capite obiicitur, me retuliſſe quidquid alio, & maledice contra illuſtrem Societatem ſcripſere Paſchalis, Vendrochius, Henricus a Sancto Ignatio, & Vincentius Baronius, quorum omnium Scriptorum aliqua opera ſunt damnata.

Certo tamen teſtari poſſum, me nullam ex his Auctoribus exſcripſiſse ſententiam; & ſi quiſquam reperiat, eam me revocare ſciat. Illud animadvertere volo, neque Montaltium, neque Vendrochium conſcientiæ caſus reſolvere; Henrici a Sancto Ignatio me quaſdam opiniones oppugnaſse; Vincentium Baronium vix ac ne vix quidem legiſse.

Ceterum ſi quid peccavi, ſi quid convicii, impoſturæ, contumeliæ, aut cuiuſvis alterius generis iniuriæ calamo meo, ſane præter animum, excidit; ingenue retracto omnia, deleo, improbo, deteſtor.

F. Daniel Concina Ord. Præd.

M O-

M O N I T U M,

Quo exponitur factum propoſitionum excerptarum ex libris P. Martini Torrecilla.

PLuries in hoc Opere ſincero animo lectores monui, rogavique ut libros ex quibus laxas decerpſi opiniones, legerent, & ſi quid veritati contrarium offenderent, pateſacere mihi vellent, quo errata corrigere poſſem. Non defuere amici viri qui meis annuere votis, ut ex aliis declarationibus factis conſtare cuique poteſt. Porro cum in elenchis propoſitionum laxarum varias recenſuerim opiniones P. Martino Torrecilla attributas, maniſeſtare omnibus debeo, me eiuſmodi opiniones fide ſumma reſcripſiſſe ex libello ſupplici a novem Archiepiſcopis & Epiſcopis *Hiſpanis ſubſcripto*, & Romæ bis typis edito, atque eorumdem nomine, curante Cardinali Belluga, ſummis Pontificibus Clementi XI. Innocentio XIII. & Benedicto XIV. feliciter regnanti porrecto, ut opiniones in eodem contentæ damnarentur.

Laudati autem Archiepiſcopi & Epiſcopi *animadverſione* IV. hæc præmittunt. „ Eſto omnes propoſitiones tamquam ex operibus P. F. Martini Tor„ recilla, ubi congeſtas invenimus, decerptas demus, non eo eſt, quia cun„ ctas ei adſcribere intendamus: mitius enim cum eo procedere concupi„ mus, ne in ipſis exprimendis accuſatione haud merita proſequi illum vi„ deamur. Licet enim vix ſit inter exprimendas quæ præfato Auctori ad„ ſcribi non poſſet, eius ſtando principiis; tamen quia de nonnullis in par„ ticulari, quas etſi ex profeſſo promoveat, & fundet, eas tamen in praxi „ (licet parum conſequenter procedens) non eſſe tenendas exprimit, hoc „ contenti, ipſas ei adſcribere abſtinemus. Non tamen ex eo ab hoc exa„ mine reiicimus, dummodo ſuos habere patronos, qui eas defendant, re„ perimus. Nam cum Auctorem non inſectemur, nec aliud quam doctri„ nam non ſanam expurgandam intendamus, nihil ad rem conducere, quod „ propugnator propoſitionum idem, vel alius ſit, cenſemus. Itaque nonnul„ las exponimus, quamquam a præfato Auctore neque edoctas, neque ad„ tactas videamus, ex eo quod ab aliis Doctoribus doceri conſpicimus, & „ ita ſuis in locis notamus. “

Adiiciunt laudati Archiepiſcopi & Epiſcopi *animadverſione* XIV. *pag.* II. ſequentia. „ Ita procedere operæ pretium duximus, ut omnes propoſitiones „ latine converſas demus, ad litteram tamen verba Auctoris ſuo Hiſpano „ idiomate ad calcem uniuſcuiuſque exprimimus. Unam tamen vel alteram „ propoſitionem non ad litteram, ſed ad mentem Auctoris exponimus, „ quando videlicet formalibus verbis non exprimit id ipſum quod ſatis in„ nuit, & æquivalenter edocet. Namque cum non verba, ſed doctrinam, „ & modum eam exponendi, & occaſionem errandi proſcribi deſideremus, „ parum ad rem conducere quod his vel illis terminis illam exprimat,

Digitized by Google

„ exiſtimamus . Quandoquidem in doctrina totum animarum periculum , „ non in verbis conſiſtere, pro comperto habemus. “

Itaque ex 333. propoſitionibus in præfato libello ſub nomine P. Torrecilla reſcriptis plures Operi meo data occaſione inſerui : neque enim vel leviſſima ſuſpicio occurrere menti meæ umquam potuit, tantos viros in iis reſcribendis minus fuiſſe ſinceros ; cum certo ſcirem , eaſdem ſub Pontificibus ſummis, agente præfato Cardinali Belluga optimæ memoriæ, diſcuſſas fuiſſe . Verum cum a doctis probiſque viris intellexerim , plurimas dictarum propoſitionum falſo adſcribi P. Torrecilla, alias ab eodem referri, ſecus propugnari ; ſciant lectores mei , non me pro re huiuſmodi eſſe ſponſorem . Cum enim Hiſpanum idioma non calleam , tales propoſitiones cum Operibus Auctoris conferre nequeo, ut definire certo poſſim, quas illi tribui , quas vero abiudicari oporteat . Quare penes Auctores citati libelli , ex quo religioſiſſime illas deprompſi , de earum ſincera excerptione fides eſto. Illud nunc ſpondeo , quaſcumque illi abiudicandas certo conſtiterit , ab iiſdem in nova Operis editione , ſi Deus dederit , Torrecillæ nomen eliminari , me pro viribus curaturum : idipſum in hac editione præſtare vellem , niſi Tomi in quibus iſtæ propoſitiones habentur , diſtracti iam fuiſſent : interim earum integram collectionem , quam huic Tomo inſerendam paraveram, ſuppreſſam volui . Nec tantillum ergo per me detractum volo auctoritati , & exiſtimationi debitæ P. Martino Torrecilla , ob reſcriptas ſub eius nomine dictas opiniones . Hæc omnia ex animo teſtor .

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO GENERALIS,

IN QUA

Univerſi Operis ſpecimen datur : de THEOLOGIA ACCOMMODATITIA diſſeritur, & nonnulli *libri in* eiuſdem præſidium noviſſime editi refelluntur.

CAPUT I.

Univerſi Operis, *& præſertim huius* APPARATUS *ſpecimen*.

I. OPUS iſtud univerſum tributum eſt in Tomos duodecim. In quatuor primis decem mandata Decalogi , & in quinto quinque Eccleſiæ præcepta illuſtrantur . Sextus ius naturale, & Gentium, poſitivum divinum, & humanum, publicum , & privatum explanat . In ſeptimo difficillimæ controverſiæ de iuſtitia & iure , de contractibus univerſe, & ſigillatim ad ſolida principia revocantur . Octavus tria prima ſacramenta baptiſma , confirmationem , & Euchariſtiam illuſtrat . Nonus totus eſt in ſacramento pœnitentiæ explicando , vindicandoque a plurium recentiorum commentis novis & peregrinis . Decimus tandem comprehendit tractatus de aliis tri-

bus ſacramentis, extrema unctione, ordine, & matrimonio: item de beneficiis, de ſimonia, de cenſuris, de vitiis, & peccatis, de virtutibus oppoſitis, atque de ſeptem beatitudinibus. Habes nunc adumbratum univerſæ Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-moralis ſpecimen.

II. Ad hanc Theologiam præmitto APPARATUM hunc diviſum in Tomos duos. In hoc primo Tomo præcedit *Collectio* conſtitutionum, brevium, decretorum, quæ plures ſummi Pontifices ediderunt ad profligandos errores tum fidei, tum morum. Hæc erit prima huiuſce Tomi pars. Altera complectitur Librum de locis Theologiæ Chriſtianæ.

III. In ſecundo Tomo, præmiſſa conſcientiæ notione, eiuſque diviſione, regula moralis honeſtatis exponitur. Hanc in ſola veritate ſitam, reiecta regula Lesbia recens inventa, oſtendo. Via inveniendæ veritatis aperitur, ignorantiæ peccatis patefactis. Hiſtoriam Probabiliſmi, & Rigoriſmi paucis perſtringo; & omni argumentorum genere Probabiliſmi commentum reiicere ſtudeo. Hoc de argumento duos Tomos lingua italica edidi, iam iterato impreſſos. Verum quia opus illud provocatus, & coactus a P. *Monti*, qui libellum adverſus ieiunii diſciplinam evulgavit, meque iniuriis & contumeliis laceſſivit, publici iuris feci; idcirco plura eidem operi inſerere debui quæ aliena omnino ſunt a Probabiliſmi controverſia. Quamobrem operæ pretium exiſtimavi, reſecatis ad vivum parergis, & digreſſionibus adverſus dictum male conſarcinatum opuſculum P. *Monti*, Probabiliſmum, & Rigoriſmum latino idiomate cum hiſtorice, tum theologice pro virium mearum tenuitate penitus labefactare.

IV. Narrat percelebris Ieſuita P. Ignatius de CAMARGO in ſua *præfat.* §. 1. *pag.* 3. ſibi a docto ſuæ Societatis iuvene Theologo primum communi errore prævento, & ſtatim expenſa controverſia veritatis luce perfuſo, reſponſum eſſe: *Difficultatem iſtam nullum ſtudium, & improbum ſimul exigere. Nullum, inquit, ut veritatem ſibi comperiat: ad hoc enim ſufficiet, ſi animo expedito, ac ſincero oculos in quæſtionem coniiciat: improbum vero, ut poſſit alios convincere artificioſis, & inextricabilibus Probabiliſmi laqueis innexos. Nihil profecto verius, nihil prudentius dictum.*

V.

V. Quo eſt veritas luculentior & apertior, eo denſior ſophiſmatum caligo, & obſcuriores reflexionum atque cavillationum tenebræ, ut eadem implicetur, & abſcondatur, requiruntur. Nihil ſane evidentius vel ſimplici idiotæ, e duabus viis incertis & dubiis veriſimiliorem & ſecuriorem eligendam eſſe. Quamobrem mirandum haud eſt, ſi Probabiliſtæ ingentia reflexionum, diſtinctiuncularum, & ſubtilium ſophiſmatum conflarunt volumina, ut ſplendidiſſimæ, & ultro in omnium oculos ſe ſe ingerenti veritati tenebras offunderent. Alterutrum proinde neceſſum eſt. Aut abſtinendum ab hac cauſſa, aut toto virium conatu aſſerenda ſana doctrina a captioſis commentis, ut adfirmat laudatus P. Camargo *ibidem pag.* 4. inquiens. „ Nam controverſiam iſtam de „ ſe quidem facillimam, immo nullam, ut ſupra indica„ tum eſt, ſubtilia nonnullorum recentiorum ingenia intri„ catiſſimam reddidere, totiuſque Theologiæ difficillimam, ut „ ad eamdem expedite enodandam Dædalea ars neceſſaria vi„ deatur; ita ut pro ſtatu quem hodie habet, expediat, „ mea quidem ſententia, eam nullatenus delibare, niſi vera „ & ſana doctrina nimis clare, ac perſpicue demonſtretur: „ quia reflexionum Probabiliſmi tricæ ſemel extractæ, & qua„ ſi evolutæ, niſi penitus diſſolvantur, denſiores tenebras „ offundunt veritati, quibus lucem ipſius magis obnubunt, „ fitque tandem illud Poetæ nimis indecorum, ac noxium: „ *Ex luce fumum:* optimæ cauſæ haud modico, ut exiſtimo, „ detrimento. “

VI. Modus tamen in profligandis Probabiliſmi commentis ſervandus eſt, ut ea nempe ſub examen inducantur quæ aliquam difficultatis ſpeciem præferunt. Nam ſi omnes tricas, nugas, & quiſquilias quas nonnulli otioſi homines agglomerarunt, perſequi & inſectari vellemus, nullus eſſet diſputandi finis. Exemplum habeto. Prodiit non ita pridem liber, eleganter quidem ſcriptus, hac epigraphe ornatus: *PROBABILISMUS methodo mathematica demonſtratus Auctore Patre Pithanophilo.* Hæc autem *pag.* 220. habentur. *THOMISTÆ ſub peccato mortali tenentur amplecti, defendere, ac docere Probabiliſmum.* Et hanc propoſitionem demonſtratione mathematica evincendam aſſumit pluribus paginis. Si quis hæc dulcia ſomnia, & venuſta deliria profliganda arriperet, non modo a cauſ-

cauſſa quam habet in manibus , penitus diverteret , verum etiam ſuaviter cum P. Pithanophilo inſaniret . Similia paradoxa ſibilis , non argumentis refellenda ſunt . Nam omnes Probabiliſtæ qui ingenii ſanitate non carent , adfirmant, perfectius atque ſecurius ſaluti ſuæ conſulere illum qui , reiecta minus probabili , probabiliorem amplectitur opinionem . Verum non pauci ſunt iſti Pithanophili , qui prima iſtius controverſiæ ignorantes principia , ſedere iudices eiuſdem non erubeſcunt . Eam plurimi adoptant , & pro eadem belligerant magna Caſuiſtarum turba circumdati, in ſola multitudine præſidium reponentes , & vociferantes , inquit *loc. cit.* §. 2. P. Camargo . „ Sufficit nobis , inquiunt , pro morali do„ ctrina non poſſe falli : falli vero non poſſe certo novimus „ abſque aliquo ſtudio, vel labore. Unde? Ex auctoritate pla„ ne infallibili, qua benigna ſententia munita eſt. Quis enim „ prudens audeat vel dubitare , aut leviter umquam timere „ de moralis doctrinæ veritate , in quam tradendam Docto„ res omnes (uno excepto tantum vel altero quibuſdam Ian„ ſeniſtis adhærente) mirabili quodam conſenſu in Eccleſia „ catholica convenere per totum ſaltem integrum ſæculum ? „ Quid alioquin firmum, & infallibile erit in Theologia chri„ ſtiana ? An ne timere liceat , ne per integrum ſæculum „ Deus Eccleſiam ſuam deſeruerit , permittendo ut fallatur „ circa regulam ipſam moralis honeſtatis ? Quis effutire au„ deat ? Profecto ſi quis erit , non is audiendus , ſed incre„ pandus eſt : neque rationes aut argumenta eius , quæ cer„ to ſcimus eſſe ſophiſmata , ullo modo curanda , ſed con„ temnenda ſunt, ne umquam de dogmate noſtro indigne du„ bitare videamur cum ſcandalo etiam imperitorum . “

VII. Hac luculenta falſitate muniti , & veluti in editiſſima arce conſtituti triumphabundi non pauci Probabiliſtæ minus periti invincibiles ſe gloriantur . Confundunt cum Eccleſiæ Doctoribus manipulum Caſuiſtarum , quorum maxima pars velut oves & aves, ut inquit cum ceteris Navarrus , alios ſequuntur . Quam ſit univerſæ Eccleſiæ catholicæ pernicioſum atque invidioſum recenſitum ſophiſma , nemo non videt : nam heinc hæretici tamquam infamiæ notam Eccleſiæ Catholicæ adſcribunt Probabiliſmum . Illa enim doctrina, inquiunt illi , eſt doctrina alicuius Eccleſiæ quam communiter

omnes

Digitized by Google

omnes eiuſdem Eccleſiæ Doctores propugnant. Probabiliſtæ teſtantur communiter, ut vidimus, omnes Eccleſiæ Romanæ Doctores, paucis exceptis, docere Probabiliſmum. Ergo Probabiliſmus eſt doctrina Eccleſiæ Romanæ. Sic argumentatur Iureù Calviniſta. Sed hanc atrociſſimam calumniam infra repellam.

VIII. Pauca hæc delibare volui, ut intelligat lector me integrum Tomum ſecundum, & quidem ſpiſſum, huius Apparatus Probabiliſmo profligando conſecraſſe, non diſputandi libidine, ſed aſſerendæ veritatis ab incredibili cavillationum involucro, neceſſitate coactus. Habes heic delineatam univerſi Operis imaginem. Ad alia nunc accedamus.

CAPUT II.

De THEOLOGIA ACCOMMODATITIA, *unde Chriſtianorum plurium exitium, teſte* P. THEOPHILO RAYNAUDO S. I. *proficiſcitur.*

I. PRincipio *Theologiæ accommodatitiæ* præmittenda notio eſt, quæ alioquin ex ipſa voce conſtat. Theologiam accommodatitiam illam vocat P. Raynaudus, quæ divina & humana iura delinit, temperat, accommodatque humanis appetitionibus, tempori, & perſonis: quæ aures hominum demulcet, ſenſus titillat, leges & præcepta Dei mirifica quadam reflexionum humanarum temperatura inflectit, & detorquet ad hominum deſideria: iugum legum & præceptorum non excutit, non reiicit, non aſpernatur; ſed illud ſuave efficere exquiſita arte, & ſubtiliſſimis lenociniis ſtudet. Huius Theologiæ accommodatitiæ naturam a ſæculo iam elapſo delinearunt PP. Cleri Gallicani, ut refertur in epiſtola encyclica Comitiorum generalium ann. 1700. „ Nec tacuere Religio-
„ ſiſſimi Patres memorabilem ſententiam, qua maximus, &
„ doctiſſimus Cœtus ann. 1655. & ſequentibus Pariſiis congre-
„ gatus graviſſimo iudicio ſuo damnavit perverſam, ac falſi

„ no-

„ nominis ſcientiam , qua inſtructi homines , *non iam accommo-*
„ *darent mores ſuos ad evangelicæ doctrinæ normam ; ſed & ipſam po-*
„ *tius regulam , ac ſancta mandata ad cupiditates ſuas inflecterent , &*
„ *detorquerent , novaque & inani Philoſophia chriſtianam diſciplinam in*
„ *academicas quæſtiones , ac dubias fluctuanteſque ſententias verterent .*
„ Hæc illi : qua ſententia verſatilem illam ac noxiam opinio-
„ num flexibilitatem, hoc eſt *mali caput*, conterebant . "Hanc Theologiæ accommodatitiæ notionem *Epiſt. II. ad Timoth.* paucis verbis perſtringit S. Paulus . *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt ,ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus .*

II. Percelebris Ieſuita P. Theophilus RAYNAUDUS *Tom. XVI. punct.* VIII. *a pag.* 381. inter ſua *Heteroclita ſpiritualia , & Anomala pietatis Terreſtrium* longam inſtituit diſsertationem de *Theologia accommodatitia* . In univerſo hoc Theologiæ Chriſtianæ opere , & in aliis meis libris ſæpe numero in patrocinium ſanioris doctrinæ advocavi doctiſſimos , atque eruditione , & pietate clariſſimos Ieſuitas plures , præſertim Comitolum , Blanchum , Elizaldam , Gonzalezium , Munieſsam , Bellarminum , Camargum , alioſque . Verum mollioris , & benignæ Ethices patroni hos ſapientiſſimos laudatos Ieſuitas Tutioriſtas fuiſse intrepide reponunt . Quid heinc ? Nullius ſunt auctoritatis , quia nimii rigoris ſtudio præventi , a benignitate hodie ſummopere neceſsaria iis qui regendis animarum conſcientiis deſtinati ſunt , plus æquo receſsere . Ut hoc effugium præcludam , in medium adduco P. Theophilum Raynaudum non Rigoriſtam , non Probabilioriſtam , ſed Probabiliſtam , atque adeo omni exceptione ſuperiorem penes ipſos Probabiliſtas . Hoc autem pacto ſuam diſsertationem adverſus Theologiam accommodatitiam orditur *loc. cit. pag.* 382.
„ Commode igitur , poſt Anomalias circa verbum ſcriptum,
„ dicemus aliquid de graviſſimis Anomaliis quas viri pietati
„ & conſcientiarum bono ſervientes admittunt per THEO-
„ LOGIAM ACCOMMODATITIAM , de qua vere dicere
„ poſsumus , ſicut *multitudo ſapientum ſanitas eſt Orbis* , cladem
„ & exitium CHRISTIANITATIS inde fere origi-
„ nem ſumere , quod ſapientum plerique Theologiam ha-
„ beant pro *regula Lesbia* , quaquaverſum flexili , prout tem-
„ porum , & perſonarum ratio tulerit . Pauci quippe ſunt

„ e

Digitized by Google

„ e vulgo fidelium, & præſertim *arietes grĕgum*, & capita po-
„ pulorum, qui abſque duce labantur, nec exquirant pruden-
„ tum reſponſa, c um aliquid paullo gravius eſt aggredien-
„ dum. Si igitur prudentes eloquii myſtici, Doctores, inquam,
„ ſacri, quos conſulunt, *non loquerentur placentia*, ſed in oculis
„ Dei quod ſanctum, quod iuſtum eſt, calcato humano ad
„ perſonas reſpectu, reſponderent, *incredibile eſt*, *quanta mala*
„ *præcluderentur*."

III. Hoc eſt exordium quod ſuæ diſſertationi P. Raynaudus præmittit. Quiſque in admirationem actus clamabit: Ecqui fieri poſſit ut P. Theophilus Raynaudus plurium alioquin laxarum opinionum auctor, & benigno Probabiliſmo addictus, talia, & amariora, quæ mox reſcribam, typis publicis evulgare potuerit? Dicam. P. Raynaudus Theologus ingenio liberrimo, abſque timore & pavore ſtilum armavit cum adverſus extraneos, tum adverſus domeſticos, quoties opportunum ille exiſtimavit. Mirum itaque haud eſſe debet, ſi contra Theologiam accommodatitiam vocis ſonitum emiſerit, licet benigni Probabiliſmi patronus: quia non aſſidue & ſemper Probabiliſmi lenociniis mens diſtenta & occupata eſt. Reſulget frequenter ſanioris doctrinæ lux, quæ dum oculos animi præiudiciis liberi perſtringit, in ſui obſequium ſaltem dato tempore ſubmittit. Quis P. Antonio *Terillo* Probabiliſmi ferventior, acutior, atque valentior propugnator? Et tamen quis vel ex ipſis Probabilioriſtis adverſus Theologiæ accommodatitiæ plures fautores tam præfervida oratione inſurrexit, quis tam ſevere plures modernos Theologos vellicavit, exagitavitque? Lege illius teſtimonium prolixum quod in *Præf. ad Tom. IX.* reſcripſi. Unde, inquis, hoc? Unde? Ex ineffabili Dei providentia, quæ mirifice diſponit ut illi ipſi qui pro molliore Ethice, veluti pro aris & focis, decertant, teſtimonium perhibeant ſplendidiſſimæ veritati.

IV. P. Rynaudus autem ſuam diſſertationem in plures tribuit paragraphos, quorum titulos ego tranſcribam, & rationum momenta delibabo ipſius P. Raynaudi verbis.

Digitized by Google

§. I.

Aulicos reſpicere perſonam hominum, & eis ſenſa ſua accommodare, minus mirum. Raynaudus pag. 382.

I. AD hunc titulum quem proponit P. Raynaudus, hæc ibidem adiicit. „ Et lugendum quidem eſſet, ſi Gnatho- „ nes aulici implanarent Magnates, quod faciunt ſtrenue. Au- „ di enim Sarisberienſem 67. *Polycr. cap.* xx. Cum ſibi conci- „ liaverint gratiam poteſtatum, de iure patere ſibi aſſerunt u- „ niverſa, eo quod Princeps, ut dicunt, legibus non ſubiici- „ tur, & quod Principi placet, legis habet vigorem.“

II. Plura alia Raynaudus tranſcribit ex præfato Sarisberienſi, quæ ego præterire in præſens volo. Illud certum eſt aulicos magno in diſcrimine verſari aut occultandæ, aut obnubendæ, aut adulterandæ veritatis ad Magnatum, quibus inſerviunt, genium, aut ad proprium, cuius illicio detinentur, commodum. Innumera propemodum ſunt quæ mentem obſident aulicorum in præiudicium veritatis. Ambitio, invidia, ſimultates, vana gloria, ſuperbia, & potentiores humani cordis appetitiones ultimas ſuas in aula exerunt vires. Sub prætextu promovendi boni publici, inſitus a natura amor bonum proprium ſtrenue per cuniculos operatur. Et eo eſt aulicorum periculum æternæ damnationis gravius, quo difficilius eſt æternæ ſalutis remedium. Vix quippe eſt qui pateſacere ipſis veritatem audeat, ne in eorumdem dedignationem incurrat, ut optime advertit idem *Sarisberienſis* laudatus a Raynaudo ibidem, ubi hæc habentur. „ Qui vero pro veritate fidei, aut „ ſinceritate morum de iure divino aliquid loquitur, aut ſu- „ perſtitioſus eſt, aut invidus, aut, quod capitale eſt, Prin- „ cipis inimicus. Si dicas . . quia peſtilentiæ, & fames, con- „ cuſſiones gentium, colliſiones regnorum, & quamplurima „ adverſa terris proveniunt ex eo quod honores eccleſiaſtici „ ad pretium, vel humanam gratiam conferuntur perſonis, „ non moribus . . . Si dixeris onera Tabernaculi humeris, & „ plauſtris Levitarum dumtaxat imminere, & ſi qua ſunt in „ lege ſimilia, bene agitur tecum, ſi non mutilatus retruda-

„ ris

Digitized by Google

„ ris in carcerem, aut in exilium propellaris. Undique con„ clamaberis, & tam ambitioſi, quam fautores eorum, extre„ mæ damnationis vitæ non verebuntur ferre ſententiam." Hactenus Sariſberienſis, unde infert Raynaudus: *Hæc iſtos habere, & facere, minus mirum, tametſi lugendum eſt.* Advertendum tamen ex S. Auguſtino, quamlibet profeſſionem ſuos habere fictos, & ſuos habere ſinceros moratoſque profeſſores. In ipſis aulis refulgent viri ſinceritate, honeſtate, & morum integritate ornati, ſanctoque zelo boni publici æſtuantes.

III. Illud eſt amarioribus lacrymis lugendum, quod *aulicismus* iſte evangelicæ veritati hoſtis infenſiſſimus, non in Magnatum dumtaxat amplis palatiis, ſed in qualibet privata domo, in plateis, in nundinis, & in ipſis interdum ſacratioribus domibus ſerpit, & graſſatur. Verum de hoc ultimo mox dicendum eſt.

§. II.

Luctuoſius idem præſtare Theologos interdum adactos. P. Raynaudus pag. 382.

I. HUnc paragraphi titulum, quem P. Raynaudus proponit, his rationibus evincit. „ At dum ſacri conſcientia„ rum moderatores, qui vel ipſimet Theologi ſunt, vel a Theo„ logis quos conſulunt, informantur, non ad Theologiam ve„ ram & ſolidam dirigunt reſponſa, ſed potius Theologiam „ ſuam tempori, & loco, ac perſonarum conſulentium guſtui „ accommodant, exiſtit illa malorum ubertas, ex quo hodie „ Theologiam eſſe conſultis & conſultoribus peſſimam, eventa „ denique monſtrant; quæ tam tetra, & infelicia ſunt, ut o„ mnem ſuperent orationem. Deus ipſe hanc ob cauſſam, „ nunc eos in quorum gratiam ſic diſtorquetur veritas, nunc „ ipſos magiſtros caſtigat."

II. Plura Scripturarum teſtimonia, quibus hanc veritatem confirmet, in medium adducit Raynaudus. Iſaias *cap.* xxx. tum populum conſulentem Theologos, tum Theologos conſilia blanda præbentes his verbis increpat. *Populus ad iracundiam provocans eſt, & filii nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus,*

Nolite videre ; & aſpicientibus : Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia ; videte nobis errores ; auferte a me viam, declinate a me ſemitam, ceſſet a facie noſtra Sanctus Iſrael. Leges, & præcepta, quæ in ordinem homines redigunt, & carnis deſideria coercent, atque opera flagitioſa punienda decernunt, ſemper infeſta carni, & ſanguini fuere. Heinc renuentes populi ex una parte eam inſiſtere viam quam leges & mandata præſcribunt, & nolentes ex altera parte aperte leges violare, unde ſibi æternam imminere ruinam proſpectant, Theologos & Doctores adeunt, qui leges ipſas deliniant, in diſputationem revocent, eaſque novo aliquo Probabiliſmi lenocinio emolliant, & tandem propriæ cupiditati & genio attemperent. Et hæc eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima eius deducunt ad mortem. Nemo hactenus in orcum corruit volens illuc deſcendere; ſed damnati fere omnes ſuam habuerunt, habebuntque Theologiam accommodatitiam. Heinc concludit P. Raynaudus. *Merito itaque pereunt ſequentes reſponſa vana, & commenta nundinatorum Doctorum*. Quandoquidem Deus per eumdem Iſaiam Prophetam hæc adiicit. *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo: quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius: & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione pravalida, & non invenietur de fragmentis eius, in quo portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea*.

III. Propheta Ezechiel acriter invehitur adverſus Theologiam accommodatitiam, & eiuſmodi Doctores blandiloquos ſeverius increpat, illiſque æterna minatur ſupplicia *cap.* XIII. inquiens: *Et erit manus mea ſuper Prophetas qui vident vana, & divinant mendacium . . . . Eo quod deceperint populum meum dicentes, Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Dic ad eos qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit*. S.Gregorius Papa *Lib. XVIII. Moral. cap.* V. parietis nomine iniquitatem intelligit. Populus flagitiorum murum ædificat; & blandi Doctores cœmento laxarum opinionum illum incruſtant. *Parietis nomine* (inquit Magnus Gregorius) *peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem eſt contra ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quod illi perverſe agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant*.

IV.

Digitized by Google

IV. P. Raynaudus animadvertit, frequenter pœnitentes qui conſilia & reſolutiones petunt, manifeſtare propriam inclinationem & deſiderium: & tunc blandiloqui magiſtri iudicium inflectunt, & doctrinam ſuam voluntati interrogantium accommodant. Quare Propheta Ezechiel ibidem ſic perſequitur. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas*. Contendunt aliqui, Ezechielem perſtringere mulieres Prophetiſſas, quales inter Hebræos fuiſſe Deboram, Oldam, & Philippi filias quatuor compertum eſt. Raynaudus exiſtimat veriſimilius Prophetam hoc loco ſugillare viros Doctores feminea mollitie præditos, & muliebrem animum in maſculo corpore circumferentes, iuxta illud Eneidos IX.

O vos Phrygiæ: neque enim Phryges.

Hoc idem indicat Iſaias cap. III. *Mulieres dominatæ ſunt eis*, ideſt homines molles, & animo femineo. Hos effeminatos Doctores, & feminarum inſtar fucantes & adulterantes genuinum divinæ doctrinæ vultum iterum perſtringit Ezechiel. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.*

V. Lubet ipſius P. Raynaudi verba reſcribere: hæc enim *ibidem pag.* 383. habet. „Femineo opere diſtentos hodie, effeminatos Doctores deſcribit (Propheta) conſuendi nimirum pulvillos, quibus leniter, ac molliter incumbant cubiti; & ſubſternendi capitibus cervicalia, tomento, & plumis referta, in quibus caput placide quieſcat. Similiter enim molles hi conſcientiarum arbitri ſecuritatem conſcientiæ, & placiditatem conciliant reſponſis lenibus, & ad queſtum interrogantium factis, quibus non compungantur conſultores, ſed foveantur in nequitia, vel ad eam proliciantur: quodque deteſtabilius eſt, ſic evertendo conſultorum conſcientias, eaſque certæ morti dedendo, ſalutem illis ad vitam apud Deum ſpondent, iuſtificantes, ut Iſaias *cap.* v. loquitur, ideſt pronuntiantes iuſtos qui ſe attriverint. Et cum Deus mortem, ac exitium ſempiternum intentet hoc vel illud operantibus, illi e contrario violant Deum ad populum *propter pugillum hordei, & fragmen panis*, ut ſtatim ſubdit Ezechiel. Vel enim divina oracula contrarium ferentia, vel lumen vultus Dei

„ ſi-

Digitized by Google

„ ſignatum ſuper nos habuere contemptui : & ludicris diſtor-
„ ſionibus ad alia omnia pertinere docuere, *ut interficerent ani-*
„ *mas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt*.
„ Teterrimus, & omnino horrendus mendacis magiſterii, &
„ *accommodatitiæ Theologiæ* exitus, perdere animas, & letho da-
„ re alioqui victuras. Et e contrario animas erroris ſui, ac
„ peccatorum conſequentium telis confoſſas, decipere oſtenta-
„ tione, falſa voce ſpiritualis, qua revera exciderunt. Itaque
„ nil mirum, ſi Deus reliquo capite gravia ſupplicia malis
„ hiſce Doctoribus comminetur, & pulvillorum diſruptionem,
„ evanidæ, inquam, & ementitæ doctrinæ abolitionem a ſe
„ præſtandam, clade vero talium magiſtrorum, miſeras ani-
„ mas (ſi quæ inter iſtas apud Deum ea beneficentia ſint di-
„ gnandæ) eorum laqueis eripiendas confirmet.

„ Nec mitius Hieremias cap. v. verſ. 30. *Pavor & horrenda*
„ *facta ſunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdo-*
„ *tes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid*
„ *igitur in noviſſimo ejus?* exclamat hoc loco adducto S. Augu-
„ ſtinus Lib. IV. Doctrinæ Chriſtianæ cap. xiv. *O eloquentia*
„ *tanto terribilior, quanto purior; & quanto ſolidior, tanto vehemen-*
„ *tior! O vere ſecuris concidens petras!* Certum tamen eſt ſic fie-
„ ri per falſos Doctores. Non eſt prætereunda cauſa ob quam
„ Deus falſos hoſce Doctores conſultoribus exitiales fuiſſe af-
„ firmabat per Ezechielem : nempe *propter pugillum hordei, &*
„ *fragmen panis*. Qua proverbiali formula, vilitas eſcæ ea ani-
„ marum implanatione captatæ ſignificatur : eſtque ſenſus,
„ propter res nihili ſic ſe geſſiſſe Doctores. Exempli cauſſa
„ ob captationem humanæ gratiæ, ob vanitatem, *& ut audi-*
„ *rent Magni & Mirabiliarii* ob lucellum, & culinæ lautitias, ob
„ corruptum ſtudium *gratificandi nationi ac genti ſuæ*. Iſti fere ſunt
„ cœnoſi fontes e quibus ACCOMMODATITIAE THEO-
„ LOGIAE putor dimanat. Attingamus ſigillatim fontes præ-
„ dictos, & quanta ex eis virulentia profluat, conſideremus
„ ſtrictim, & obiter tantum, ut malignitas effectus prodatur
„ ex cauſſæ vitioſitate."

§. III.

Digitized by Google

§ III.

Cœnoſorum THEOLOGIAE ACCOMMODATITIAE fontium primus, captatio gratiæ a divina diverſæ. P. Raynaudus pag. 384.

I. TRes præſertim Theologiæ accommodatitiæ cœnoſos fontes aperit P. Theophilus Raynaudus : & dum hos primarios fontes patefacit, alios ſcaturientes inde rivulos indicat. Plura allegat Patrum, & graviorum Scriptorum teſtimonia in eorum confirmationem quæ ipſe liberrimo calamo, & humanorum reſpectuum ac rei politicæ contempta ratione ſcribit. Pluribus omiſſis, præcipua ego ipſius P. Raynaudi verbis delibabo. Igitur ita farier inſit.

II. „ Humanæ gratiæ captatione inflecti plerumque Theolo-„ gorum iudicia in eam partem quæ conſultoribus, præſertim „ potentibus, ſint arriſura, teſtatiſſimum eſt : idque bene mul-„ tis fuiſſe in ruinam, optime docet Guerricus *ſer.* III..... *S.* Pau-„ linus epiſtola ad Cleantiam ait, hanc eſſe *multorum* viam. „ *Si vel adulamur ipſi* (inquit Paulinus) *vel adulantem libenter audi-„ mus; ſi verum dicere gratia impedimur, & magis offendere animos „ hominum timemus quam non ex animo loqui : de multorum item via „ ſumus. Tot noſtri ſunt, quot extranei veritatis. At e contrario ſi „ ab his omnibus vitiis ſumus extranei, ſi purum ac liberum animum „ præſtamus, & omni cupiditate calcata, ſolis ſtudemus divites eſſe vir-„ tutibus; per anguſtam viam nitimur.*“ Hæc Raynaudus de hoc primo cœnoſo fonte accommodatitiæ Theologiæ, miſſis Nazianzeni, & Guerrici teſtimoniis brevitatis ſtudio. Alterum ille cœnoſum fontem referat hoc ſequenti titulo.

Alter fons cœnoſus, captatio commodi temporalis, ac primum gloriæ.

III. „ Aut perraro, aut numquam (pergit P. Raynaudus) „ contingit ſiſti in captatione alienæ gratiæ, abſque retorſione „ eius ad captorem : quia ſcilicet ſibi ab eo cuius gratiam ca-„ ptat, aut *munus a lingua*, dicere hic eſt, aut honores, aut „ lucrum, aliudve commodum ſpondet. Alioquin enim pauci

„ eſ-

„ eſſent, vel etiam nulli qui, tantum ut velificarentur alienæ
„ gratiæ, divina ſe gratia, *per veritatis contrucidationem*, & ſug-
„ geſtionem mali conſilii puros vellent. Igitur fere ſibi quæ-
„ runt commodum aliquod, qui ſic *proſtituunt Theologiam*. Inter
„ eo porro commoda tenuiſſimum, & maxime inane ac eva-
„ nidum eſt gloria, *vel celebritas nominis*. Quod enim eſt ma-
„ gis ſtuporatum bonum? ut Tertullianus ſcite nominat *Lib.*
„ *de cult. ſem. cap.* III. Hinc quis vere efficitur ſervus homi-
„ num, quod vetabat Apoſtolus: quem ſic gloſſat Philippus
„ Abbas *Lib. de Obedient. Cleric. cap.* xl. inquiens: Eos intelligi
„ vult Apoſtolus hominum ſervos eſſe qui cum Magiſtros (*Gal-*
„ *liſmus eſt les Maitres*) viderint ad blanda & inania iuſto am-
„ plius pronos eſſe; iuſtæ ſeveritatis virilem conſtantiam non
„ opponunt, ſed illorum laxis mentibus molli accubitu ſe ſub-
„ ponunt. Dumque aures eorum prurientes ſtudent ſermoni-
„ bus placitis delinire, & eorum, non ſpiritualibus, ſed car-
„ nalibus affectibus obedire: conſtat eos, non Deo, ſed ho-
„ mini, peccato, non iuſtitiæ, deſervire. Unde & ad Roma-
„ nos, *Neſcitis*, inquit, *quoniam cum exhibetis vos ſervos ad obedien-*
„ *dum, ſervi eſtis eius cui obeditis? Sive peccati ad mortem, ſive o-*
„ *beditionis ad iuſtitiam* . . . .

„ Hæreticos pleroſque DD. hinc actos in errorem, docet
„ Pelagianus Auctor Epiſtolæ de malis Doctoribus . . . Ha-
„ bent etiam hoc, mundanam gloriam deſiderantes, & huma-
„ næ gloriæ perfrui cupientes voluptatibus, ut ante audito-
„ rum ſuorum mores, vitamque explorent, & ita doctrinæ
„ ſuæ modum temperent, ne cuiuſquam eorum poſſint menti-
„ bus diſplicere: ſcientes etiam, ſe tunc optimos magiſtros
„ habendos, ſi per omnia diſcipulorum geſtis Doctoris ſermo
„ concordet, & ſi eis inæſtimabilis illius beatitudinis incorru-
„ ptionem abſque voluptatum ſuarum demolitione concedat.
„ Neceſſe eſt enim ut qui omnium favorem expetunt, id pri-
„ mum agant, quatenus ab omnibus diligantur. Diligi vero
„ non poterunt, niſi eorum prius quorum amoris gratiam e-
„ xigunt, moribus placeant. Placere autem difficile eſt, ſi
„ non per omnia eorumdem actuum inſtitutis doctrinæ ſuæ
„ voluerint adhibere conſenſum. Et ita fit ut dum nimia hu-
„ manæ cupiditate gloriæ diligi ſe etiam a vitioſis expetunt, vitia,
„ & peccata defendant, & contra legalis, ac *evangelicæ doctrinæ*

„ *ve-*

Digitized by Google

„ *veritatem* iiſdem perpetuitatis gloriam polliceantur quorum „ non ſalutem videntur efflagitare, ſed laudem.“

„ Naufragarunt ad hunc ſcopulum plerique etiam Catholi„ ci, qui ut audirent ſolemnes Doctores; & a plurimis con„ ſilii gratia frequentarentur, vel ut eorum libris *vendibilitas ac„ cederet, eorumque recuſione ſæpius calerent præla* (quod totum ad „ vanitatem, & fumos ab Auctoribus captatos ſpectat) do„ ctrinas improbatas adamarunt, vel obſoletas, & pridem ſe„ pultas reſoderunt.“

IV. Quæ hic ſcribit Raynaudus, continua experientia comperta fiunt. Libri quippe morales, quo magis abundant Theologia accommodatitia, eo frequentius præla defatigant, & bibliopolæ ditiores evadunt.

Item captatio dignitatum ſacrarum.

V. Hunc rivulum ex ſecundo fonte manantem his verbis exponit *ibidem pag.* 385. Raynaudus. „Non iam nudum linguæ „ munus, vel inane decus continent dignitates eccleſiaſticæ, „ quæ etiam *bonorum* nomine paſſim donantur : pinguia, in„ quam, beneficia, ad quæ frequenter aſpirant *nundinatitii Theo„ logi*, de quibus agimus, vel certe ſe in obtentis firmare ſa„ tagunt. Acer in iſtos, ac vehemens eſt Sariſberienſis *Lib.* „ *VIII. Polycr. cap.* XVII. Canis, inquit, mutus latrare non va„ lens, ut vel clamore, & tumultu lupum abſterreat venien„ tem. Siquidem eum timet, qui temporalium diripit faculta„ tem, & eum non attendit qui animum cruciaturus eſt in „ gehenna. Cæcus ſiquidem eſt ad grandia, & quæ nihili ſunt, „ perhorreſcit. De his inquit : *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſe„ quuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis,* „ *Prophetæ tui, Iſrael, erant. Non aſcendiſtis ex adverſo, neque op„ poſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domi„ ni.* Nihil in eis libertatis eſt, ut mundi poteſtatibus oblo„ quantur; nihil virtutis, ut veritatem in periculo tueantur : „ in omnibus lucrum; in multis (nullis) aut paucis quærunt „ ſalutem animarum . . . Dum ad ambitionis, aut avaritiæ „ ſuccedit votum, eorum quæ Chriſti ſunt, iactura contemni„ tur. Fiat pax in diebus eorum : ſint fetoſæ oves, boves „ craſſæ, promptuaria plena cibis, & vaſis onuſta; menſa in „ admirationem intuentium ſplendens, variæ & pretioſæ ſup-

Digitized by Google

„ pellectilis operoſus cultus abundet; honorentur & colantur „ a turbis; ditentur, & viſitentur a ſubditis in muneribus; „ ſit denique liberum, impune, & ſine nota facere quidquid „ libido dictaverit: ad ſingula dicent, Euge euge. Iuxta in- „ crepationem propheticam, luto abſque paleis liviſſe peccati „ parietem videntur, qui præcipiente Domino fuerat fodien- „ dus, ut rueret; & abominationes peſſimæ a domo Domini „ diſperirent. Hi ſunt qui conſuunt pulvillos ſub capite uni- „ verſæ ætatis, cervicalia ſupponentes, ut capiant animas, & „ lac comedant, lanis operiantur ovium; & quaſi in ſomnum „ negligentiæ, vel audaciæ induxerunt. “ Hactenus Sariſbe- „ rienſis.

VI. „ Nec minus fortiter (pergit Raynaudus) S. Gregorius „ *hom.* XVII. *in Evang.* agens de comedentibus peccata populi, „ & ſilentibus .... Hoc aliter dixit Petrus Cellenſis *Lib. VI.* „ *epiſ.* 6. Sic iam totius noſtræ Chriſtianitatis religio intepuit, „ ut vix in toto grege chriſtiani populi, aliqui inveniantur „ qui malint ſub ficu, & oliva terreni honoris, & delectatio- „ nis deliteſcere, quam procul adoriri bellum & audacter oc- „ currere in occurſum cum filiis Beniamin, & dimidia tribu „ Manaſſe expediti armatis inimicis Chriſti.... Luculentum „ eſt Neronis Epiſcopi exemplum, de quo Prateolus V. *Nero.* „ Si leves homines amore primarum cathedrarum in Eccleſiis „ fidem Chriſti perdere utile duxerunt, quid mirum, reperiri „ qui in dandis reſponſis moralibus ei ſe parti addicant a qua „ affulgeat ſpes promotionis ad inſulas? .... Apage promo- „ tionis ſtudium cum gloriæ divinæ, & ſalutis animarum de- „ preſſione, vel etiam clade tam ſæpe coniunctum, ab omni- „ bus ſolidam & veram Theologiam profitentibus deteſtan- „ dum, ut factum a Patre ſuo Gregorius Nazianzenus *orat.* „ XIX. invectus in aliquos ſui temporis titulo tenus ſapientes „ (narrat.)

VII. Alterum rivulum ex lutulenta ciſterna haurit P. Raynaudus, quem ſub hoc titulo proponit his verbis.

Nec non lucelli captatio, aut metus deiectionis e partis ambonis. pag. 385.

„ Alii citra titulorum & dignitatum captationem, quia ad „ eas ſe impares vident, aut labores iiſdem nexos faſtidiunt, „ mer-

Digitized by Google

„ mercede ſicut Balaam effunduntur, & obturatum habentes „ oculum, noſcentes doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipo- „ tentis videntes cadunt habentes apertos oculos, in omnem- „ que partem ſe verſant, ut lucelli animo concepti, & expe- „ ctatione devorati gratia pervertant iudicium theologicum re- „ ctum *vere culinarii, & coquinarii Doctores.*

„ VIII. Petrus Cellenſis *epiſ.* cxv. ſortem ſui ſæculi in An- „ glia deplorat ex hac parte .... *Vident & agnoſcunt homines* „ *quod draco tertiam partem ſtellarum de cælo ſecum deiecerit, nec ex-* „ *territi tam fœdo, & crudeli exemplo abhorrent ire poſt Satanam, &* „ *detinere veritatem Dei in mendacium. Una hæc de plagis Aegypti,* „ *quæ filios Iſrael non tangit, ſed filios huius ſæculi, qui quærunt quæ* „ *videntur, & temporalia ſunt, non ea quæ non videntur, & æterna* „ *ſunt*. Ventriloquos appellat huiuſmodi Doctores Origenes „ *homil.* VII. *in Eſaiam.*"

IX. S. Gregorius *homil.* XVII. in Evang eiuſmodi Theologos accommodatitios ſalſe defricat. Pauca ex pluribus delibo. „Vix „ pro culpa quempiam aperta voce reprehendimus: & adhuc, „ quod eſt gravius, aliquando ſi perſona in hoc mundo po- „ tens ſit, eius forſitan errata laudamus, ne ſi adverſemur, „ per iracundiam ſubtrahat quod impendebat. Sed debemus „ ſine ceſſatione meminiſſe quod de quibuſdam in Oſea ſcri- „ ptum eſt: *Peccata populi mei comedent.* Cur autem peccata po- „ puli comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fo- „ vent, ne temporalia ſtipendia amittant?"

§. IV.

Fons tertius lutulentus Theologiæ accommodatitiæ, affectus in gentem, aut nationem.
Raynaudus pag. 386.

I. FOns iſte quo lutulentior, eo amplior eſt. Accidit in certamine litterario Theologorum, quod in bello militum inter duas nationes & gentes. Iuſtitiæ aut iniuſtitiæ eiuſmodi bellorum non ratio, ſed genius & affectus erga unam præ alia nationem iudex eſt. Genius decidit, & adiudicat provincias & regna uni genti, & ſurripit alteri. Similiter amor in

patriam, in lares, genius erga talem Theologorum nationem, aut Religionem de regno æterno, de paradiſo, de inferno reſolvit definitque. Si difficile eſt genialem Gallicum, Germanicum, Hiſpanicum &c. a propria præconcepta ſententia deducere; difficillimum eſt dedocere eos qui affectu feruntur erga unam litterariam palæſtram præ alia. Nec advertunt hi miſerrimi, & obcæcati geniales, æternum perire poſſe ex hoc ſolo capite quod, cauſſa incognita, ab his falſitatem, ab illis veritatem ſtare; illos victores, iſtos depreſſos pronuntiare non dubitant. Et quia veritas odium parit; evangelica doctrina bellum intentat carni, & ſanguini; inſectatur voluptates, illecebras, pompas, luxum, faſtum, & omnia inſanientis mundi oblectamenta, arctamque pœnitentiæ, humiliationis, crucis, & lacrymarum, precationum, & aſſiduæ abnegationis ſui ipſius viam calcandam præſcribit; paucos clientes habet. Contra, quia Theologia accommodatitia Evangelium Chriſti cum deliciis, illecebris, ludis, ſpectaculis mundi conſociare, & ipſas voluptates ſubimpudicas delinire, & condire didicit, populoſiſſimas turbas & cuiuſcumque ſtatus gentes ſibi conciliat & devincit. Verum ut accommodatitiæ Theologiæ patronorum ora obſtruamus, non propria, ſed voce ipſius P. Theophili Raynaudi loquamur.

II. „ In aliis hæc Theologiæ corruptio eſt lues peſtilentiſſi-
„ ma, quæ *etiam pios, & a communibus morbis immunes* inficit: a
„ nationis, inquam, aut gentis amore immoderato derivatur.
„ Sunt enim ut affectus, ita *& opiniones quædam nationales*, qui-
„ bus eo tenacius fortiuſque adhæreſcitur, quo eſt amor in-
„ carnatæ neceſſitudinis, & patriæ inflammatior & vehemen-
„ tior; vix ut eo ſe extricent qui perfectionem profitentur.
„ .... Ex hoc ergo amore adeo *conviſcerato, & concarnato* facile
„ refunditur in iudicium mollitudo, ut ſic dicam, & flexibili-
„ tas, ita ut ex ſententiæ quæ aliis admodum duræ, ac into-
„ lerandæ videntur, diſtorquente intellectum voluntate, appa-
„ reant non ferendæ modo, ſed etiam rationi conſentaneæ, &
„ quibus abſque veritatis oblæſione poſſit aſſenſus præberi. Ex-
„ empla ſuppetunt antiqua & recentiora; ut hodierna, quo-
„ rum eſt immenſa legio, prætercam. Apud Germanos Do-
„ ctores, iam olim quidem occaſione Henrici IV. ſed præſer-
„ tim ex quo Ochamus favori Ludovici Bavari aucupando,

„ ca-

Digitized by Google

„ calamum locavit, poteſtas pontificia circa pleraque obiecta
„ reſtringi cœpit . . . .

„ Simile quid hac in parte accidit, ac eis familiis in quibus
„ fetus certa nota gentilitia ſignatum cernitur, quales apud
„ Plinium referuntur : & quod ad prærogativam chriſtianam
„ pertinet in familia S. Rochi a Cruce (id enim ſancto viro
„ cognomen) cuius familiæ hodieque apud Montem Peſula-
„ num ſuperſunt propagines; infantes cruce ſignati a mater-
„ norum viſcerum latebris prodeunt. Sicut ergo eiuſmodi in-
„ fantes ab ortu præferunt notas natalium, ac ſtirpis ſuæ; ita
„ fere omnes alicuius nationis, & gentis homines *errant ab u-*
„ *tero* in iis quæ quoquomodo gentem ſuam & nationem con-
„ tingunt. *Et proportione ſervata idem cernitur in Religioſis Ordini-*
„ *bus. Pro ea enim nativa propenſione qua mortalium quiſque in ſei-*
„ *pſum fertur, erga eum quoque cœtum cui adlegitur, tamquam mem-*
„ *brum erga totum, ardentiſſime afficitur. AEſtus autem ille amoris,*
„ *nebulas ad iudicium ſubvebit, quibus præpeditur cernere verum: nec*
„ *aliter diſpicit quæ diiudicanda proponuntur, quam qui cubiculum ſub-*
„ *it multo fumo oppletum iuxta Clementis Alexandrini comparationem.*
„ Sic quidam, cum de divinorum attributorum diſtinctione ab
„ eſſentia agitur, ex præiudicata Ducis ſui ſententia, eam a-
„ ctualem perfectionum attributalium, & eſſentiæ diſtinctio-
„ nem pugnaciſſime invehunt, quæ iuxta alios ægerrime cum
„ divina ſimplicitate cohæret. Sic alii in cauſa de ſolemnitate
„ voti, in Angelorum numerica immultiplicabilitate, in pura
„ materiæ potentia actus cuiuſcumque etiam entitativi exper-
„ te, aliiſque nonnullis, ea docent quæ ipſis ſolis probantur.
„ *Cuius ſingularitatis ſententiarum origo in eum referenda eſt affe-*
„ *ctum qui ſimul cum TUNICA RELIGIOSA INDUITUR.* Quod
„ igitur apud iſtos in ſpeculativis materiis cernitur, non diſſi-
„ mili ex cauſſa apud alios accidit in PRACTICIS RESO-
„ LUTIONIBUS, MORALIBUSQUE RESPONSIS in tota
„ aliqua natione, aut gente ob peculiares cauſas vigentibus."

BIBLIOTECA NAZ. RLE VITTORIO EMANUELE

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Tria puncta animadvertenda in hanc P. Raynaudi *doctrinam.*

I. PUNCTUM PRIMUM. Hæc lues peſtifera amoris in propriam gentem, in proprium Ordinem *inficit vel ipſos viros pios, & a communibus morbis immunes*. Quis ad hanc veritatem æque compertam, ac formidandam non formidat, & totis artubus non contremiſcit? Ecce quam fallaces ſint ſermones noſtri. Sunt pii, ſunt docti: dicere ſolemus. Quid inde? Ergo nec fallere, nec falli valent. Et quod altius meditandum eſt, quo ſolent homines eſſe magis pii, & proprii Inſtituti obſervantiores, eo ardentiori amore illud proſequuntur, & pro eiuſdem gloria & ſplendore vehementius inflammantur. Religioni nobis vertimus, niſi doctrinam ſemel a proprio Inſtituto adoptatam totis viribus defendamus. Proprii inſtituti fulgorem decreſcere arbitramur, ſi talis doctrina ab adverſariis oppugnata ſuccumbat, & obſoleſcat. Heinc pro eadem veluti pro aris & focis dimicamus. Heinc licitum interdum reputatur doctrinæ noſtræ oppugnatores iniuriis laceſſere, & calumniis etiam, ſi opus fuerit, proſcindere, ut noſtræ doctrinæ incremento conſulamus. Quoniam proprii Inſtituti fama, dicimus, neceſſaria eſt ad proximorum ſalutem promovendam. Hac ſolidæ doctrinæ fama obſcurata inutile prorſus eſt populis miniſterium noſtrum. Ergo ut Inſtituti fama conſiſtat, pugnandum certandumque eſt. Hæc ſunt ratiocinia noſtra. Serio, quæſo, meditemur. Si falſa ſint, quæ futura erit ſors noſtra? Quid nobis profuerit quondam mundum, & omnia quæ eius ſunt, reliquiſſe, & proculcaſſe, ſi pro imaginaria Inſtituti gloria arctam evangelicæ doctrinæ viam dilatemus? *Eſt via quæ videtur homini recta, noviſſima autem eius deducunt ad mortem. Omnis qui interficit vos, arbitratur ſe obſequium præſtare Deo*. Facillime fallimur in unico æternæ ſalutis negotio. Et non paves? non reformidas? In tuto rem non ponis? Mature recogitemus, gloriam & ſplendorem Inſtituti reverberare in perſonas noſtras. Sub zelo illo vehementiſſimo promovendi Inſtituti famam

&

Digitized by Google

& exiſtimationem, latitat ſubtiliſſimus ille præſtigiator propriæ gloriolæ amor. *Superbia bonis operibus inſidiatur. Initium omnis peccati ſuperbia*: Eccl. x. *Quo primum vitio lapſa eſt anima, hoc ultimum vincit*. S. Auguſtinus.

II. PUNCTUM SECUNDUM. Ex quo Ochamus favori Ludovici Bavari aucupando calamum locavit, ſanior doctrina magnum paſſa eſt detrimentum. Similia exempla, inquit Raynaudus, & antiqua, & recentia occurrunt. Ex vetuſtis ſat eſt in memoriam revocare funeſtiſſimas clades evangelicæ doctrinæ illatas ab Euſebio Nicomædienſi Conſtantini Imperatoris familiari Aulico. Humili igitur intentoque animo reputandum, quæ extrema parere mala in Chriſti Eccleſiam queat affectus ille ferventiſſimus erga proprii Inſtituti doctrinam, ſi in Aula dominari contingat, & devinctos habeat dominorum animos? Quæ librorum proſcriptiones, quæ perſonarum exilia, ut triumphet Theologia accommodatitia noſtra, timeri heinc non poſſunt? Ad IESU Chriſti tribunal omnes illi qui in tam periculoſa alea verſantur, propriam inveſtigare conſcientiam, ultimoſque ſui cordis receſſus ſubire tenentur, ne domeſticæ gloriæ fumo circumfuſi præiudicatas ſententias cum ſanæ doctrinæ detrimento promovere ſtudeant. Si omnibus vigilandum adverſus proprii amoris inſidias eſt, & ruina timenda; quanto magis pavere & contremiſcere illi debent qui in tanto periculorum reperiuntur diſcrimine? Ut ab his domeſticis hoſtibus nobis caveamus, ſerio effatum Auguſtini meditandum eſt: *Simus Chriſtiani, non Petriani, non Pauliani*.

III. PUNCTUM TERTIUM. Quam potens ſit affectus ad pervertenda iudicia noſtra, diſſidia ſcholarum evincunt. Affectus religioſa tunica partus adeo vehemens eſt, ut in controverſiis ſpeculativis quas proprius Ordo adoptavit, parvi, & perſæpe nullius momenti, perpetuas foveat, alatque contentiones & pugnas verborum. Porro ſi tantam vim habet affectus iſte nobis omnibus *conviſceratus* (inquit Raynaudus) & *concarnatus*, in controverſiis nihili; quæ erit illius vis in morum quæſtionibus, quæ graviſſima negotia tractant, quæ mundi plauſum, Magnatum favorem, templorum affluentiam nobis conciliant? Experientia quotidiana præventionis in ſpeculationum inutilium certamine erudire nos debet, & experrectos efficere, ne in reſolvendis morum controverſiis ſeducamur,

ne-

Digitized by Google

neve iudicia noſtra eo detorqueamus, ut faveamus hominum deſideriis, & appetitionibus *Si hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem. Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram Patre meo*. Hic figantur meditationes noſtræ.

§. VI.

Damna Theologiæ accommodatitiæ, undecumque enaſcantur. P. Raynaudus pag. 387.

I. POſt explicatas Theologiæ accommodatitiæ notiones, inſidias, perverſa iudicia, vagam, & aſtutam opinandi formam; poſt reſeratos cœnoſos fontes, & lutulentos rivulos inde ſcaturientes; pergit *P. Raynaudus* ad manifeſtanda damna, clades, & ſcandala quæ tum in privatas Chriſtianorum conſcientias, tum in univerſam Chriſti Eccleſiam ex Theologia hac accommodatitia manant. Verba ipſa Raynaudi de more tranſcribo.

II. „ Undecumque vero, & ex quocumque prædictorum „ capitum, aliove exiſtat hæc *Theologiæ accommodatio, immo perverſio;* nemo ſatis explicet, quantis inde cladibus cum pri„ vatim conſcientiæ plurimorum, tum univerſe ſancta Dei „ Eccleſia afficiatur. Nam in *univerſam* quoque Eccleſiam red„ undat hoc damnum, bene multis erroribus, & craſſis hæ„ reſibus inde enatis: quod *parvuli in nequitia hominum* (ut A„ poſtolus *Epheſ.* IV. loquitur) *fluctuent, & circumferantur omni* „ *vento doctrinæ*, nimirum per nequitiam Doctorum, qui do„ ctrinam ad inſtar aleæ, & taxillorum .... tranſponunt, „ ſervientes ſcenæ, tempori, ac loco accommodantes. Non „ aliam ſane potentiorem, ac veriorem cauſſam ſchiſmatis pri„ mum, tum hæreſeon, quibus Anglia fluctuavit, aſſignare li„ ceat quam Theologorum *accommodatitiam Theologiam:* qui, ut „ Regi Henrico VIII. velificarentur, abiecta ſoliditate doctri„ næ, quam Romana Cortyna inferebat, alio flexere ſenten„ tias. Conſulendus, qui id egregie demonſtrat, Sanderus *Lib.* „ *I. de Schiſmat. Anglic.* Turbas a Iuſtiniano in Dei Eccleſia „ improvide excitatas Facundus *Lib. IV. pro tribus capit. cap.* IV. „ æque refert in Doctorum orientalium ad nutus Imperatoris

„ ſe

„ ſe fingentium *accommodatitiam Theologiam . Idem in pleroſque po-*
„ *ſteriores intorquere liceat, quibus aliæ proſecto conſcientiæ leges, alia*
„ *Theologia, an etiam alius Deus ? eſſe videtur , cum de Magnatibus*
„ *agitur, quam cum de privatis Chriſtianis, quos ad pleraque aſtringe-*
„ *rent, ſi apud eos peccata deponerent, de quibus alia formant iudicia,*
„ *cum agitur de magnis qui ſunt in terra*. Quaſi vero , ut cum
„ Bernardo dicam *epiſ*. lxii. non eodem utantur medici ferro
„ ſecandis Regibus, quo & popularibus hominibus: aut capi-
„ ti fiat iniuria, ſi ipſis forcipibus capilli excreſcentes deton-
„ deantur, quibus & unguium fuerint reſecata ſuperflua. *Te-*
„ *trius hic peccant Doctores accommodatitii quam qui ex eorum ſenſu*
„ *operantur mala*.

„ Gravitatem huius culpæ *accommodatitiorum Theologorum* pro-
„ bantium quæ fuerant improbanda, illuſtrare licet ea S. Chry-
„ ſoſtomi diſputatione in *Pſal.* xlix. ad illud, *Si videbas furem*
„ &c. Hoc eſt, inquit, cauſa omnium malorum, hoc eſt quod
„ virtutem maxime evertit, quod retardat , ac reprimit ſtu-
„ dium multorum ad ea quæ ſunt honeſta, quando non ſolum
„ non reprehendunt aliqui , ſed etiam una cum iis qui pec-
„ cant, ſe oblectant, eiſque gratulantur . . . . Multi enim ho-
„ mines ut plurimum non ex iis ſolum quæ animo concepe-
„ runt, ferunt de rebus agendis ſententiam, ſed & ab aliorum
„ inſtituto, & voluntate; & ſi quis peccavit quidem , viderit
„ autem omnes eum adverſantes, exiſtimabit ſe aliquod ma-
„ gnum, & indignum ſcelus admiſiſſe. Quando autem viderit
„ non ſolum non indignantes, ſed etiam facile, & placide fe-
„ rentes, atque adeo blandientes, & applaudentes ; corrupto
„ deinceps conſcientiæ iudicio, multorum ſententia depravatæ
„ eius menti aſſentiente opemque ferente , quid non audebit?
„ Quando autem ſeipſum condemnabit, & ſecure peccare ceſ-
„ ſabit ? . . . . *Si enim vel reprehenſum vitium adeo viget, & lau-*
„ *data virtus vix ſuos ad ſudores provocat; quid erit, ſi hoc non fa-*
„ *ctum fuerit?* “

III. Hactenus P. Theophilus Raynaudus adverſus *Theologiam accommodatitiam* intrepide, & libero calamo declamavit. Excuſationes deinde in eiuſdem Theologiæ accommodatitiæ defenſionem a Probabiliſmo arceſſitas refellit tribus aliis §§. Hæc omnia nunc tranſmitto, quia longiorem poſtularent diſputationem quam inſtituti mei ratio permittat.

CAPUT III.

Eo progreſſa eſt ætate noſtra Theologia accommodatitia, ut adverſarios, & oppoſitores non patiatur, ſed ſola dominari velit.

I. ACerrimas increpationes, & ſeveriſſimas reprehenſiones adverſus veteris teſtamenti blandiloquos Doctores, qui populis velificabantur, & legem Dei exquiſitis lenociniis delinire, atque carnis deſideriis accommodare ſatagebant, divinæ Scripturæ nobis exhibent, & quidem frequenter, atque ut ab eiuſmodi Magiſtris caveamus, altius inclamant. Hoc idem præſtant novi fœderis divini Scriptores, monentque eo ſimilium Magiſtrorum multitudinem futuram ampliorem, quo magis ad ſuum finem mundus properat. Cuiuſcumque ſæculi Patres Prophetas Domini, & Apoſtolos Ieſu Chriſti imitati, ſtilum ſtrenue armarunt contra Doctores populi auribus prurientes, & dulcia atque ſuavia pollicentes. Iſtorum teſtimonia frequenter in hoc opere reſcripſi, quin ſit opus eadem repetere.

II. Sæculis nobis propinquioribus cum Theologia accommodatitia latius dominari, & ultra quam dici poſſit, progredi cœperit, plurimi viri Dei vocis ſonitum altius extollere iudicarunt, præſertim S. Thomas de Villanova, S. Carolus Borromæus, Bartholomæus de Martyribus, Avila, Granatenſis, Franciſcus Saleſius, Ven. Bellarminus, & hac ultima noſtra ætate Alexander Papa VII. Innocentius XI. Mercorus, Baronius, Contenſonius, Gonetus, Fagnanus, Elizalde, Gonzalez, Camargo, De Albertis, & alii, qui apoſtolico zelo, & improbo ſtudio Chriſtianam Ethicen a nova pernicioſaque benignitate aſſerere conati ſunt. Sileo Gallicanos, & Hiſpanos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Parochos, qui qua ſcriptis, qua concionibus, qua ſupplicationibus Apoſtolicæ Sedi delatis bellum accommodatitiæ Theologiæ intentarunt.

III. Quid plura? Tam ingens evaſit Auctorum benignæ & accommodatitiæ Theologiæ numerus, & facilitas deliniendi, inflectendi, & extenuandi divinam legem, adeo prætergreſſa eſt limites & confinia omnia, ut vel ipſi primores benignioris Ethi-

Digitized by Google

Ethices defenſores, quales ſunt inter ceteros Antonius Terillus, & Theophilus Raynaudus, perferre tam immoderatam opinandi libertatem, & tantum deformandæ evangelicæ doctrinæ auſum minime potuerint. Ita Deus ineffabili ſua providentia ordinavit ut utriuſque partis Theologi teſtimonium pro veritate perhiberent, & perniciosæ Theologiæ corruptelas vehementi ſtilo inſectarentur.

IV. Sanctarum Scripturarum, & SS. Patrum cuiuſcumque ſæculi exemplis ego ipſe fultus, & Theologorum poſtremæ ætatis veſtigiis inſiſtens paucis ab hinc annis adverſus Theologiam æquo benigniorem pro modulo & tenuitate mea vocem exaltare paullulum cœpi. Quid heinc? Mollioris Ethices patroni non pauci turbas ciere, rumores ſerere, ſupremas poteſtates concitare, & qua ſcriptis, qua voce, qua denique libellis famoſis laceſſere, proſcindere, & ſi datum fuiſſet, terra marique exterminare pro viribus ſategerunt. Hæc omnia univerſæ Reipublicæ litterariæ compertiſſima evincunt, dominatum accommodatitiæ Theologiæ latius graſſari, & nullos iam ætate noſtra pati adverſarios alicubi velle.

V. Vociferantur nonnulli, & ad ſidera uſque inclamant, me caritatem violare, Theologorum famam proſternere, Confeſſariorum contemptionem inducere, Caſuiſtarum auctoritatem deridendam propinare, & eorumdem ſacros Ordines infamare, ſcandala ingerere, communi & prævalenti conſuetudini me opponere. Tandem ut Rigoriſtam, Tutioriſtam, fanaticum, & impotenti furore abreptum, maledicum, calumniatorem, Ario, Luthero, aliiſque hæreſiarchis peiorem depingere, religioni & gloriæ ſibi benigniſſime vertunt. Hoc ipſo tempore quo ſcribo, libellum famoſum Eccleſiarum valvis appendere non dubitarunt atrociſſimis calumniis plenum. Qui in litterario certamine his armis belligerant, an illi ipſi ſe veritate & honeſtate deſtitutos, & cauſſæ deſperatæ & errorum patronos ſe prodant, ceteri iudicent. Ultimi libelli non typis editi, ſed ms. evulgati Auctores alto premo ſilentio. Verum niſi deſinant Eccleſiæ dogmata in diſcrimen erroneis commentis adducere, omnia in luce clareſcent.

VI. Ad me quod attinet, omnibus ex corde remitto, parco, &, ut Evangelium Chriſti iubet, oro ut parcat & Deus, & ut expulſis errorum tenebris, in lumen veritatis intendere

tandem oculos velimus omnes. Paucis nunc, miſſa iniuriarum mentione, & ad tranquillitatem animis revocatis, alloqui mitiſſima oratione illos intereſt. Argumentum quod tractamus, unicum æternumque ſalutis noſtræ negotium ſpectat. Error, undecumque ſit, exitialis eſt. Videamus ergo num iuſtam habuerint, habeantve conquerendi, reclamandi, & vociferandi cauſſam vel apparentem.

VII. Divinæ Scripturæ adverſus Doctores dulcia pollicentes acriter invehuntur. SS. Patres cuiuſque ſæculi adverſus Theologiam accommodatitiam calamum acuerunt. Propterea ne Prophetæ ſancti, Doctores Eccleſiæ caritatem violarunt, ſcandala ingeſſere? Theologi nobis propinquiores, Bernardinus Senenſis, Antoninus, Thomas de Villanova, Cardinalis Borromæus, Bellarminus, &, quod decretorium eſt, Terillus, & Raynaudus a Theologia accommodatitia populorum ſcandala, animarum perniciem, Eccleſiæ univerſæ extrema mala proficiſci, fuſo calamo, & ſtilo valido patefaciunt. An iſti infamarunt ſacros Ordines, Theologos, & Confeſſarios? Quinam hactenus adverſus iſtos querimonias & lamentationes clamoreſque ingeminarunt?

VIII. Preſſius urgeo querulos adverſarios. Theologia accommodatitia omni tempore latius dominata eſt, plurimoſque aſſeclas habuit. Quæro, an ætate noſtra hæc Theologia, an hi Theologi quos Raynaudus *nundinatitios*, & Terillus *Satanæ* fraudibus deceptos appellant, e mundo noſtro exulent? Oro obteſtorque adverſarios omnes ut hoc ſequens ratiocinium tranquillo animo, menteque ſerena expendere velint. Argumentatio mea non eo tendit ut adverſariorum aliquem vel remote ullo modo carpam, ſed ut abſurda quæ novum ſyſtema conſequuntur, patefaciam. Theologia accommodatitia, ſeu ars temperandi & liniendi legis rigorem, eamque accommodandi hominum corruptis moribus, ſemper invaluit: quoniam inſitus a natura amor erga propriam libertatem, nihil intentatum omittit, ut legis ſervitutem aut penitus excutiat, aut ſaltem leviget & deliniat. Si autem omnium teſtimonio eiuſmodi Theologia, & eiuſmodi Doctores ſemper fuerunt in mundo, a nato novo opinandi modo, cuius meminit Alexander VII. confinia amplificavit. Cedo. Excogitari ne Theologia magis accommodatitia valet præ hac quæ docet, legem Dei in controverſiam apud Theologos vocatam vim obligandi amittere, quia

quia poſſeſſio ſtat pro libertate : quæ docet, e duabus opinionibus oppoſitis de hac lege licitum eſſe amplecti minus probabilem, minus veriſimilem, quæ magis favet libertati humanæ adverſus legem ? Quæ amabo accommodatior Theologia quam quæ duas directe contrarias vias perveniendi in cælum adinvenit? Diſſertant iſtius novi ſyſtematis patroni ſit nec ne fenebris contractus, deſerenda hæc occaſio, eroganda eleemoſyna, impudica hæc oſcula, frequentanda theatra, vetitus talis veſtitus & luxus, diligendus intra annum Deus, exercendi fidei actus, & ſexcentas alias aggerunt controverſias ſuper interpretatione divinæ legis excitatas. Alii adfirmant, negant alii : & ſive opinionem quæ legi divinæ favet, ſive contrariam, quæ tuum commodum & utilitatem propugnat, amplexus fueris, æque ſecurus eris : ſive viam arctam doctrinæ pro lege ſtantis, ſive viam latam doctrinæ pro tua libertate pugnantis inambulaveris, nihiloſecius cæli ianuas ingredieris. Hoc eſt novum ſyſtema a ſæculo cum dimidio & amplius invectum.

IX. Sedeant nunc adverſarii ipſi argumentationis meæ iudices. Regnavit ne umquam Theologia accommodatior, flexibilior, blandior, atque benignior? Si Prophetæ, ſi Patres, ſi Concilia tam vehementer declamarunt adverſus Theologiam accommodatitiam, antequam in novum ſyſtema erecta fuiſſet ; nobis ne ſilendum poſtquam thronum excitavit, & ſedem fixit? Quid iudicii pronuntiatis? Patet heinc, quam craſſe, turpiterque aberrent illi qui argutantur . Ante natum novum opinandi modum graſſabatur Theologia accommodatitia, inundabat ſcelerum illuvies. Ergo falluntur, immeritoque invidiam novo opinandi modo conflant qui ex eodem ſoveri ſcelera , palpari vitia, incitari ad peccatum homines inferunt . Verum eſt antecedens, ſed conſequentia baſilice falſa eſt . Si intellectus ſola affectuum pravitate ad perverſa formanda iudicia inflectitur; quam legem non eludet, ſi ſyſtemate accommodante, & blandiente fulciatur muniaturque?

X. Verum ut ad incitas adverſarios redigam, hac alia via ipſos convenio. Nonne omnibus fatentibus novus opinandi modus natura ſua innumeris patet abuſibus, & corruptelis? Non ne opus fuit ſyſtema iſtud vallo & foſſa, atque diſtinctionum, ſubdiſtinctionum , diſtinctiuncularum aggeribus circumdare , munire, & roborare ? Hæc omnia tamen nihil impedierunt quo-

quominus planta hæc veneficos emiſerit ramos. Duas, nempe 26. & 27. Alexander VII. tres, nempe 1. 2. & 3. Ven. Innocentius XI. damnavit propoſitiones hoc ſyſtemate partas: & ipſum ſyſtema tamquam exitioſum, & omnium malorum caput declaravit univerſa Eccleſia Gallicana. Propoſitiones iſtæ damnatæ,& aliæ omnino affines cubant in libris plurium Caſuiſtarum, in Caramuele, in Diana, in Bonacina, in Eſcobario, in Tamburino, in Sanchezio,in Caſtropalao, in La-Cruz, in Zanardo, in Leandro, in Gobat, & in pluribus aliis, quorum libris utuntur Confeſſarii in animarum regimine. Quibus poſitis, quis dixerit, Theologiam accommodatitiam ætate noſtra ad ultimam metam propius non acceſſiſſe? Rurſus nunc adverſarios meos oro obteſtorque, ut rationem perhibeant cur tanto furore excandeſcant, tot turbas percieant, tot clamores ſuſcitent adverſus nos, propterea quod hanc accommodatitiam Theologiam de medio auferri pertentamus, & eos refellimus Doctores quos P. Theophilus Raynaudus vocat *nundinatitios, culinarios, qui doctrinam adinſtar aleæ & taxillorum tranſponunt, ſervientes ſcenæ, tempori, & loco accommodantes*. Quid ſi talia ego ſcripſiſſem, & tam acerbe excepiſſem Doctores? Abſit porro a me ut eiuſmodi titulos ego uſurpem. Ne multa: aut negant blandiloquos reperiri Theologos, abuſumque opinandi, ſeu theologizandi ætate noſtra ſerpere; aut adfirmant. Si primum, Solem in meridie ſereno cælo lucere inficiantur, & ſemetipſos univerſo Orbi deridendos exhibent. Si adfirmant, qua ergo ratione contra nos ad arma conclamant, & cælum terramque concitare ſatagunt? An propterea quod opiniones laxas, & falſas refellimus? Forſitan quod ubi ſit, & ubi ſerpat Theologia accommodatitia pandimus? Verum, ſi ad hoc quod attinet, ego aberravi, ipſorum eſt deſignare qui ſint hi Theologi blandiloqui, & in quibuſnam libris cubet hæc Theologia accommodatitia, quæ ætate noſtra & latius & pernicioſius ſerpere illi ipſi fatentur. Morbum & quidem mortiferum in animas Chriſti ſanguine redemptas ſævire, eaſque perimere, ultro facti veritate coacti fatemur omnes. Si erratum a me eſt aut in qualitate morbi deſcribenda, aut in deſignanda corporis parte in qua ſuam habet ſedem; ſupplex exoro ut ipſi veluti peritiores medici hæc omnia felicius exponere velint. Patet ne ad evadendum latebra? Reſponſuri ne erunt morbum hunc in con-

Digitized by Google

concavo Lunæ reſidere? Aut declamandum contra morbum in *abſtracto*, & aerem verberandum, nullis ſive libris, ſive Doctoribus manifeſtatis? Ita ne vero? Imprudenter ne medici, ubi ſit morbi ſedes patefaciunt? Ediſſerant. Cur avent nec blandiloquos Doctores deſignari, nec in quibus libris accommodatitia Theologia extet, manifeſtari? Quænam iſtius occultationis & alti ſilentii cauſſa? An forte quia dum ægrotus ſecari ſibi, & perfricari vulnera ſentit, dolet, patitur, verecundaturque, ſua vulnera, occultoſque tumores in medium traduci? At iſti ſanari recuſarent. Dicturi ne tandem ſunt, me neque medicum morborum, neque errorum cenſorem inſtitutum legitima auctoritate eſſe? At numquid Deus unicuique non mandavit de proximo ſuo? Verum ut hoc telum in ipſos retorqueam, cur ipſi tribunalia erigunt, & criticen exercent in omnes qui prodeunt libros, & pro arbitrio, & ingenio in hæreticorum cenſum perſcribunt vel celebriores inter catholicos Theologos? Cur tam ſevera critice ad iudicium vocant quorumcumque ſcientiarum libros, eorumque vel minutiſſimos nævos vellicant? Cur, amabo, ſolis libris caſuiſticis parcunt? Cur errores dumtaxat iſtorum tanta benignitate diſſimulant? Cur tanta clementia obtegunt? Nonne a morali chriſtiana doctrina æterna animarum ſalus pendet? Cur ergo in hoc unico & omnium graviſſimo negotio illorum critice ſilet? Cur contra hanc ſolam criticen invehuntur? Latus hic diſcurrendi campus pateret. Verum ut huic capiti finem imponam, fateor, me neque aptum medicum, neque legitimum iudicem eſſe definiendi quænam ſit vera, quænamve falſa doctrina; ſed ea libertate qua Theologi, & eruditi critici omnes utuntur, pro imbecillitate mea opiniones quas & animabus, & Eccleſiæ pernicioſas exiſtimo, legitimis ſuperioribus iudicandas deſero. Si me vel huic officio minus idoneum reputant, ipſi exactius id præſtent, ipſi efficacius ac validius malis extremis, quibus præſertim ob laxam morum doctrinam Eccleſia premitur, occurrant: & hac via omnes æmulabimur chariſmata meliora. An dicturi cum Tito Livio ſunt, nos *ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus*, perveniſſe?

Digitized by Google

CAPUT IV.

Specimen librorum quos PP. Iacobus Sanvitale, Gaſpar Ioſeph Gagna, Franciſcus Zech, Nicolaus Ghezius, Franciſcus Antonius Zaccaria *noviſſime evulgarunt contra hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi, alioſque libros meos.*

I. NUmquam mihi in mentem veniſſet futurum fuiſſe ut hiſtoria Probabiliſmi & Rigoriſmi tot ex uno cœtu Scriptores contra ſe, & in primis contra ſuum Auctorem provocaret.. Id vero magis firmabat perſuaſionem meam, quod tum in hac hiſtoria, tum in ceteris libris meis obſequium & venerationem meam erga iſtorum Auctorum Inſtitutum, opportunitate data, honorificentiſſime pateſecerim. Si aliquorum eiuſdem Inſtituti Caſuiſtarum inferioris ſane ſubſellii opinationes profligare ſtudui, numquam eorumdem Inſtitutum manifeſtavi. Contra celebratiſſimos Theologos Ieſuitas, qui ſunt ſuæ Societatis ſplendor & ornamentum, continenter in doctrinæ meæ ſubſidium advocatos magnificis pro modulo meo laudibus una cum eorumdem præſtantiſſimo Inſtituto celebravi, ut alias dixi, & dicendum ſæpius eſt. Verum hæc omnia impedire minime potuerunt quominus plures ſtilum ſane incautum contra non tam libros meos, quam memetipſum armarent, atque omni contumeliarum, & conviciorum genere laceſſiverint. Eccur irarum tantum? Quod *Theologiam accommodatitiam* veſtigiis non modo Evangeliſtarum, Patrum, Conciliorum, verum etiam celeberrimæ Societatis IESU Theologorum inſiſtens, mitius quam præſtiterunt Terillus, & Raynaudus, vellicaverim. Hoc eſt unicum crimen meum, quod contra me tot adverſarios provocavit. Dum huic operi perficiendo improbo labore diu noctuque deſudabam, in medium tum ex Italia, tum ex Germania P. Franciſcus Zech, P. Iacobus Sanvitale, P. Franciſcus Antonius Zaccaria noviſſime eruperunt, quibus præiverant PP. Richelmius, Gagna, Ghezius, aliique. Ego negotio meo intentus ſurda aure omnes quos iſti ediderunt libellos præterivi: nunc quod e vadis emerſerim, portumque attigerim, eos cur-

curſim revolvens, quandoque riſu recreabar, interdum gemitus, & lacrymas fundebam. Exultavi, quod viderem doctrinam chriſtianam a me propugnatam, nullam excipere potuiſſe a tot adverſariis ſolidam oppugnationem. Gemebam recogitans, quo abripere homines *affectus ille qui* (ut inquit P. Raynaudus) *cum tunica religioſa induitur*, ſoleat. Ne vero gratis hæc a me dici lector ſuſpicetur, ſpecimen aliquod eiuſmodi libellorum propriis Auctorum verbis adumbrabo. Intelligent heinc lectores, nullos umquam prodiiſſe libros magis inſignis Inſtituti, quod illorum profitentur Auctores, ſplendori oppoſitos, quam ſint iſti quos adverſus me citati Theologi evulgarunt. Tanta ſunt iudicio meo commiſeratione digni libri iſti, ut numquam ego auſus fuiſſem Reipublicæ litterariæ patefacere eorum Auctorum Inſtitutum, niſi illi ipſi partim in librorum fronte, partim in *Hiſtoria litteraria* hoc ipſo anno 1750. edita ſe prodidiſſent. Auctorem huiuſce litterariæ Hiſtoriæ eſſe P. Franciſcum Antonium Zaccaria, Ephemerides Florentinæ declarant *Nov.* 30. 24. *Iul.* 1750. *pag.* 472.

§. I.

P. Iacobus Sanvitale ſequentem librum edidit: Raccolta di molte propoſizioni eſtratte dall' Iſtoria del Probabiliſmo e Rigoriſmo, impugnate come oppoſte al vero. Aquileja 1748.

I. DE hoc libro hæc ſcribit P. Franciſcus Antonius Zaccaria in ſua citata Hiſtoria pag. 53. *Scendiamo ora a' libri di particolari materie morali. Eccone uno, che ſe al frontiſpizio* (Raccolta di molte propoſizioni ec.) *ſi preſtaſſe fede, ſarebbe in Aquileja ſtampato; ma ſappiam di certo, che è uſcito in Lucca.* Hoc teſtimonium verum eſt. Quoniam ſapientes viri Lucenſes qui imprimendis libris præſunt, luce publica indignum iudicantes librum iſtum, facultatem dare noluerunt ut propriæ civitatis nomine inſignitus prodiret. Quapropter nimia ingenuitate *P. Zaccaria* pergit ibidem ſcribere. *Vi manca il nome dell' Autore, il quale però è il* P. Jacopo Sanvitale *Geſuita, celebre per la Storia delle guerre per la Monarchia di Spagna, e per altri utiliſſimi libri.*

Digitized by Google

II. Primum omnium admonere lectorem intereſt me nullam inſtituere diſputationem velle cum P. Sanvitali. Abſit ut vel in mei ipſius, vel in cauſſæ meæ defenſionem rationem aliquam opponam. Hiſtorice dumtaxat elogia referam quæ mihi celebris iſte Theologus panxit in duobus libellis contra me editis. In præfato libro inſcripto *Raccolta* &c. ſequentia ſcribit.

III. Pag. 8. Il P. Concina *è Autore di falſità, per ſempre decaduto da ogni merito d'eſſer creduto, e reſo per ſempre incapace di conſeguir fede di veritiero*. Pag. 10. *Straſcinato dallo ſpirito furibondo della maldicenza . . . calunnia i Probabiliſti, quai ciechi, quai maledetti*. Pag. 12. *Qual branco di malandrini, che ſpinge all'inferno tutto il Criſtianeſimo, ingannatori maeſtri che hanno alzata cattedra di peſtilenza, quaſi Anticriſti* &c. Pag. 65. *Teſta infiammata dagli ardori di paſſioni ſmoderate*. Pag. 68. *Riſpoſte, che ſono addentature furioſe di cane arrabbiato, e morſicature viperine, che tentano con isforzi perpetui la ſtrage univerſale della buona fama, e dell'onore di tutti gli Scrittori più acclamati*. Pag 76. *Lettore d'infimo grado, che ſolo vanta la primazia nelle maldicenze*. Pag. 76. *Moſtra la ſua ignoranza, e vomita la ſua bile*. Pag. 100. *Scrittore convinto di aver ricopiato moltiſſime impoſture dai libri dei Settarj, e ſoſpetti d'ereſia*. Pag. 137. *Non ſolo ha riempiuti i libri ſuoi di falſità ingiurioſe; ma nell'iſtoria del Probabiliſmo ha giurato che non mentiſce, quando è evidente che ha mentito*. Pag. 181. *Si potrebbe porre in queſtione, ſe il P. Concina abbia meſſa in dubbio l'obbligazione di non giurar il falſo, di non calunniar gl'innocenti, di non ſtrappazzare perſone meritevoli di venerazione, e di riſpetto*. Pag. 209. *E' un fabbricatore di maldicenze neriſſime con l'arte famigliare, ed inveterata in lui di mutilare, di adulterare, d'interpretare al roveſcio, alla peggio i fatti, i detti degli altri*. Pag. 205. *Poſſeduto da tre ſpiriti rei, d'odio, di rabbia, d'invidia, che confederati tra loro ne' più violenti bollori, non ſolo in parte, ma perpetuamente hanno dettato alla di lui penna le centinaja di maldicenze ingiuſte*.

IV. Vires inſtaura, & patientiam, chriſtiane lector, ut peiora & horrendiora audire forti animo valeas. Siquidem poſtquam animum meum a tribus malis ſpiritibus exagitatum ſuo blando penicillo delineavit, pergit poſtea deſcribere, quæ animus iſte meus furens & bacchans evomuit contra Inclytam Societatem IESU, & Ieſuitas, & celebriores cuiuſque ſtatus viros.

Digitized by Google

ros. Scribit igitur pag. 62. Il P. Concina *non bada a verità, ma ſolo a lacerare i Geſuiti con centinaja di falſità evidenti.* Pag. 63. *Da quelle ree paſſioni ſedotto il P. Concina ha ſtampato le centinaja d' impoſture falſiſſime contra de' Geſuiti.* Pag. 110. *Un Diſcepolo di CALVINO, di un ARNALDO, del CAPO DE TREMOLANTI non poteva avanzar di peggio, ed anche di peſſimo contro de' Geſuiti.* Pag. 129. *Soſtenta l'impegno aſſunto di ſcreditare a tutta forza i Soggetti della Compagnia, che riſplendono nel mondo con maggior decoro.* Pag. 136. *Il P. Concina è uno de' peggiori, e più inſerociti nemici che abbia avuto la Compagnia, da lui infamata all'eſtremo, e contro cui ha tentato i peggiori sforzi per ottenerne, e vederne la deſtruzione .... L' intereſſe della Compagnia verſa nel dimoſtrare, come i libri del P. Concina, ne' quali ſi favella de' Geſuiti, ſono un conglobato di falſità maniſeſte, d'impoſture ingiuſtiſſime, d'invettive iniquiſſime contro di eſſa. E perciò il P. Concina deve conſiderarſi come uno de peggiori e più inſerociti avverſarj di eſſa: ingratiſſimo a' ſervigi ricevuti da' figli di eſſa Religione ... A quali beneficj altra corriſpondenza non ne ha riportata la Compagnia ſe non l'eſſere ſtata calunniata di peggio che non hanno fatto i medeſimi ERETICI .... L'intereſſe della Compagnia è, che rimangano ſcoperte e deteſtate le arti inſidioſe, direbbe altri traditrici, che uſa il P. Concina col fingerſi di frequente amico della Compagnia.* Pag. 192. *La ſua ignoranza probabilioriſtica, e il ſuo rigido Probabilioriſmo gli hanno accordato lecito il denunziare per tutto il Mondo cattolico la maſſima parte dei Regolari per INFAMI violatori del loro voto, per figli di perdizione, e ſimili. Sapeva la buona fama, che appreſſo l'univerſale de' Criſtiani godono i Geſuiti. E pure la ſua ignoranza probabilioriſtica, e il ſuo rigido Probabilioriſmo gli hanno conceſſo di coprirli di tali infamie, che PEGGIO NON SI POTEVA SCRIVERE DI UN ARIO, DI UN LUTERO, DI UN MELANTONE .... Apreſi largo campo da sfogare il ſuo ſpirito maldicente a sfregio ingiuſto di migliaja di perſone vive, e defunte di quaſi tutti gli ſtati e condizioni di perſone, Prelati, Parrochi, Regolari, Teologi &c. Il precetto ottavo della legge divina è pur chiaro .... L'ignoranza probabilioriſtica del P. Concina gli ha inſegnato, che queſto precetto non ſi eſtenda a vietare quelle tante falſità obbrobrioſe, delle quali ha fatto teſtimonio, e con cui ha lacerata la buona fama de' ſoprannominati Soggetti a migliaja ... Oh poſſanza formidabile dell'ignoranza probabilioriſtica di eſſo P. Concina!* Pag. 209. *L'affollamento di falſità, di maldicenze, d'invettive ingiuſte è così denſo ne' due Tomi*

del Probabiliſmo, ſicchè appena varj Volumi in foglio ſarebbono ſufficienti ad impugnarli come ſi conviene. Pag. 210. *Preme al ſommo che rimangano giuſtificati, e mantenuti nel loro inveterato poſſeſſo di virtù, e di ſana dottrina que' tanti illuſtri Dottori che dall' Autore della Storia vengono ingiuſtamente ed iniquamente infamati; ma ſpecialmente quelli che eſſo ha macchinato di far credere altrettanti ATEISTI.*

V. *Certamente dacchè la COMPAGNIA è comparſa al mondo, non è ſtata berſagliata da libri peggiori, quanto dai Tomi della Storia ſuddetta, e da altri di lui libri. Poichè in eſſi non ſolo ha radunato quanto di peggio è ſtato ſcritto contro di eſſa Compagnia con aggiungervi aſſai del ſuo. Ma alcune circoſtanze vi ſono concorſe, che hanno coſtituiti detti libri di ſfregio il maggiore che poſſa conſiderarſi. Tali ſono il nome dell' Autore* (il P. Concina) *ſtampato in fronte a dette opere, il quale ſi profeſſa Religioſo di ſtretta oſſervanza, Lettore di ſagra Teologia, Predicatore per venti anni della ſevera Morale, il quale non abbia avuta altra mira ſe non difendere la verità a comune profitto, nè ha dato luogo a ſpirito di fazione, o d'impegno. Chiama perfino Iddio in teſtimonio con S. Paolo, che non mentiſce.*

Quelli che in avanti hanno inſultata la Compagnia con altri libri, o ſi ſono fatti conoſcere per Settarj, o non oſarono piantarvi il ſuo nome in fronte. E però non hanno pregiudicato tanto. L' Autore della Storia (il P. Concina) *è diſceſo in battaglia, e ſi è preſentato a viſiera ſcoperta, e di più coll' invocare il Signor noſtro Gesù Criſto nell' atto ſteſſo di combattere.* Hoc ne horrendum ſcelus?

VI. *Altro vantaggio ha goduto il medeſimo* (P. Concina) *di poterſi maneggiar tanto, ſicchè per più anni ha reſo inacceſſibili a' difenditori della Compagnia le ſtamperie di quelle contrade per le quali i di lui partigiani con la maggior ſollecitudine vendevano, o davano a leggere le di lui maldicenze contra a' Geſuiti.*

Guai, guai a' Geſuiti, ſe l' Autor della Storia (il P. Concina) *non ſi foſſe ſvergognato, e ſcreditato in avanti con que' due libri, co' quali diſſeminò maldicenze ingiuſte contra la maſſima parte de' Monaci, de' Regolari dell' uno e dell' altro ſeſſo, come anche de' ſuoi confratelli, figli del comun Padre S. Domenico. Anche le altre falſità inique da lui diſſeminate nella Quareſima Appellante contra i Parrochi, ed Amminiſtratori di Sagramenti, come anche a ſfregio di celebri Teologi, hanno ſomminiſtrate nuove pruove della di lui INSAZIABILE MALDICENZA: per la quale ſi è reſo indegno di ottenere ſede da' ſaggi leggitori delle di lui opere ſeminate d'impoſture perpetue. Quei di lui E-*

NOR-

NORMI SPROPOSITI ſono ſtati l'arma più forte con la quale i Geſuiti da' di lui colpi furibondi ſi ſono riparati.

EPIPHONEMA MEDITANDUM.

VII. Refugit calamus ultra pergere. Quare *epiphonema* reſcribo, quo P. Iacobus Sanvitali narrationem ſuam concludit, quodque attentiorem poſtulat meditationem. Hæc itaque ſcribit pag. 114. *Ringrazii la propizia fortuna, che SIN ORA gli ha fatto godere una immunità, da cui NIUN ALTRO fuorchè eſſo di ſimile loquacità è ito eſente SIN AD ORA.*

VIII. Audiſtin'? Nemo hucuſque eorum qui Theologiam accommodatitiam vellicarunt, immunis evaſit. Omnes iſti ne paſſi ſunt exilia, proſcriptiones, carceres &c.? Solum me *fortuna propitia hactenus* incolumem ſervavit. *Impoſterum* quid futurum erit, mi Pater? Fortunæ ne vitam meam fidam? Abſit. Audias R. Pater, & tecum auſcultent omnes. Et hucuſque ſemper ego dixi, & impoſterum ſemper canam: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?* Pſal. XXVI.

IX. Ab hoc libro inſcripto *Raccolta* &c. ad alium eiuſdem P. Iacobi Sanvitale librum, cuius eſt titulus: *Paradoſſi veri contrappoſti* &c. tranſeo. In hoc libello benigniſſimus Auctor eadem ſingulis paginis repetit elogia quæ mihi in præcedenti libro cecinit. Unum & alterum tantum brevitatis gratia reſcribo. Pag. 24. hæc habet. *Strilla furioſamente* il P. Concina *con dire: Sembrami ſpecie di ſoperchieria il veder combattere tanti contra un ſolo. Come? Soperchieria? Non è forſe ſtata arditezza portentoſa che un ſolo abbia oſato di berſagliare il primo centinaja di migliaja di quaſi tutti gli Ordini di perſone, Monaci, Regolari, Parrochi, Teologi, Confeſſori con colpi orribili di peccati mortali? E poi ſarà ſoperchieria, ſe una ventina di eſſi ſi metta in parada per ribattere le numeroſe palle avverſarie? Un ſolo contra tanti Letterati: e pochi Letterati contra un ſolo inſidiatore alla buona fama di tanti? Penſava forſe il P.* Concina *d'eſſere un altro Goliad?* &c.

Pag. 29. *E quanto all'onore della Compagnia, ſi ſappia, che i libri del* P. Concina *ſono i peggiori ſopra gli altri uſciti in DUGENTO ANNI dopo il di lei Inſtituto approvato dalla S. Sede: sì perchè in eſſi*

eſſi ſi compendia quanto di peſſimo ſi trova diſtribuito in altri, sì perchè eſſo vi aggiunge del ſuo imputazioni moſtruoſiſſime contra i più moderni Teologi di eſſa.

Pag. 30. *Quello poi che il* P. Concina *ha ſcritto contro de' Geſuiti nella pag.* 583. *del primo Tomo, e nel ſecondo Tomo pagine* 403. *e* 492. *contiene accuſe così orribili, che di peggio non può dirſi del più perverſo, e maligno ERESIARCA, il quale abbia combattuta la Chieſa . : . . Si vuole che gl'immenſi volumi de' Geſuiti, e que' tanti loro ſtudj mirino unicamente a combattere il Vangelo, e far prevalere una Morale Epicurea, oppure combinare un impaſto dell' Evangelio coll' ALCORANO. I SOLI, SOLI ATEISTI ſarebbono capaci di operare moſtruoſità così enormi. Contuttociò infamità così deteſtabili ſi oppongono a tanti dottiſſimi, e giuſtiſſimi Teologi della Compagnia.*

Pag. 206. & 207. *Queſta tempeſta di maldicenza, che ſempre più aumentava, fece perdere la pazienza ad alcuni pochi Geſuiti, e gli fece traſcorrere ad un fallo grave, il quale fu di tentare la ſtampa di ALCUNI LIBRICCIOLI ſenza la dovuta facoltà de' Superiori eccleſiaſtici.*

X. Tam ſinceram & ſpontaneam confeſſionem numquam expectaſſem. Et libri P. Sanvitale ſunt ne cum facultate poteſtatis eccleſiaſticæ impreſſi? Hiſtorici munus geſſi, & ut datam ſponſionem impleam, nec verbulum repono, quo maledicta in me contorta repellam.

XI. Elogium dumtaxat quod in hunc librum compoſuit P. Zaccaria, reſcribo. Inquit enim in ſua *Hiſtoria litteraria* pag. 53. & 54. *Il metodo che tiene queſto Raccoglitore di falſità, è quello ſteſſo che fu uſato dall' Autore delle Oſſervazioni ſopra i primi cinque capi dell' Eſame Teologico. Si citano alcune parole dello Storico, e poi ſi dimoſtra la falſità che in eſſe contienſi. Queſta è una maniera di ſcrivere, che in tutte le Apologie dovrebbe ſeguirſi.*

XII. Omnes ergo Apologiæ ad normam Apologiæ P. Sanvitale ſcribendæ ſunt? Sic definit ſupremus Eruditorum Italiæ Cenſor. Quam rectum, & prudens ſit iudicium, venuſtiſſimæ argumentationes a me reſcriptæ oſtendunt. Pergit ibidem Cenſor: *Forſe lo Storico del Probabiliſmo e del Rigoriſmo non ha avuto contraddittore più moleſto.* Adverſarium maiori dignum commiſeratione me non habuiſſe, ſincere teſtor. Ducentas & ſexaginta falſitates collegit ex Hiſtoria Probabiliſmi hic permoleſtus adverſarius. Quænam peiores? Quænam infeſtiores Societati? Te-

Digitized by Google

Teſtimonium perhibeat ipſe Cenſor Litteraturæ Italicæ, qui hæc ibidem ſcribere perſequitur. *Diamo due ſaggi di queſte falſità. Primo ſaggio.* Quodnam iſtud primum libamentum? Ecce. Auctoritate Merendæ, & Fagnani ſcripſi, PP. Theatinos decretum edidiſſe adverſus Probabiliſmum. Falſum reponit P. Sanvitali probante P. Zaccaria. Eccur? Quia *Diana*, *Novarinus*, *Paſqualigus*, & alii plures defendunt Probabiliſmum? Næ iſta argumentatio digna tantis cenſoribus! Tamburinus, Eſcobarius, Buſembaum propugnant opiniones minus ſecuras. Ergo conſtitutiones Societatis non præcipiunt: *Sequantur SECURIOREM, & magis approbatam doctrinam?* Leges non obſervantur. Ergo non extant? Hæc eſt norma in ſcribendis Apologiis ſervanda? Subdit P. Zaccaria. *Secondo ſaggio.* Quodnam iſtud? Scripſi, *P. Petitdidier* Auctorem eſſe Apologiæ Epiſtolarum Provincialium. Non ne monſtroſa eſt falſitas iſta? Eruditis compertum eſt dictum *Petitdidier* eſſe præfatæ Apologiæ Auctorem, & nota rationum momenta, cur poſtea negaverit talem fetum ſuum eſſe. Ceterum falſum ſit decretum Theatinorum, falſum quod P. Petitdidier ſit indicatæ Apologiæ Auctor; illud tamen verum eſt P. Zaccaria inter ducentas & ſexaginta falſitates has duas delegiſſe tamquam omnium enormiores, & horrendiores ex hiſtoria Probabiliſmi collectas, quibus evincere conatur P. Sanvitali me eſſe Inclytæ Societati *hoſtem omnibus hæreſiarchis ferociorem.* Quod ſi iſtæ duæ falſitates, quas tamquam omnium horrendiſſimas opponit Italicæ Litteraturæ Cenſor, ſunt duæ nugæ, duæ manifeſtæ ineptiæ; duo colligant Lectores. Primum, cuius valoris ſint ceteræ omnes falſitates. Alterum, quam ſit ſolida critice Cenſoris Litteraturæ Italicæ, & quam denſa præiudiciorum caligine circumfuſa ſit eius mens, & quanta affectuum perturbatione circumventa.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Specimen libri P. Gaſpari Ioſephi Gagna.

I. PRæcedenti methodo inſiſtens, hiſtorice reſcribo laudes quas mihi canit P. Gagna in ſuo opere inſcripto *Lettere d' Eugenio* &c. His verbis orditur ſuam præfationem pag. I. *La morale dottrina de' Geſuiti, ed il loro coſtume eziandio nella Storia del Probabiliſmo ſono dipinti dal* P. F. Daniello Concina *a colori sì tetri, che finchè in credito di ſincera quella mantengaſi, forza è che dall' Italiano popolo, per le cui mani girano i famoſi volumi che la comprendono, riputati ſieno que' Religioſi quai maeſtri principali delle laſſe opinioni, ed i principali corrompitori della Morale di Gesù Criſto. Eſſi ſopra d' ogni altro ſi fanno colà paſſare per quelle cieche guide, che al cieco popolo la mano porgendo, ſeco lo traggono in perdizione . . . . . Fin tanto adunque che all' apocrifa Storia nome rimanga e fama di veritiera, facile ſarà ad avvenire che gli Operai della Compagnia venuti in abbominio, ed in orrore preſſo di chi tra il ſemplice popolo ama ſalvarſi, ſieno da ognuno a tutta poſſa sfuggiti, anzi eſecrati quali ASSASSINI delle anime.*

Pag. 15. *Queſt' Opera Conciniana* (hiſtoria Probabiliſmi) *è in ſoſtanza un palazzo incantato poſto in aria, e di mera apparenza: un accozzamento, ed un intreccio continuo di ſole, di aggravj, d' importuni entuſiaſmi, di declamazioni gittate fuor di propoſito, d' invettive che battono l' aria* (ergo non Ieſuitas) *e tramandate ſono ſtate alla penna da bollore di fantaſia agitata, da bile contro certo rango di perſone.*

Pag. 119. e 120. *A qual parte di zelo, o di tal altra virtù riducete voi l' adoperarſi ch' ei fa con ogni sforzo a formare di preſſochè tutt' i Morali Teologi quel difforme Ritratto, e ſconcio, che pur miriamo gittato di qua, di là in ogni angolo delle ſue carte . . . . E come dunque il P. Lettore* (Concina) *gli ha sì mal concj, che a voler ſtare a ciò che ne fa credere il ſuo gentil pennello, per difformare il coſtume e per guaſtarlo, nulla di più corrotto o pernicioſo in genere di Morale caduto è dalle penne de' LUTERI, de' CALVINI, e direi quaſi di MACOMETTO . . . . Detto ho che egli* (il P. Concina) *fa tale pittura di preſſochè tutti i Morali Teologi: ed ho detto vero . . . . Ella è però notoria coſa che eſſi (e dicolo con modeſtia) ſcritto non hanno*

Digitized by Google

no con cautela punto maggiore di que' che da lui (P. Concina) *dati ſono per ASSASSINI della dottrina evangelica.*

Pag. 424. La Storia del Probabiliſmo *è un impaſto ben addenſato di ſole : uno SCOLATOJO nominar lo potete, in cui derivata ſi vede non piccola parte di tanto che a diſcredito de nominati Religioſi in materia di morale dottrina ſparſo ſi trova in più libelli di certi famoſi Scrittori* &c.

Neque ad hæc omnia quidquam repono, cum ſatis mihi fuerit illa ſincere reſcripſiſſe.

§. III.

Specimen Libri P. Nicolai Ghezzii.

I P. Nicolaus Ghezzius adverſus meam *hiſt. Probabil. & Rigoriſ.* nonnullos *Dialogos* evulgavit, quibus ego oppoſui librum inſcriptum *Eſame Teologico*. De more non ſiluit P. Nicolaus, qui artem ſilendi in cauſis afflictis adhuc non didicit, ſed alterum opuſculum inſcriptum *Rifleſſioni ſull' Eſame Teologico* edidit, ut ultimus in ſcribendo eſſet; quam gloriam nihil ei invideo, immo plenam illi relinquo. Neque cum iſto ullam prorſus inſtituam de Probabiliſmo diſputationem. Unam dumtaxat impoſturam, quam mihi impingit, & quæ omnem ſuperat fidem, hiſtorice narrabo. Nonnulla ego teſtimonia P. ALBERTI DE ALBERTIS celeberrimi Ieſuitæ adverſus quorumdam Caſuiſtarum, & Confeſſariorum Theologiam accommodatitiam e latino in italicum idioma fide ſumma verti. Incredibile gravamen, quod impingere mihi adverſarii ſolent, eo ſemper recidit, ut me hoſtem infenſum, & diffamatorem expingant celeberrimæ, & de Eccleſia Dei optime meritæ Soc. IESU. Provocavi ſæpe, & ſemper provocabo ut vel unum verbum, non dico contumelioſum, ſed minus officioſum erga tam perinſignem Communitatem a me dictum obiiciant. Et hoc præſtare numquam potuerunt, nec, Deo dante, poterunt.

II. Audi, & obſtupeſce lector. P. Nicolaus Ghezzius opponit mihi verba quæ ego in italicam linguam ex recitatis teſtimoniis latinis P. Alberti de Albertis clariſſimi Ieſuitæ verti. Alto ſilentio obvolvit textum latinum P. De Albertis, & meam

meam italicam germanam verſionem Reipublicæ litterariæ repræſentat tamquam ſatyram, & calumniam præfatæ Societati a me impactam. Et quia factum incredibile videtur, lubet illud paucis demonſtrare. P. Nicolaus Ghezzius igitur hæc mihi opponit *epiſ.* VIII. *pag.* 205.

III. „ Ma ella non è più in caſo neppur di giuſtificarſi per „ queſta via: poichè sì a lungo, e con tanta energia, e in „ tanti luoghi va predicando, che gli enormi abuſi da' Proba- „ biliſti introdotti nella Morale, e nella praſſi, non ſono frut- „ to della loro ignoranza, ma della loro eſpreſſa malvagità." Pag. 206. „ Baſti traſcriverne qualche tratto, perchè vegga ſe „ io punto eſagero." Continuo tranſcribit mea verba italice ſcripta, quæ ſunt ſequentia.

P. Concina Tom. I. hiſt. Probabiliſ. &c. pag. 588.	*P. Albertus de Albertis Soc. IESU in Prælud. ad Paradox. mor.*
Queſta politica carnale è quella che impiega gli ultimi sforzi dell' erudizione, dell' induſtria, della accortezza, per far prevalere nel mondo le opinioni favorevoli alla carne, e al ſangue.	„ Hæc illa prudentia carnis, „ quæ vires omnes ſolertiæ, „ eruditionis, induſtriæ, ac „ ſtudii ad opiniones carni & „ ſanguini favorabiles inve- „ hendas, muniendaſque, ad „ oppoſitas vero animæ, ac „ ſpiritui ſalutares convellen- „ das, & labefactandas ex- „ promit.

Eſt ne quidquam in mea verſione vulgari quod non ſit in textu latino P. Ieſuitæ De Albertis?

IV. Pergit P. Nicolaus Ghezzius continuo ibidem mihi improperare, quod ſcripſerim adverſus Probabiliſtas.

	P. Albertus de Albertis Ieſuita.
Multi decidono le morali controverſie di ſoggia tale, che pajono più toſto ſervi venali del favore, e del patrocinio delle perſone, che ſince-	„ Multi morales controverſias „ ita ſubinde definiunt, ut „ non tam veritati quam per- „ ſonarum gratiæ VENALI- „ TER

Digitized by Google

ri amatori della verità . . . Queſti, ſedotti da una ſmodata e cieca brama delle terrene coſe, non iſtudiano per rinvenire la verità, ma con aſtuzia più volpina tentano di ſeppellire la verità ſteſſa più ſplendida dentro l'abiſſo caliginoſo delle tenebre.

„ TER ancillari videantur.... „ Nam qui rationis non defæcatæ præſcripto ducuntur, ſed cæcæ appetitionis impetu abducuntur, non ſolum veritatem ipſam e tenebris minime eruunt, ſed in meridie quoque licet clare micantem, multa *politicorum fucorum, vulpinorumque reſpectuum caligine* obvolvere, ac de terrarum orbe in cimmeria antra detrudere mire ſatagunt."

V. Quot crimina in uno facinore? Mihi ſceleri vertit P. Nicolaus Ghezzius, quod diffamaverim Probabiliſtas. Ut id evincat, recitat aliquas periodos fide ſumma verſas ex textu latino *P. De Albertis* Ieſuitæ. Et hoc latinum teſtimonium occultat, ſilet, præterit? Næ iſta genuina ſinceritas? Næ iſta fides bona? Textus quippe latinus & verſio italica coniuncta in eadem pagina ſunt, nec unum ſine altero legi a P. Ghezzio potuit. Sed hoc parum eſt. Quid heinc homo ſinceriſſimus infert? Quid? Infert me eo omnia collineare, ut talem Probabiliſtarum COETUM carpam, vellicem, infamem. Sic enim ſcribit pag. 210. *Ben veggo, che ella mira a ſcreditare ſoltanto UN TAL CETO di Probabiliſti, cui ſoli vorrebbe eliminati dal mondo*. En alterum ſcelus. Numquid P. ALBERTUS DE ALBERTIS S. I. infamavit *talem cœtum*? Si non ille, cur ego, qui illius verba latina verti fide ſumma? Numquid in ſolo tali cœtu Probabiliſtæ? Numquid in ſolo tali cœtu Confeſſarii? Numquid in ſolo tali cœtu Theologi? Numquid in ſolo tali cœtu Conſiliarii? Cur ad talem cœtum reſtringis quæ ego ex doctiſſimo Ieſuita *De Albertis* indefinite ſola verſione ſcripſi? Quid ad hæc REVERENDUS P. NICOLAUS? Si tu in me deprehendiſſes (non dicam, obſequii erga te mei cauſſa, ſimilem impoſturam, & calumniam) ſed tale PARADOXON, cælum terræ miſceres, & clamoribus mundum univerſum repleres. Ego autem hæc & cetera omnia ad Chriſti crucem appendo, oroque enixe ut in-

Digitized by Google

infinita ſua miſericordia omnia tibi, ſicut & mihi dimittere dignetur. Hæc enim unice reſcribo, ut intelligant lectores, quæ ſit adverſariorum meorum ſinceritas, modeſtia, & maturitas.

§. IV.

Specimen Libri P. Franciſci ZECH *inſcripti* Rigor moderatus doctrinæ pontificiæ *&c.* Diſſertatio II. inauguralis ſpecimina exhibens moderationis pontificiæ a *P. Daniele Concina* violatæ *&c.* Præſide P. Franciſco Zech S. I. SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horumque Profeſſore publico, & Iuris Primario *&c.* *Ingolſtadii* 1749.

I. AB Italis Scriptoribus ad excipiendum Germanum Theologum, & Canoniſtam in alio diſputationis, & argumenti genere me converto. Is eſt *P. Franciſcus Zech*, quem mihi ſuccenſum delinire mitiſſima oratione, & humili obſequio ſtudui in mea ad *I. Tom. in Decal. præfat. cap.* XI. Verum ille elatis cothurnis, iterato e Germania irrumpens, me altera ſua *diſſert. inaugurali* elapſo anno 1749. edita impotenti impetu aggreditur. Suorum commilitonum ſtilum imitatus omnia convicia, improperia, & contumelias mihi ab aliis impactas, paucis ille perſtringit. Ut vero ſibi quoquomodo caveret, inventum excogitavit venuſtiſſimum, una & lepidiſſimum. Semetipſum partitur in perſonas duas, unam diſcipuli *P. Pichleri*, alteram Profeſſoris Primarii Ingolſtadienſis. Perſonam primam gerens, me laceſſere, & profligare conatur, & Pichlerianam doctrinam propugnat. Contra, ut Magiſter primarius eamdem doctrinam mecum improbat, refellitque. Hac figura, quæ nobis Italis nimium, ſit venia verbo, puerilis & ridicula apparet, quæque Theologi, & præſertim primarii Almæ Univerſitatis gravitatem, & ſinceritatem plurimum dedecere videtur, in tuto collocare omnia ſibi blanditur *P. Zech*. Epiſtolam, qua ex inſtituto *diſſertationem inauguralem* iſtius Doctoris primarii ſub examen induco, atque laxas in ea contentas opiniones pro meritis labefacto, prælo licet paratam, opportunam tamen nondum iudico. In præſentia amicabilem vellicationem, tam-

quam

Digitized by Google

quam libamentum eorum quæ in tempore dicturus ſum, præmitto, & nonnulla dumtaxat puncta in tranſcurſu attingam.

II. More meo primum omnium verba *P. Zech* ſinceritate exacta tranſcribo. Sic itaque ſcribit pag. 89. & 90. „ Hanc *ſo-*
„ *phiſmatum, & cavillationum farraginem* ſilentio præterire nefas
„ eſt. *Nolo tamen reſpondere meis verbis*, cum opinionibus R. P.
„ Pichler in hac materia *non adhæream*. Optabam ut alius exa-
„ men inſtitueret, an rationes Concinianæ tantum habeant
„ lanæ, quantum clamoris. Exhibui viro P. Pichler ſtudioſiſ-
„ ſimo, *utpote eius quondam diſcipulo*. Ne autem iſte verborum,
„ quibus *liber Concinianus horret, acerbitate* commotus, præ indi-
„ gnatione mox librum proiiceret, præmonui, *P. Danielem*
„ quandoque zelo late ſumpto prout involvit diſcretum, &
„ indiſcretum . . . . calamum paullulum acuiſſe. *Negabat ille,*
„ *hunc eſſe ſpiritum Dei bonum*; ſed P. Danielem NON MINUS
„ AC SAULEM AB ALIO SPIRITU exagitatum ſuſpica-
„ batur. Monui igitur ut bilem Concinianam . . . leniter ſe-
„ daret, EAMQUE TANGERET CHORDAM CUM
„ DAVIDE, qua refocillaretur P. Daniel."

III. Hæc eadem repetit *pag. 96.* ut altius lectorum animis impreſsum ſit, me cacodæmone Saulis exagitatum, errorem P. Pichler labefactaſſe. *Fruſtra ſurdo pſallimus . . . . nititurque configere Pichlerum in pariete. Declinavit David a facie SAUL. Lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem. An declinare ictum ſimiliter poterit P. Pichlerus? Declinare non poſſe credit P. DANIEL.*

IV. Pag. 109. *Perge MI BONE, non obſtante ſententia P. Pichler, perge decantare in CHORO Pſalmorum textus contra uſuram.*

V. Dignum Doctore Theologo, & Profeſſore primario ſcomma! Siccine *P. Franciſce* Religioſos viros ſacrum chorum frequentantes derides, ſibilas, deſpicariſ? Quod me, *P. Zech*, malo ſpiritu Saulis correptum diffamaveris, libentiſſime fero, tibi gratias rependo ſummas. Verum enimvero quod ſacrum pſalmodiæ cantum ſolemni ritu in choro peragi ſolitum deridendum propines cum hæreticis, tum Catholicis, non feram, non patiar; ſed ſuo tempore diſſertationem emittam, & quid S. Pius V. pro Patribus *Quintinis* ſtatuerit declarabo. Interim pergam ego bonus homo, ut tu iubes, humili capucio, iuxta ritum ab Eccleſia probatum, tectus canere in choro divinos Pſalmos: & P. *Franciſcum Zech* galero quadrato redimitum e

Ca-

Digitized by Google

Cathedra primaria Ingolſtadienſi detonantem humili obſequio ſuſpiciam colamque, cum colere Deum nequeam, niſi colam & fratrem meum iniuriantem & irridentem.

VI. Pag. 92. *Pruriebat inquieti zeli homo ad impugnandos aliquos Germanos, cum pugnæ cum Italis non prorſus feliciter ceſſerint.*

VII. Eccur, *P. Franciſce*, pugnæ cum Italis feliciter mihi non ceſſerunt? Forſitan quod laxam contra ſacrum quadrageſimale ieiunium doctrinam profligaverim, eamque Eccleſiæ diſciplinam propugnaverim, quam Romana Sedes non uno, ſed duplici decreto probavit? Forſitan quod ſubimpudicam tactuum mamillarium ſententiam penitus contriverim, quamque Romana Sedes anathemate percuſſit? Forſitan quod Probabiliſmum exagitaverim, eiuſque conſectaria pernicioſa patefecerim? Quid ergo non mihi in Italia feliciter ceſſit? Forſitan quod adverſarii mei, quorum ſupra meminit P. Iacobus Sanvitali, rationum pondere preſſi, cum quid reponerent, non haberent, eo ſe receperint ut libellis famoſis, & quidem execrandis, & a Romana Sede proſcriptis laceſſiverint? Forſitan quod eiuſmodi libellis, etiam poſt proſcriptionem recuſis nullum præbuerim reſponſum, ſed chriſtiana patientia, & religioſo ſilentio obmutuerim? *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.*

VIII. Hactenus P. *Zech* ſub perſona diſcipuli primum ſcenæ actum recitavit, miſſis plurimis ſuo tempore excutiendis. Nunc poſita diſcipuli veſte, inſignia Profeſſoris primarii explicans in theatrum prodit, plauſum ſibi ut diſcipulo canens, quod P. Danielem acriter verberaverit, eique recordatur vulnera hæc *baſia eſſe roſarum*. Hæc ſunt P. Franciſci verba pag. 138. & 139 *Hucuſque diſcipulus P. Pichler famam, & doctrinam ſui Magiſtri propugnavit.* (N. B. Alibi negas & pernegas doctrinam Magiſtri tui propugnare) *Quibus viſis mox incuſavi prolixitatem . . . Ille laudem potius a brevitate ſe meritum ratus digitum intendit in Commentarium Concinianum. Quærenti mihi an lenitatis ſemper memor fuerit, reſpondit: Si P. DANIEL SE TANGI SENTIAT, ROSARUM BASIA videri debere præ ſpinarum aculeis, quibus ille confixerat Pichlerum.* Baſiant ne P. Franciſce roſæ Ingolſtadienſes, an baſiantur? Forſitan ego lepores, & veneres *P. Zech* non percipio, quia linguam teutonicam non calleo. Et tamen hominem hunc latiniſſimum haud puduit unum men-

dum

Digitized by Google

dum typographicum mihi exprobrare, cum vix una ſuarum Diſſertationum pagella lepidulis barbariſmis careat. At non ne feritatis ſpeciem redolet, ſauciato inſultare? Sciat tamen Reverentia ſua, nec tantillum me his *roſarum baſiis* tactum ſenſiſſe. Quin non parum riſi, eruditiſque amicis vocatis una omnes ſpectabamus *P. Zech* nunc teutonicos iocos, & valde craſsas facetias fundentem, nunc anguſtiis argumentorum Fr. Danielis preſsum, modo ſub larva diſcipuli, modo ſub perſona Magiſtri moras nectentem, & fugere eluctantem.

IX. Hactenus paucas ex plurimis contumelias, quas in me intorſit P. Zech, perſtrinxi: nunc artem, qua refellit, & ſimul defendit doctrinam P. Pichler breviſſime adumbrabo. In ipſa præfat. P. Zech hæc ſcribit pag. 8. *Quid opus erat tantopere debacchari contra Ingolſtadienſes ob ſententiam P. Pichler, quam NULLUS ex modernis Profeſſoribus, quantum mihi conſtat, umquam propugnavit?*

X. *Nullus* Profeſſorum Ingolſtadienſium propugnat doctrinam P. Pichler? Sic ſcribit P. Zech in præfatione: deinde ille ipſe P. Zech ſub larva diſcipuli hæc fatur pag. 97. *Si igitur non vocem, ſed ſenſum P. Pichler conſidero, SOLIDAM, FIRMAM, VERE CATHOLICAM DOCTRINAM, ET RATIONEM doctrinæ traditam REPERIO.* Solida, firma, & vere catholica eſt doctrina P. Pichler; & ſimiliter ratio doctrinæ traditæ robuſta, & valida eſt? Et *nullus* Doctorum Ingolſtadienſium audet alterius emeriti & percelebris eiuſdem Univerſitatis Profeſſoris doctrinam ſolidam, firmam, & vere catholicam propugnare? Ubi grati animi teſtimonium erga præclarum Socium? Ubi decoris Univerſitatis ſtudium? Sed fallor ipſe. Eam defendit *P. Zech* ut Pichleri diſcipulus. Illam vero oppugnat ut Profeſsor primarius. Oh dignum Profeſsore primario Ingolſtadienſi ſtratagema!

XI. Audiat *P. Zech* iudicium quod in doctrinam P. Pichler pronuntiavit doctiſſimus Theologus Germanus. Is eſt Cl. vir D. EUSEBIUS AMORT de Republica litteraria optime meritus, multiplici ſcientiarum genere excultus, & ſanioris doctrinæ ſtrenuus vindex, qui in opere inſcripto *Diſquiſitiones dogmaticæ* &c. Venetiis edito *pag.* 314. hæc ſcribit. „ Ut autem in„telligatur hæc adverſariorum ſententia, eam do ipſius P. „Viti Pichler verbis *in Sum. Iuriſprud. Lib. V. tit.* 19." Deſcripta

in-

Digitized by Google

integra P. Pichler ſententia, ſic decernit. *Dico. Hæc propoſitio &c.* .... *eſt PROPOSITIO AUT IMPERITA, AUT HAERETICA.* Deinde tum imperitam, tum hæreticam eſse inconcuſſis argumentis evincit. Quid quod ipſe P. Pichler *loc. cit.* ingenue teſtatur ſuam doctrinam eſse *CONTRA COMMUNEM, maxime THEOLOGORUM* catholicorum. Quare in eiuſdem ſuæ doctrinæ præſidium citat *Molinæum, Donellum, Hotomanum, Matthæum Colerum*, a Romana Sede proſcriptos.

XII. Quid ad hæc P. Franciſcus *Zech?* Reſpondet, ſe ut diſcipulum defendere Magiſtri ſui P. Pichleri doctrinam tamquam *ſolidam, firmam, & vere catholicam*. Ceterum ut Profeſsor Primarius hæc ſcribit pag. 139. *Fœdus inibo cum P. Daniele, & impugnabo doctrinam P. Pichler*. Rurſus hoc confirmat pag. 149. *Ex his omnibus deducitur neminem indignaturum P. Danieli, quod reiiciat TITULUM a P. Pichler aſſignatum, nempe ſtatutum PRINCIPIS, aut conſuetudinem: quem titulum nec EGO, nec PLERIQUE alii Profeſſores Univerſitatis Ingolſtadienſis agnoſcimus. Omnes tamen indignabuntur, quod id* præſtetur *ſophiſticis illationibus, hyperbolicis exaggerationibus, falſis imputationibus, aliiſque Theologo parum dignis argumentis.*

XIII. Rogo nunc ut Reverentia Veſtra audire dignetur argumentationem, quam hoc pacto inſtituo. Iuxta omnes ad unum Catholicos, doctrina quæ defendit, licitum eſse exigere aliquid ſupra ſortem ex contractu mutui, ſecluſo omni prorſus titulo, eſt doctrina hæretica. Hæc *prima propoſitio* nulli ſubiacet tergiverſationi penes Catholicos. *Secunda propoſitio*. P. Pichler docet, licitum eſse exigere aliquid, puta quinque in centum, ſupra ſortem ex mutuo, abſque omni titulo, præter ſtatutum Principis, aut conſuetudinem; quem titulum improbat ipſe P. *Zech*, & reiicit cum pleriſque aliis Profeſsoribus Ingolſtadienſibus. Hæc *ſecunda facti propoſitio* evidentiſſima eſt ex verbis ipſius P. Pichleri, & P. Zech. *Tertia propoſitio*. Ergo ſecundum ipſum P. *Franciſcum Zech*, & pleroſque Profeſsores Ingolſtadienſes doctrina P. Pichler eſt hæretica.

XIV. Quoniam vero P. *Franciſcus* demonſtrationes meas, vel evidentiſſimas, quoad materia fert, ut ineptias, & ſophiſticas cavillationes depingere partiario ſuo popello urbaniſſime dignatur, lubet eiuſdem aures rurſus paullulum defricare. Quæro igitur quamnam propoſitionem in diſcrimen adducat? Primam?

Digitized by Google

mam? Abſit. Negaret enim catholicum dogma. Secundam? Non ſane. Eſt enim ſuis verbis compacta. *Ex his deducitur* (inquit) *NEMINEM indignaturum P. Danieli, quod reiiciat titulum a P. Pichler aſſignatum, nempe ſtatutum Principis, aut conſuetudinem: quem titulum nec EGO, nec plerique alii Profeſſores Univerſitatis Ingolſtadienſis agnoſcimus.* Atqui P. Pichler, ut iam dixi, ſed bis dicendum eſt, ut percipiatur a Doctore primario, licitum iuſtumque aſſerit lucrum ex mutuo, omni titulo ſublato, præter ſtatutum Principis, & conſuetudinem. Hunc titulum P. *Franciſcus* reiicit ut falſum & commentitium cum pleriſque Profeſſoribus Ingolſtadienſibus. Ergo iuxta P. *Franciſcum* & pleroſque Profeſſores Ingolſtadienſes doctrina P. Pichler eſt hæretica. Rogo, & provoco cum P. *Zech*, tum omnes Ingolſtadienſes ut præciſum nitidumque reſponſum huic argumentationi præbeant. Præterea P. Zech defendit, doctrinam P. Pichler eſſe *ſolidam, firmam, vere catholicam*. Alterutrum ergo. Aut fateri Profeſsor primarius cogitur, lucrum ex mutuo abſque omni prorſus titulo eſse licitum & iuſtum; & hæc iuxta omnes Catholicos eſt manifeſta hæreſis: aut confiteri aſtringigitur doctrinam P. Pichler eſse hæreticam. Nulla hic P. *Franciſce* ad effugium via patet. Vereor dumtaxat ne argumentationem meam contra errorem, more conſueto detorqueant contra perſonas: me ſcilicet ſcribere P. Pichlerum, P. Zech, aliosque Profeſsores Ingolſtadienſes eſse hæreticos. Verum ſi tantum ſcelus mihi quiſpiam imponeret, non Theologum modo, ſed neque tyrunculum Theologiæ ſe proderet, ipſamque hæreſis notionem, quæ cum pertinacia ſemper coniuncta eſt, ignoraret. Evangelico zelo, & catholico animo æque P. *Zech* cum aliis ſuis Profeſsoribus defendit ut ſolidam firmamque doctrinam Pichleri, ac ego propugno eſse vi evidentis, ni fallor, ratiocinii hæreticam, uſquedum expreſse Eccleſia ſententiam dixerit. Idcirco autem hanc conſuetam impoſturam prævenio, quia P. *Zechius* non dubitavit evulgare in altera ſua diſſertatione, me appellaſſe almam Univerſitatem Ingolſtadienſem veluti *peſtilentiæ cathedram*. Quam atrociſſimam calumniam *in præf. Tom. I. in Decal. cap.* XI. penitus profligavi. Sed audiat P. *Zech* doctiſſimum Iſuitam Socium ſuum P. Ignatium Camargo, qui in *præf. ad Reg. Mor.* §. 12. ſcribit. „ Nemo iure reprehendat, quod diſputans in ſententiam benignam deduxe-

Digitized by Google

„ rit ex ea ſequelas plurimas, quas affirmet, aut probet eſse „ *longe horrendiſſimas, vel hæreticas, aut blaſphemas . . . . Alioquin* „ *argumentum ab abſurdo*, quod aiunt, ſeu ab impoſſibili, *quo* „ *nullum in Theologia frequentius eſt, oportebit de medio tollere*. “ Hæc recogitent tum adverſarii, tum illorum partiarii homunculi nonnulli ſane leviculi, qui non verecundantur contra ſanam doctrinam calumnias ſpargere; qui non erubeſcunt diſsertationem Zechianam erroribus & impoſturis ſcatentem in ſanæ doctrinæ detrimentum extollere.

XV. A neceſsario diverticulo in ſemitam redeo. Mecum ergo fœdus init P. *Zech* ut Profeſsor primarius, improbatque doctrinam P. Pichleri. Indignatur dumtaxat mihi, quod eamdem doctrinam refellerim *ſophiſticis illationibus, hyperbolicis exaggerationibus, aliiſque Theologo parum dignis argumentis*. Eſto. Ego opinionem Pichleri adverſam communi Catholicorum doctrinæ oppugnavi argumentis ex Scripturis divinis, Patribus, Conciliis hauſtis, quibus communiter utuntur Theologi contra Molinæum, Donellum, Hotomanum, Colerum, alioſque iſtius generis, quos pro ſua opinione citat P. Pichler. At tanta fuit imbecillitas mea, ut valida Catholicorum arma adverſus evidentem falſitatem tractare neſcierim pro aſserenda manifeſta veritate. Tuum ergo erat, P. *Franciſce Zech*, veluti Profeſsor, & Doctor primarius Pichlerianam doctrinam luculentiſſimis argumentis penitus labefactare. Quænam amabo in medium produxiſti argumenta? Curſim illa indicabo.

XVI. P. Zech *pag.* 140. incipit oppugnare doctrinam Pichlerianam his verbis. *Putat P. Pichler de facto exiſtere in Imperio Germanico ſtatutum permittens uſuras quicunces . . . . Mihi huc uſque ſors BONA non obtigit reperiendi eiuſmodi ſtatutum*. Papæ! Sors *bona* non obtigit reperiendi ſtatutum *permittens uſuras quicunces*. Et ſi ſors bona tuliſſet ut reperiretur tale ſtatutum, dogma catholicum contra uſuras quaſcumque occidiſſet in fumum nonne? Næ iſta ineluctabilis demonſtratio contra doctrinam Pichleri, Molinæi, Donelli, Hotomani, & aliorum ſimilium?

XVII. *Lubet rem altius* (pergit ibidem P. Zech) *ſcrutari*. Scrutatur a pag. 140. uſque ad pag. 148. *chartas vetuſtiſſimas*, & archiva, atque plurima facta quæ hoc de argumento in Germania variis temporibus contigerunt. Nullibi vero reperit ſtatutum allegatum a P. Pichler. Varia infarcit, quæ prætereo,

ne

Digitized by Google

ne nimio afficiam tædio lectorem. In tot vero paginis nec ſpecies ſolidi argumenti contra doctrinam Pichleri, Molinæi, Hotomani mihi apparuit: adeo ſunt hominum ingenia diverſa.

XVIII. Tandem P. Zech *pag.* 149. tranſit ad conſuetudinem allegatam a P. Pichler, ubi ſic argumentatur. *Eadem eſt ratio de conſuetudine. Hæc enim ſicut habet vires legis, ita etiam habere debet bonæ, & rationabilis legis qualitates. DURUM igitur dictu eſt auctarium ultra ſortem exigi mere ex conſuetudine, niſi oſtendatur medium acquirendo huic iuri aptum, quod approbetur uſu & conſenſu populi.*

XIX. En alterum inconcuſſæ demonſtrationis arietem contra doctrinam Pichleri. *Durum dictu eſt* auctarium exigi ultra ſortem *mere* ex conſuetudine, excluſo omni alio titulo? Non eſt ergo iſte error manifeſtus, dogmati catholico oppoſitus? Durum dictu eſt? Hæc robuſta ratio? *Durus eſt hic ſermo*, inquiebant Chriſti auditores. An propterea non verus? Familiare eſt pluribus Probabiliſtis dirimere quæſtiones per *durum & blandum*, per *rigorem moderatum*, & *immoderatum*,, quo diſſertatio inauguralis inſcripta eſt. At durum, & blandum ſunt panis & lecti proprietates, ſecus doctrinæ, cuius proprietates ſunt veritas, & falſitas. Audiat P. Franciſcus Zech ſapientiſſimum Ieſuitam P. Michaelem ELIZALDE, qui *Part. II. Lib. VI. quæſt.* IX. §. 7. opportune in rem noſtram hæc ſcribit. *Miramur plane, & miramur iterum, & gemimus morem illum de doctrina morum per DURUM & BLANDUM diiudicandi. Durum & blandum non doctrinæ, ſed lecti, & panis boni, vel mali proprietates ſunt.* Si ad hæc animum intendiſſet R. P. Franciſcus, haud impreſſiſſet libro ſuo hanc epigraphen: *Rigor moderatus doctrinæ pontificiæ* &c. *ſpecimina exhibens moderationis pontificiæ* &c. Quid eſt moderatio pontificia? Quid rigor moderatus doctrinæ pontificiæ? Quid iſta produnt? Ex eiuſmodi titulis veluti ex ungue leonem colligi librorum merita ſolent.

XX. Hæc pauca per tranſennam delibare placuit, ſperans fore ut P. *Franciſcus Zech*, exuta illa ridicularia figura Diſcipuli, & Magiſtri, velit candide & ſincere, ut Theologum decet, erroneam P. Pichleri, Molinæi, Hotomani, Donelli, & Coleri doctrinam improbare, tamquam dogmati catholico hoſtiliter adverſam. Retractet ergo neceſſum eſt omni tergiverſatione ſublata, propoſitionem illam, videlicet doctrinam P.

Digitized by Google

Pichleri, *Molinæi* &c. *eſſe firmam*, *ſolidam*, *& vere catholicam*. Recogitet, non decere Theologum, & quidem primarium Univerſitatis, eodem ore calidum & frigidum, durum & blandum, verum & falſum emittere, & ſub larva Diſcipuli adprobare, & ſub perſona Profeſſoris & Doctoris Univerſitatis damnare doctrinam aliquam. Si ſe argumentationibus Fr. Danielis preſſum ſenſerit P. Franciſcus, non confugiat ad Magnates, & Mecænatem clamitans: *Cogita inſuper ſapientiſſime Princeps dicteria Conciniana .... Ecce quos amas, fœde lacerantur*. Sic ſcribit P. Zech in *præfat. pag. penult.* Lacerantur, Rev. Pater, errores; ſed coluntur atque amantur perſonæ. Eiuſmodi veſtræ præſidii Magnatum implorationes, o P. *Zech*, afflictæ, & deſperatæ cauſſæ luculentiſſima ſunt argumenta. Quæ P. Zech ſcribit *ſec.* VII. in defenſionem Tamburini, Leſſii, Lugo &c. vel ſub examen inducere dedignor: adeo ſunt inepta & vana. Conſulat Profeſsor primarius meum *Tom. VII. de iuſt. & iur.* & ibi offendet plura alia laxitatis paradoxa a præfatis Auctoribus invecta. Quod vero me tamquam violatorem *pontificiæ moderationis*, impoſtorem, fraudulentum, ſophiſtam diffamet, nihil moror; ſed chriſtiana patientia, hæc & alia indigna convicia quæ paſſim in me detorquet urbaniſſimus iſte Doctor, ſuſtineo; hominiſque miſereor, qui rationum momentis deſtitutus contumeliis certamen peragit; & nihiloſecius nimiam in ſcribendo modeſtiam ſe ſervaſſe iactare non dubitat: hæc enim in præfat. habet. *Porro vir ſummus, cuius monita pro oraculis habeo, dici mihi iuſſit, ſe in priore diſſertatione omnia probare, præter modeſtiam quæ erga TALEM adverſarium videretur nimia*. Papæ! Quod me ſpiritu diabolico exagitatum, calumniatorem, fraudulentum, argutatorem, rabulamque paſſim appellet, nimia eſt in Profeſſore Ingolſtadienſi modeſtia. Cedo. *Vir iſte ſummus*, qui tibi hæc *dici iuſſit*, quiſnam eſt? Germanus ne an Gallus? Ridebit, crede mihi, P. Franciſce, Vir iſte ſummus, ſimplicitatem tuam, qua ironicam facetiam pro adhortatione ad ruſtica convicia iaculanda ſuſcepiſti. Plura alia dicenda forent; ſed ad latera inſtat alter Ieſuita Italus, qui noviſſime provocat, urgetque ad defenſionem.

§. V.

§. V.

Specimen nonnullorum quæ P. Franciſcus Antonius Zaccaria *in duobus ſuis libris, quorum prior inſcribitur:* Ad R. P. Claudii La Croix &c. Supplementum &c. Venetiis 1749. *poſterior:* Storia Letteraria &c. Venezia 1750. *adverſus hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi evulgavit.*

I. ERuditus P. Zaccaria in *ſupplemento*, quod adiecit ad *P. La-Croix* Theologiam moralem, me paſſim carpit, & vellicat, mitius tamen, ut veritatem fatear, quod illius humanitati verto, quam egerint illius Socii qui contra me ſcripſere. Quare, antequam refero quæ pro Caſuiſtis extollendis in medium promit, pauca quibus mea opera impetit, curſim indicabo, occaſione data. Flocci quippe facio ea omnia quæ perſonam, non cauſſam ſpectant. In *præf.* ad Lectorem ſe parcere velle nomini meo ait. De hoc nullas ei habeo gratias: nam in fronte hiſtoriæ Probabiliſmi & Rigoriſmi impreſſum eſt nomen meum. Me fraudis accuſat, quod in *indice verborum*, adiecto ad *Tom. I. hiſt. Probabiliſmi* &c. impoſuerim P. La-Croixio. Hæc ſunt illius verba pag. 82. „ Hunc Auctoris noſtri
„ locum citat Hiſtoricus Probabiliſmi pag 72. Tom. I. tum in
„ indice pag. 690. ipſa hæc verba indicans ait. *La Croix P.*
„ *Claudio falſamente aſcrive a TUTTI QUANTI I Geſuiti il Proba-*
„ *biliſmo.* Qua fide, Deus immortalis! *Auctores fere omnes*, in-
„ quit La-Croix: hæc redduntur ab Hiſtorico, *Tutti quanti*.
„ Bonus hic tamen iraſcitur, ſi quis aliorum Scriptorum ver-
„ ba ab ipſo male vexata fuiſſe affirmet, Deoſque, & ſi quid
„ maius eſse poſſit, ſanctiuſque, teſtatur, ſe malæ fidei per
„ ſummam iniuriam incuſari."

II. Ita ſane res habet, me quam ſæpiſſime clamaſſe, per ſummam iniuriam ab adverſariis meis de vexandis Caſuiſtarum dictis incuſari? At quid rei eſset, ſi poſt tam repetitas proteſtationes meas, P. *Zaccaria* ipſe me ceteris turpius, iniurioſius, atque falſius incuſaret? Si id verum eſset, magno ſane pudore ſuſ-

ſuffundi deberet. Ad rem itaque. Et principio ſummopere mihi gaudendum eſt, quod eruditus Cenſor, cum in opere meo nihil ſuis exclamationibus dignum invenerit, coactus fuerit *verborum indicem*, quem ab aliis fieri curo, luſtrare, ut ibi verbulum unum carpendum reperiret. Deinde ab eodem facultatem peto ipſum interrogandi illa familiari phraſi, qua utuntur communiter etiam Germani, & præſertim P. Zech: *Mi bone*, quid eſt *index verborum*? Quod interrogationis genus iſtud eſt? An ipſum indicis nomen rem non prodit? Index indicat paginam in qua expoſitum clare & fuſe eſt quod indicatur. Recte & bene. Index ergo meus verborum *pag.* 690. te mittit ad *paginam* 72. quam tute citas. Quæro: an ego *pag.* 72. integra verba eiuſdem La-Croix, *Auctores FERE OMNES* e Societate IESU, fide ſumma non tranſcribo? Cur ergo hoc ſiles? Citas *pag.* 72. ipſius Tomi, ubi verba *La-Croix* ſincere referuntur, & veritatem ibi expoſitam occultas? Hæc ne fides bona? Si indices verborum, qui voluminibus adiiciuntur, inducere ſub examen liceret, non conſultis voluminum locis, ubi controverſiæ explicantur, vix Auctor eſset immunis ab hæreſum monſtris. Indices enim, ut ipſe fateris, unice inſerviunt, ut lector facile invenire queat quod legere cupit. Summa ergo iniuria me fraudis in *Lacroixium* incuſas, cum *pag.* 72. ad quam legendam te remitto, verba integra fide narrentur. Verum enimvero, quod omnem fidem ſuperat, eſt quod in ipſo verborum indice, & quidem eadem citata a te pag. 690. paucas poſt lineas verba *La-Croixii* integre citantur. Lege, quæſo, ibi *col.* 2. *l.* 6. ubi hæc habentur. La-Croix *falſamente cita quaſi tutti i Geſuiti a favore del Probabiliſmo*. Quid ad hæc, erudite Cenſor? Fatearis ergo oportet, te turpius & iniurioſius ceteris adverſariis meis, ad hoc quod attinet, fraudis notam in referendis Caſuiſtarum opinionibus mihi affingere. I nunc, & exclama: *Qua fide, Deus immortalis*! Exclamo & ego: Deus immortalis! ad has nugas refellendas hoc adverſariorum genus me cogit?

III. Plura alia adverſus eamdem hiſtoriam meam congerit, decerpta, inquit, ex libro inedito, cuius titulus eſt: *Sei quiſtioni di fatto ſulla Storia del Probabiliſmo, e del Rigoriſmo*. Poſt plura, contra dictam hiſtoriam contorta, hæc ſubdit pag. 83. *Hæc ex autographo libro, qui apud me diligentiſſime ſervatur, uſui aliquando futurus, ſi controverſia iſthæc minime deferveat*. Ad me

quod

quod attinet, numquam defervebit oppugnatio Probabiliſmi, quem Alexander VII. alienum a ſimplicitate evangelica, a doctrina Patrum; quem Clerus Gallicanus omnium malorum fontem declarat; quem in præſentia Theologi doctiores, & a partium ſtudio vacui, communiter improbant; quem vel ipſi Lutherani & Calviniſtæ, tamquam laxitatum ſcaturiginem, deteſtantur, & catholicæ Eccleſiæ iniuria ſumma improperant; ſemper pro virili profligare curabo. In lucem, per me licet, emittat Anonymus ſuum *autographum MS. diligentiſſime cuſtoditum*. Tantum ab ipſo peto, ut & ego publicis typis cudere valeam *autographa MSS.* quæ penes me habeo, & quidem prælo paratiſſima. Flagito ut ne poſtea, quando ſe viderit argumentorum vi ad incitas redactum, & ſummopere preſſum, turbas commoveat, ad Protectores recurrat, & cum ſuo *P. Zecb* Magnatum patrocinium imploret, ut vincat per perſonam quod nequit per calamum, & veritatem, exclamando: *Ecce, quos amatis, fœde lacerantur*.

IV. In præſidium Probabiliſmi hæc ſcribit eruditus P. Zaccaria *pag.* 55. „ Nihil omnino a Probabiliſtarum doctrina ti„ mendum. Profecto, quidquid garriant *loquaces aliqui* Anti„ probabiliſtæ, Probabiliſmum iis ſaltem finibus concluſum „ quos ipſi ſtatuere Ieſuitarum *primores*, numquam improba„ runt Pontifices. “ Prohibuerunt ne ſaltem Probabiliſmum, quem non primores, ſed poſteriores defenſitant? Quid abrumpis orationis filum? Sed cur non improbarunt? Audi pulchram venuſtamque rationem. Quandonam dixere hi (Pontifices:) „ *Viſum eſt Spiritui ſancto, & Nobis in occurſu duarum opinionum* „ *vere probabilium, probabiliorem ſententiam ſequendam eſſe, uti Me-* „ *renda, & Fagnanus docuere, atque adeo ſemper eam amplectendam* „ *quæ adverſus libertatem legi favet, ac tutior eſt, ut Paſchalis,* „ *VVendrochius, Natalis Alexander cenſuit*. Niſi ita DISERTIS „ verbis ſtatuant Pontifices, inanibus declamationibus aera „ verberabunt Antiprobabiliſtæ. “

V. Papæ! Probabiliſmus nunc triumphabundus uſque ad finem mundi excurrere ſecure, & tutiſſime valet. Hactenus numquam Pontifices ſummi prohibuerunt Probabiliſmum. Eccur? En rationem. „ Quandonam dixere hi: Viſum eſt Spi„ ritui ſancto, & Nobis &c. *probabiliorem ſententiam ſequendam* „ *eſſe, uti Merenda, & Fagnanus docuere?* “ Et quia ſic num-

quam

Digitized by Google

quam dixere Pontifices, ideo numquam prohibuerunt. Verum hoc parum eſt. Niſi impoſterum Pontifices ſummi adhibeant formulam ipſam, aut prorſus ſimilem, quam ipſis præſcribit P. Zaccaria, vana erit illorum prohibitio. Formulam Probabiliſmi damnandi ingredi debent *Paſchalis*, *VVendrochius*, *Natalis Alexander*. Fallor: debent prius nominari *Merenda*, *&* *Fagnanus*. Debent inſeri particulæ *ſemper*, *tutior*. Ne multa. In damnando Probabiliſmo ſervanda adamuſſim eſt formula præſcripta a P. Zaccaria. Si deeſſet aut *τὸ Paſchalis*, aut *τὸ VVendrochius* &c. aut quæcumque alia particula, vana & nulla foret pontificia damnatio. Audi iterum peremptoriam definitionem. *Niſi ita DISERTIS VERBIS ſtatuant PONTIFICES, inanibus declamationibus aera verberabunt Antiprobabiliſtæ.* Dum hæc & ſimilia inaudita paradoxa ſimplici oratione in apricum traducimus, lamentantur, ſe ſatyrico ſtilo pungi, quando paradoxa ipſa omnem ſatyram ſuperant. Deſinant talia ſcribere, ſi ſibi non opponi illa cupiunt. Quo verbo minus officioſo uſus hic, vel alibi ego ſum? Commenta quæ adverſarii mei ſcribunt pro novo opinandi modo, contra illos fortius clamant, eoſque magis pungunt quam quæcumque ſcriptiones noſtræ. Propterea repeto. Deſinant venuſta paradoxa ſcribere, niſi velint eadem pleno in lumine collocata videre.

VI. Mitto plura ſcommata & contumelias quibus me onerat benignus Probabiliſta in hoc ſuo Supplemento Lacroixiano. Paſſim me *declamatorem*, *cavillatorem*, *mi bone* vocitat: me horrenda ſcribere ait pag. 83. *Horret animus ea recolens quæ hinc ducit Hiſtoricus Probabiliſmi. Neſcio utrum cavillandi occaſionem arripuerit*. Quænam ſunt horrenda hæc? Nec verbum, aliorum more, profert. Qui verborum indicem linceis oculis luſtravit, ut vocem arrodendam reperiret, diſſimulaſſet ne horrenda quæ me in ipſa hiſtoria ſcripſiſſe fingit? Sed hæc & plura alia quæ in me iaculatur, leviora ſunt quam ut refelli mereantur. Quæ in falſæ doctrinæ patrocinium propugnat, ad examen veniant.

VII. Pag. 56. eiuſdem Supplementi hæc ſcribit. „ Cœpere „ GALLI *Probabiliſmum* eò habere loco, ac tandem eo deventum eſt ut anno 1700. proſcriptus fuerit in generalibus Comitiis, quæ Concilium Galliarum nationale a quodam nupero Scriptore ſatis inepte dicuntur, ut apud rerum harum

„ im-

„ imperitos auctoritatem adderet eorum conſtitutionibus, quas „ pontificiæ poteſtatis propugnatores non multi faciunt; de „ quo PP. Ghezzius, & Richelmius. *Quamobrem GALLIS omni-* „ *no gratulandum videretur, atque ab his digni apoſtolico ævo mores* „ *expectandi forent: quidquid enim neſariæ licentiæ florentiſſimi regni* „ *provincias corrumpebat, ſublata cauſſa, deſiviſſe neceſſe eſt. At con-* „ *ſulamus Concionatores, qui ab anno* 1700. *apoſtolico munere apud* „ *Gallos functi ſunt. Eadem plane vitia comperiemus ab illis expro-* „ *brari auditoribus ſuis quæ olim VIGENTE PROBABILISMO nota-* „ *bant antiquiores divini verbi præcones. An non id paradoxo ſimile* „ *videri poſſet? Ita ſane, ſi Probabiliſmus is ſit quem eius oſores præ-* „ *dicant, omnium criminum pater. At vel hinc diſcant VANILOQUI* „ *homines os ſuum comprimere, neque a Probabiliſmo, ſed a lapſæ* „ *naturæ noſtræ infirmitate, & affectuum noſtrorum vi, atque intem-* „ *perantia, vitiorum originem intelligant eſſe ducendam.* “

VIII. Ut mirificæ doctrinæ vis, & quæ inde proficiſcuntur, conſectaria, luculentius pateant, animadvertendum eſt, Comitia Gallicana Probabiliſmum proſcribere tamquam *malorum, & corruptelarum caput*. In hanc ergo Cleri Gallicani declarationem hoc pacto invehitur Cenſor noſter. Concionatores Eccleſiæ Gallicanæ ab anno 1700. eadem vitia, eadem ſcelera, eaſdem corruptelas ſuis auditoribus exprobrare apoſtolico zelo pergunt, ac improperabant antiquiores divini verbi præcones, Probabiliſmo vigente. Quid? Si Probabiliſmus is ſit quem eius oſores prædicant, omnium vitiorum caput, & pater, nonne paradoxon foret, & quidem monſtroſum, eadem graſſari flagitia, ſublato Probabiliſmo, quæ ſerpebant Probabiliſmo dominante? Ita ſane. Heinc igitur tandem *diſcant vaniloqui homines os ſuum comprimere*, intelligantque *non a Probabiliſmo, ſed a lapſæ naturæ noſtræ infirmitate vitiorum originem eſſe ducendam*.

IX. Veniam nunc mihi ab erudito Cenſore poſtulo, ut qua libertate ipſe in omnium Italorum libros criticen exercet, eadem, immo longe moderatiore ego hæc illius ratiocinia ad diſquiſitionem revocem, ſalva erga illius perſonam reverentia, officioque. Aio itaque, imbecillitati meæ præfatam doctrinam videri falſam, pernicioſam, &, ut mitiſſime loquar, ſcandali pleniſſimam, iniurioſam non Patribus Gallicanis modo, verum etiam Conciliis omnibus, univerſæ Eccleſiæ, viamque erroribus omnibus aperire latiſſimam. Evinco. Concilia tum diœ-

Digitized by Google

ceſana, tum provincialia, tum nationalia, tum œcumenica ab Eccleſia condita innumeras proſcripſere opiniones morum corruptrices. Nihiloſecius Patres, & verbi divini præcones cuiuſcumque ætatis in eadem detonarunt vitia quæ ante proſcriptos errores inſectabantur alii. Et ut vetuſta Concilia mittam, quot erroneas doctrinas tamquam ſcelerum ſcaturigines diris non devovit Tridentinum? An propterea Epiſcopi, & apoſtolici miniſtri poſteriores non exprobrarunt illa ipſa ſcelera in quæ anteriores Patres, & Concionatores declamabant? An propterea *vaniloqui* Patres Tridentini? Quid quod poſt promulgatum ſacroſanctum Evangelium a Chriſto Ieſu, & Apoſtoli, & eorum ſucceſſores omnes improperarunt pluribus Chriſtianis eaſdem præter propter, excepta idololatria, morum corruptelas, quas ipſi ethnici Philoſophi execrati antea erant? Si conſiſteret ratiocinium Cenſoris noſtri, neque idololatria, neque monſtroſæ hæreticorum opinationes moribus exitiales fuiſſent proſcribendæ, quod Concionatores poſteriores eadem flagitia, ac anteceſſores auditoribus ſuis exprobrant. Diſcant ergo, ut verbis laudati Cenſoris utar, ſanioris doctrinæ oſores os comprimere, intelligantque corruptionem utique naturæ humanæ principem eſſe malorum omnium cauſſam; (nec aliquis umquam ingenii ſanitate præditus, & originalis culpæ gnarus id in controverſiam traduxit) laxæ vero opiniones ſunt veluti flabella appetitionibus humanis ſuccendendis opportuniſſima. Theologia accommodatitia illa eſt quæ ſauciatæ humanæ naturæ vulnera palpat, luxui, ambitioni, avaritiæ, ſuperſtitioni, & omnium malorum appetitionibus habenas relaxat. Quid? Poſt prædicatam ab Apoſtolis doctrinam evangelicam; poſt damnatas plurium Caſuiſtarum opiniones ſalſas, erroneas, laxas, non ceſſant ſcelera. Ergo inutilis Evangelii prædicatio; vana ſalſarum opinionum proſcriptio; *vaniloqui* Patres Tridentini, & Gallicani; *vaniloqui* omnes Pontifices ſummi laxarum theſium proſcriptores? Hæc ſunt legitima æque ac horrenda Cenſoris noſtri conſectaria.

X. Clarius, & liberius hanc ſuam doctrinam exponit, & confirmat P. Zaccaria in altero ſuo libro inſcripto *La Storia Letteraria d' Italia*, ubi pag. 53. de Probabiliſmo hæc docet. *Ora il Mondo è omai nojato di UNA QUESTIONE CHE NELLA PRATICA A NULLA SERVE, eſſendo tutti in pratica o realmente Pro-*

La-

babiliſti, conciossiachè i Probabilioriſti medeſimi più probabile giudichino ciò che gli altri chiamano ſolamente probabile; o Probabilioriſti, mentre gli ſteſſi Probabiliſti intanto ſeguono il Probabiliſmo, perchè lo credono più probabil ſentenza.

XI. Controverſia amplectendi minus aut magis probabilem ſententiam in argumento in quo inferni vel paradiſi cauſſa agitur, ad praxim nihil eſt? *Non ſerve a nulla?* Ergo Ven. Innocentius XI. futile damnavit hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore* &c. Quæſtio Probabiliſmi, ad praxim quod attinet, vana eſt? *A nulla ſerve?* Ergo vane, & inepte Ven. Innocentius XI. damnavit hanc alteram theſim: *Probabiliter exiſtimo iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Alterutrum ergo. Aut Romana Sedes imprudenter & vane damnavit præfatas theſes; aut P. Zaccaria turpiter errat. Nulla hic, P. Franciſce Antoni, ad evadendum latebra. Aut retractandus error eſt, aut denegandum pontificiis decretis obſequium. Aut faſces ſubiiciendæ & Patribus Gallicanis, & Romanis Pontificibus; aut fatendum quæſtionem Probabiliſmi eſſe graviſſimam, & momentoſiſſimam. Quid? Ab integro & amplius ſæculo celebriores Eccleſiæ catholicæ Theologi perpetuas habuerunt diſputationes: controverſiæ huiuſce deciſionem vocant BASIM, FUNDAMENTUM THEOLOGIAE CHRISTIANAE: ingentia & innumera volumina de eadem elaborarunt: univerſa Eccleſia Gallicana ab integro ſæculo acerrimum bellum Probabiliſmo indixit, & a medio ſæculo illum terra marique exterminavit: Romana Sedes tria præcipua iſtius hydræ capita detruncavit: vix ulla in univerſa morum Theologia diſputatur quæſtio in utramque partem, quæ *per magis & minus probabile* non definiatur. Et Italicæ Litteraturæ Cenſor novus adverſus & communem Theologorum conſenſum, & Epiſcoporum, atque Pontificum thronum, tribunal erigit, & arbiter veluti ſupremus ſedens pronuntiat: Probabiliſmi controverſia eſt quæſtio de voce: ad praxim futilis eſt. *A NULLA SERVE*. Etiam Ariani de voce quæſtionem aſſerebant *Arianiſmum*. Etiam Ianſeniani phantaſma (*phantome*) aiunt *Ianſeniſmum*, non ſecus ac Cenſor noſter chimæram pro praxi appellat *Probabiliſmum*. An de more rancidam cantilenam repetent? Cum hæreticis ergo nos comparas? Sicci-

Digitized by Google

ne infamas Inſtitutum noſtrum ? Nugæ iſtæ ſunt & ineptiæ millies contritæ . Errores cum erroribus comparo , officio & obſequio erga perſonas ſalvo . Deſinat talia ſcribere , ſi diſplicet talia audire . Ex iis quæ ſupra recitavi , baſilice patet , quinam illi ſint qui non errores , ſed perſonam inſectantur . Pleno in lumine idcirco exponere curavi recenſitum errorem , quia non modo & in citato *Supplemento Lacroixiano* , & in *Hiſtoria Litteraria* cubat , ſed quaquaverſum diſſeminatur . Pluries ipſe ab ipſo hominum vulgo has voces audivi . *Probabiliſmus eſt controverſia de voce . Ad praxim futilis eſt . Quid ergo caritas Chriſti laceratur : quid diſſidia , iurgia , tragœdiæ ob controverſiam de nomine foventur ?* His larvis induta Theologia accommodatitia , triumphabunda diſcurrit , & animas plurimas depopulatur . Doctrina P. Zaccaria *Academiciſmum* in Chriſtianam Theologiam invehit , in quem *Lib. II. contr. Academ.* & *Lib. III. cap.* 1. hæc ſcribit S. Auguſtinus . *Non ego iſtam diſputationem diſputandi gratia ſuſceptam volo . . . De vita noſtra , de moribus , de animo res agitur . . . Neſcio enim quomodo fecerunt in animo quamdam probabilitatem , quod homo verum invenire non poſſit . . . Itaque diſcutiamus utrumnam poſſit verum inveniri . . . Negotium noſtrum , non leve , aut* (N. B.) *ſuperfluum , ſed neceſſarium & ſummum eſſe arbitror , magnopere quærere veritatem* . Sic definit Auguſtinus . Contra reſolvit *P. Zaccaria* , diſputationem hanc ſuperfluam eſſe : A NULLA SERVE .

XII. Alia levioris momenti, ſed valde feſtiva eiuſdem *Hiſtoriæ Litterariæ* puncta ad iuſtæ critices regulas revocanda . Et antequam id præſto, obiter recordor , Auctorem noſtrum teſtari, ſe hanc hiſtoriam edere, ut deſerviat etiam aliorum Eruditorum nimiæ libertati in diiudicandis librorum meritis coercendæ: inquit enim pag. 10. in prooemio: „ Varrà forſe an-
„ che ciò a cauti render certuni, i quali a sfogo della paſſio-
„ ne ſembrano l'utiliſſimo uſo delle Novelle ſconciamente ri-
„ vogliere, ed a trattenerli dal portare de' libri , e degli Au-
„ tori loro iniqua ſentenza; e molto più dall'uſar contro ono-
„ rate, e riſpettevoli perſone con inaudita franchezza villa-
„ nie, ed altri diſdicevoli modi; *ſapendo , che alla fine dell' anno*
„ *potrà eſſer cenſurata la lor cenſura, e che inappellabil non è il mo-*
„ *leſto e fiero lor tribunale.*“

XIII. Eo itaque tendit hæc *hiſtoria*, ut ſub anni finem alio-
rum

rum tribunalium iudicia ad cenſuram inducat? Numquid tribunal huiuſce hiſtoriæ ſupremum erit? Oro obteſtorque eruditos omnes, ut meditari factum ante omnium oculos poſitum velint. P. Franciſcus Antonius Zaccaria in Italia, alii Socii in Gallia, alii in Belgio virgam cenſoriam in omnes fere Europæ catholicæ libros extendunt: partiariis ſuis, & a quibus favorem expectant, elogia pangunt; ceterorum autem opera vellicant, carpunt, Auctoreſque provocant, inſtigant, urgentque ad neceſſariam defenſionem: & cum cenſuras ſuas iniuſtas, & plurium Caſuiſtarum laxas, & pernicioſas ſententias cum evangelica ſanctitate pugnantes demonſtrari ſentiunt, tum conſuetos clamores ingeminant, tum Magnatum præſidium implorant, tum & ſe, & Inſtitutum infamari criminantur? Factum iſtud omnibus pervium in omnibus eorum libris reſonat. Magna hic tentatio eſſet exclamandi: Et quouſque tandem patientia noſtra abutebimini? Quouſque . . . .

XIV. Ad Italicæ Litteraturæ Cenſorem oratio revertatur. Extollit *pag* 73. ſuos Trivoltianos ob cenſuras latas in paupertatem evangelicam a me in *Diſciplina Apoſtolico-monaſtica* propugnatam, ſubdens: *In vano ſi è cercato dal contraddittore di conciliare odioſità*. Perridiculas, falſas, errori faventes patefeci illorum cenſuras; & ſcandalum graviſſimum paſſus ſum, cum viderim Sanvitalios, Ghezzios, Lecchios, alioſque peculiari voto obſtrictos numquam relaxandi ſeveriſſimam quam profeſſi ſunt paupertatem evangelicam, ſe patronos & fautores declarare in ſuis libris illarum opinionum quæ hanc paupertatem pernicioſiſſime relaxant. Plurima & graviſſima hic dicenda occurrerent, quæ nunc prætereo; at dicentur in tempore, niſi ab oppugnanda veritate deſiſtant.

XV. Audiamus cenſuras, quas in nonnullos Caſuiſtas fert Hiſtoricus rei litterariæ. *Pag.* 48. inquit: *La Teologia morale del P. Antoine Geſuita. Se tutti quelli che approvano il rigore di queſto Teologo, il quale ſolo potrebbe a ſufficienza moſtrare, quanto vada errato chi vuole per forza, che il PROBABILISMO ſia la ſentenza adottata, e come ſpoſata univerſalmente da' Teologi della Compagnia di Gesù* &c.

XVI. Ecquinam hi ſunt qui vi ſumma univerſæ Societati Probabiliſmum adſcribunt? Sunt P. Bartholomæus Fibo Ieſuita, qui in *Apol. pro conſc. cap.* 11. §. 1. *num.* 3. ſcribit: *Viri graviſſimi, præter TOTIUS SOCIETATIS DOCTORES, tuentur doctrinam*

pro-

probabiliſticam. P. Claudius La-Croix Ieſuita *Lib. I. cap.* 11. *num.* 269. *Auctores fere OMNES e Societate IESU* docent Probabiliſmum. Amice & candide, quæſo, loquamur. Cur ex una parte notam ignominiæ inferri Inclytæ Societati exiſtimatis, cum eidem *Probabiliſmus* tribuitur? Cur ex altera parte pro Probabiliſmo veluti pro aris & focis belligeratis? Si Probabiliſmus eſt illa benigna doctrina quæ iugum evangelicum levigat, quæ paradiſi ianuas facilius aperit; cur illis iraſcimini qui poſſideri a Societate hanc feliciſſimam clavim aſſerunt? Luculentius. Aut Probabiliſmus eſt doctrina vera, aut falſa. Si vera, cur illam erubeſcitis? Si falſa, cur pro illa dimicatis? Cur in illius oppugnatores turmatim irruitis? Cur pede uno mare, altero terram calcatis? Hæc indicavi, ut evincerem quam ſit lepida & venuſta Hiſtorici noſtri ars critica. Ceterum ego & in hiſtoria Probabiliſmi *Tom. I. pag.* 391. *Edit.* 1. & infra *Tom. II.* evidenter oſtendo, Inclytam Societatem, vi ſuarum Conſtitutionum Probabiliſmum improbare, eumque ſapientiores Ieſuitas penitus conterere.

XVII. Pergit ibidem Hiſtoricus: *Se tutti quelli che ſi dichiarano per le rigide ſentenze di queſto Teologo, le ſeguiranno in pratica; GRAN miglioramento vedremo ne' coſtumi*. Ita ne vero? Eccur ergo contra communem omnium ſapientum ſenſum *pag.* 53. ex tripode pronuntiavit, nihil referre, ſive magis ſive minus probabilem, ſive rigidam ſive laxam opinionem ſequamur? *A NULLA SERVE*. Iam manifeſtis antilogiis ſemetipſum iugulat Italicæ Litteraturæ Cenſor? Sed venuſtiora audiamus.

XVIII. *Pag.* 48. & 49. perſequitur Hiſtoricus. „ E' da avvertire però, che il P. *Filippo da Carbognano de Frati Min. Oſſ.* „ nuovo editore di queſta Teologia, nell'avviſo al Lettore più „ oratoriamente (N. B.) che ſtoricamente dice, che *celebriores* „ *Antiſtites Galliæ, ac præſertim Italiæ reliquis Theologiæ moralis In-* „ *ſtitutionibus anteponendam, ac pro Clericis inſtituendis aptiorem eſſe* „ *exiſtimaverint*. Io ſo per coſa certa che molti Veſcovi della „ Francia (e non ſono nè i meno zelanti per la coſtituzione „ *Unigenitus*, nè i meno ragguardevoli ec.) *ne penſano aſſai di-* „ *verſamente*. De' Veſcovi d'Italia, ſe ne faceſſimo il confron- „ to, quali abbiano queſta Teologia ſcelta pe' loro ſeminarj, e „ *quali nò*, forſe parrebbe quel detto anche più eſagerato, che „ ad Orator non ſi conviene. *Non dee però negarſi che tra le Teo-*

„ *lo-*

Digitized by Google

„ *logie de' Probabiliſti, queſta è a mio credere la migliore che ſia u-*
„ *ſcita.*"

XIX. Lepidula & acriter pugnantia hic occurrunt paradoxa: quorum unum a duobus ſæculis inauditum eſt. Quid? Eruditus, & perdoctus, mihique neceſſitudine coniunctus *R. P. Philippus de Carboneano Franciſcanus* debitis laudibus effert *P. Antoine Ieſuitæ* Theologiam, teſtaturque, celebriores Antiſtites Galliæ, ac præſertim Italiæ reliquis Theologiæ moralis Inſtitutionibus anteponendam, ac pro Clericis inſtituendis aptiorem exiſtimaſſe: & *unus Ieſuita* his Socii laudibus invidet, eas arrodit, atque extenuare adnititur? An non inauditum paradoxon? Quænam tanti arcani ratio? Probabiliſmus. Quæſo te, erudite Cenſor, ut mihi in aurem candido pectore dicere velis. Si *P. Philippus de Carboneano* præfatum elogium ſcripſiſſet in laudem Theologiæ Mazzotta, La-Croix, Tamburini, Stoz, Burgaber, Buſembaum: cedo, an illi elogio invidiſſes, an illud detruncare, imminuere, extenuare conatus fuiſſes? Cur ergo illud applicatum Theologiæ P. Antoine Ieſuitæ illud mordes? Quia P. Antoine non eſt *Probabiliſta*. Aſſignetur alia, ſi poteſt, ratio. Alterum paradoxon oppoſitum. Theologia hæc eſt omnium *Probabilioriſtarum* optima. Si Cenſor dixiſſet, opus iſtud eſſe optimum compendium ſanioris doctrinæ Clericis iuvenibus imbuendis aptiſſimum, a vero non aberraſset. Quamobrem ego primus omnium edi in Italia iſtud Theologiæ compendium curavi, cum viderem alios toto niſu promovere editiones Gobat, Buſembaum, Tamburini, Eſcobarii. Tertium paradoxon. Theologia hæc eſt omnium Probabilioriſtarum præſtantiſſima: & celebriores Galliæ Epiſcopi Probabilioriſtæ, & infenſiſſimi Probabiliſmo eam non adoptant, & præſertim, inquis, Epiſcopi conſtitutionis *Unigenitus* ſtrenui defenſores? Quorſum huc conſtitutio *Unigenitus*? Profecto non minus intempeſtive, quam ſi introducerentur conſtitutiones *Omnium ſollicitudinum*, &, *Ex quo ſingulari*. An Epiſcopi iſti Gallicani ſaniorem morum, quemadmodum fidei, doctrinam non amplectuntur?

XX. Gradum facit Hiſtoricus ad extollendos Probabiliſtarum libros, ſcribens ibidem pag. 49. *Un' altra moral Teologia, MA MOLTO PIU' PROFITTEVOLE, che la precedente* (Antoine) *han data i Geſuiti di Napoli. L' Autore è il P. Niccolò Mazzotta*. En quartum bellulum paradoxon. Ex Theologia *P. Antoine* magnam mo-

morum reformationem (*gran miglioramento*) ſpondet Cenſor eamdem amplexuris. Contra poſt paucas lineas, VALDE MAIOREM profectum adpromittit ſequentibus Theologiam probabiliſticam omnino contrariam P. Mazzotta. Theologia P. Antoine ducit Chriſtianos per viam arctam, &, ut loquitur Cenſor, *rigidam*. E contrario Theologia probabiliſtica P. Mazzotta eos dirigit per latam, ſeu laxam oppoſitam rigidæ. Duæ ne, erudite Cenſor, viæ prorſus contrariæ, altera arcta, altera lata, ducunt ad paradiſum? Et hanc Theologiam probabiliſticam non P. Mazzotta, ut privato Auctori, ſed Ieſuitis Neapolitanis indefinite Hiſtoricus adſcribit. *Han data i Geſuiti di Napoli*. En illos qui per vim (*per forza*) Ieſuitis tribuunt Probabiliſmum.

XXI. *Pag*. 50. 51. 52. ad ſidera uſque extollit Theologiam vere probabiliſticam *P. Claudii La-Croix*, & Supplementum eiuſdem eleganti ſtilo a ſemetipſo compoſitum. Plura in hoc Supplementum, inquo ego paſſim carpor, dicenda forent. Verum ne præfatio iſta nimium longa evadat, omnia prætereo, præſertim quod invidere laudibus nolim quas ſibi paſſim canit Supplementi iſtius Auctor. Quod vero ad duos Theologos *Mazzotta*, & *La-Croix* attinet, ſi meum proferre iudicium Cenſor permittat, dico, Theologiam probabiliſticam P. *Mazzotta* eſſe compendium aliorum Caſuiſtarum, & præſertim La-Croix. Opus vero P. *La-Croix* dici iure valet, ut ego quidem ſentio, *Dictionarium* opinionum contrariarum magis & minus probabilium, quæ lectorum arbitrio ſubiiciuntur. Mazzotta, La-Croix, & plurimi alii Caſuiſtæ inter collectores & compilatores locum habent, qui, ut doctiſſimus Ieſuita Cardenas ſanioris doctrinæ ſtrenuus vindex adverſus Caramuelem, inquit *diſp*. 11. *cap*. 11. *art*. 4. ex Bonacina, & etiam Navarro, & aliis, inſtar ovium & avium, alios ſequuntur. Quod mihi maxime diſplicet in morali Theologia *P. La-Croix*, eſt quædam Pyrrhoniſmi ſpecies, paſſim proponendi de eodem æternæ ſalutis puncto, in quo de peccato mortali in utramque partem diſſertatur, oppoſitas opiniones, quin aliquid decidat, ſed lectorum genio permittit, ut quiſque quod magis propriæ libertati adlubeſcit, ſeligat: quæ methodus Theologiam accommodatitiam ſummopere perficit. Quamobrem mirum eſſet, niſi plures editiones variis in locis peractæ fuiſſent. Nam laudatus Raynaudus *loc. cit*.

Digitized by Google

cit. pag. 385. de pluribus Catholicorum libris inquit : *Naufragarunt ad hunc ſcopulum plerique etiam Catholici, qui, ut audirent ſolemnes Doctores, & a plurimis conſilii gratia frequentarentur, vel ut eorum libris vendibilitas accederet, eorumque recuſione ſæpius calerent prela .... improbatas adamarunt doctrinas, vel obſoletas, & pridem ſepultas reſoderunt.*

XXII. Iudicium tamen meum de operibus Mazzotta, & La-Croix, aliorum cenſuræ ſubiicio. Si otium faveret, Caſuiſtas illos qui communiter manibus teruntur, ad criticen vocarem, præſertim Thomæ Sanchez, cuius opera & aliquibus damnatis opinionibus, & pluribus laxis ſcatent: Thomæ Tamburini, qui & ſtilo nitido ac eleganti, quoad materia fert, & methodo perſpicua ceteris Moraliſtis præſtat; ſed eius opera frequenter laxitate inquinata ſunt, & pluribus proſcriptis opinionibus ſordent : & Buſembau, Gobati, Dianæ, Leandri, Sporerii, La-Cruz, Zanardi Candidi, & aliorum plurium opera expenderem. Sed, ut dixi, otium tantum non ſuppetit.

§. VI.

Nonnullæ animadverſiones in cap. III. Lib. I. *Hiſtoriæ litterariæ Italicæ* Volum. II.

I. NOn gravem honeſtamque cenſuram, ſed puerilem & ineptam ſatyram, nugis, gerris, & ſcurrilitatibus pleniſſimam, edidit P. Franciſcus Antonius Zaccaria in ſex prima *Chriſtianæ Theologiæ Dogmatico-Moralis* volumina. His verbis ſuum auſpicatur caput tertium. *E fin a quando ci vorranno i viventi Teologi inquietare con le loro Morali Teologie?* Recte & bene. Inquietat ſane Chriſtiana morum Theologia homines huic ſæculo addictos, eoſdem turbat, exacerbat, & refulgendi ambitionem in hoc mundi theatro deprimit, conteritque. Perſequitur ibidem Cenſor hiſtoricus: *Non diſapproviamo per tutto ciò lo ſtudio della Morale Teologia. Ma dovrebbono certamente baſtare que' libri che abbiamo.* Debuiſſent quoque ſufficere Ephemerides litterariæ, quas tot Italiæ civitates in hebdomadas ſingulas emittunt: & nihilominus multiplicare illas, & hoc librorum genere in-

Digitized by Google

quietare, & turbare Italiam Hiſtoricus iſte auſus eſt. Ceterum quinam ii ſunt qui *Supplementa*, *Compendia*, *Summas*, *Alphabetaria moralia*, *morales Medullas vetuſtas*, *& recentes* multiplicant, & agglomerant? At libri iſti non inquietant, non turbant, non pungunt, cum ſint ſuaviſſimo Probabiliſmi pharmaco delibuti, Theologia Chriſtiana illa eſt quæ lacerat conſcientias, laniatque dulces appetitiones.

II. *Pag.* 49. Titulum Chriſtianæ Theologiæ criminatur Hiſtoricus. *Il Frontiſpizio vuol eſſer primamente conſiderato* Theologia Criſtiana. *Niuno ſe ne ſormalizzi. Non vuole già il P. Concina dinotarci, che la ſua Teologia ſia* Criſtiana, *e che le altre ſieno anticriſtiane*. Omnes poterant hanc obtrudere cenſuram præter unum P. Franciſcum Antonium. Eccur? Quia ille profitetur celeberrimum Ordinem qui appellatur SOCIETAS IESU. Et non propterea alii ſacri Ordines ſunt Societates *antichriſtianæ*. Hæc Theologia Chriſtiana caput ferit Hiſtorici noſtri.

III. *Pag.* 50. „ Il P. Concina prega ſua Santità a voler da
„ tante laſſe opinioni de' Caſiſti purgare le ſcuole cattoliche.
„ Deſideriamo, che adempiuti ſieno i ſuoi ſanti voti. Aggiun-
„ geremo ſolo una notizia, che forſe quando al P. Concina
„ foſſe pervenuta, ſarebbe valuta a fargli qualche maggiore
„ ſtima concepire del P. Moya. " Opera P. Moya damnata ſunt a S. Romana Sede: & illa magno habebo in pretio? Si opera P. Moya damnata a Romana Sede eſſent, quia luem Ianſenianam continerent, plauſu ne illa exciperet Hiſtoricus? Et mihi illa exiſtimanda & ſuſpicienda proponit, quod ob alios errores ſint proſcripta? Statera & ſtatera: pondus & pondus. Perſequitur Hiſtoricus. „ Anche queſto Geſuita ſtampò
„ un memoriale a Innocenzo XI. nel quale lo ſupplicava con
„ grande iſtanza a condannare CXIII. propoſizioni di laſſa Mo-
„ rale. La ſola differenza che tra il P. Concina e il P. Moya
„ oſſerviamo, è, che queſti per degni riguardi tace gli Auto-
„ ri, da quali avea tratte le rilaſſate opinioni, il P. Concina
„ li nomina."

IV. Non modo P. Moya Auctores nominat, verum etiam Ordinem quem profeſſi ſunt, patefacit, quod ego numquam feci, niſi cum de Dominicanis Caſuiſtis ſermo fuit. Legantur omnia opera moralia P. Moya, & *QQ. Selectæ*, & *Expoſtulationes* &c. & *Singularia univerſæ* &c. vix unica pagina occurret in qua non

Digitized by Google

non reſonent eiuſmodi Auctores. *Michael Zanardus* Ord. Prædicatorum. *Acatius de Velaſco* ex Ordine Prædicatorum Lector Iubilatus. *Petrus Ledeſma* Ord. Præd. *Ioannes La Cruz* Ord. Præd. Aut legit P. Zaccaria Opera Moyæ, aut ſecus? Si primum, ubi veritas? Si alterum, ubi pudor?

V. *Pag.* 51. difficultatem theologicam opponit Hiſtoricus. „ Pianta nel ſecondo capo il noſtro *Teologo Criſtiano* queſto „ formidabile principio, che ſiccome tra tutte le Religioni u„ na ſola è quella in che poſſiam ſalvarci, così *in tanta opinio„ num multitudine una eſt vera doctrina morum, quæ ducit ad vi„ tam*. Terribil coſa, e più anche terribile, perchè (dice il P. „ Concina pag. XVIII.) *ſola veritas, non probabile, non probabi„ lius, ſi ſalſum ſit, ianuas cæli pateſacit*. O profondi giudizj di „ Dio! . . . . Non baſta a ſalvarci neppure il Probabilioriſ„ mo? E l'opinion probabiliſſima baſterà? Ma ſe foſſe falſa? „ Oime! *Sola veritas . . . ianuas cæli pateſacit*. Eh diventiamo „ dunque alla buon'ora Tuzioriſti.“

VI. Chriſtus clamat: *Ego ſum veritas, & via*. Quid? clamat Hiſtoricus noſter. Sola ne veritas via cæli eſt? An non falſitas, an non error paradiſum ingreditur, dummodo ſit Probabiliſmi veſte indutus? Parcendum eſt Hiſtorico noſtro, qui cum omnium ſcientiarum libros cribrandos ſuſceperit, forſitan non omnes ſcientias callet; aut non omnes controverſias theologicas ita expendit, ut rectum proferre iudicium valeat; aut tandem benignæ probabilitatis illiciis fucatus, pro dogmate habet ſequentem doctrinam P. Caroli Antonii Caſnedi *Tom. II. quæſt.* I. §. 4. inquientis: *Cum Magiſter veritatis ſis, adeo humanæ condeſcendis inſcitiæ, ut in tuo veritatis tribunali ERROR inculpatus ipſam COAEQUET VERITATEM. Eum enim non accuſas, ſed excuſas; non plectis, ſed PRAEMIARIS: ipſam tuam legem habendo pro non lege: & tuam non legem habendo pro lege; ſi lex ut non lex, & non lex ut lex invincibiliter proponatur*. Aut hanc abſurdam, monſtroſamque doctrinam deglutire hiſtoricus Cenſor aſtringitur, & quoſcumque Sectarios in paradiſum evehere: aut plaudendum doctrinæ noſtræ revera chriſtianæ. Nulla hic ad evadendum rima patet. Diſcat igitur Hiſtoricus opinionem probabiliorem, vel probabiliſſimam, ſi falſa ſit, ſeu ignorantiam invincibilem excuſare utique a culpa, minime vero efficere ut actio reipſa prava, bona & præmio digna evadat: quia bo-

num ex integra cauſſa. Sola ergo veritas, ſola vera, non ficta honeſtas ianuas cæli patefacit. Audiat acutus Cenſor non Elizalda, non Camargo, non Munieſſa, non alios doctiſſimos Ieſuitas, ſed ipſum Cardinalem Pallavicinum, qui *epiſ. ad* P. *Elizalda pag.* 89. *&* 90. *edit. Rom.* hæc ſcribit . „ Il che ſi verifica „ maggiormente *in ignorantia iuris*, non trovandoſi giammai nella „ la Scrittura, o ne' Padri, che l'operar con sì fatta ignoran„ za abbia ricevuto premio, e lode da Dio, e che però poſ„ ſa eſſer opera meritoria, come inſegnano tanti Moderni : „ onde al più tale ignoranza, quando ſia invincibile, potrà „ ſcuſare, ma non render l'opera oneſta, ove l'oggetto for„ male non è oneſto . " Hos ſapientiſſimos Ieſuitas diurna nocturnaque manu revolvat Hiſtoricus litterarius, & vale dicat Terillo, Tamburino, Eſcobario, Buſembao, Lacroixio eiuſque Supplemento.

VII. *Pag. eadem* ſuperbiæ me arguit Hiſtoricus. „ Ma dapper„ tutto traluce l'inſigne umiltà, l'incomparabile carità, lo ze„ lo acceſiſſimo del Teologo noſtro. L'umiltà veramente nell' „ undecimo capo patiſce qualche pericolo, quando a propoſito „ di certo P. Zech Geſuita Tedeſco, il quale dice d'aver pro„ vata ineſplicabil noja *in perlegendis tractatibus Concinianis , in* „ *quibus ordo nullus, ſed mera confuſio, miſcet omnia , eademque ſin*„ *gulis fere paginis repetita redeunt , dolenda temporis & chartarum* „ *pernicie . . . . Quorum libri ſimiles videntur turbido, & ex intimis* „ *receſſibus agitato vortici, ubi quæ ſemel arrepta ſunt, eadem ſemper* „ *magno impetu revolvuntur, novis ſolummodo conviciorum ſpumis CON*„ *SPURCATA*. Aggiunge il P. Concina in un tono faſtoſetto. „ *Reſpublica litteraria mirabitur quod opera mea indigeſta , confuſa ,* „ *biulca ad arma provocent tot Collegas ſuos & Trivultianos in Gallia,* „ *& Bollandiſtas in Belgio, & Bavaros in Germania , & Longobardos* „ *in Italia*. Ma poi quaſi rientrato in sè, e conſiderando, che „ anche contra un INCENDIARIO, il quale da una all' al„ tra città andaſse appiccando fuoco, da tutte le parti ſi gride„ rebbe contro di lui, nè queſti potrebbe già ciò recarſi ſe non „ pazzamente a vanto, ritorna a' primi ſentimenti di umiltà „ nel cap. XIII. e ſi chiama *bumilem , imbecillem , & ſolum bo*„ *muncionem*. Non traſcorriamo però &c."

VIII. Sincere fateor me vitio laborare ſuperbiæ, quæ eſt primum hydræ originalis culpæ caput. Ut adverſus hoc monſtrum pu-

pugnem, me ipſum recognoſcere adnitor, videoque me eſse *viliſſimum terræ filium, humilem, imbecillem, & merum homuncionem*. Quanto in interiori animo meo ſuperbia ardeat, ſolus Deus iudex eſt. An vero recitata verba adverſus P. *Zech* ſuperbia tumeant, an ſit iuſta & tempeſtiva redargutio, iudicent æqui rerum æſtimatores. At nonne contra *Incendiarium* qui ex una in alteram civitatem ignem deportat, omnes clamant? inquit Hiſtoricus. Non ergo ignis fatuus, & chimæricus, alioquin fatui eſsent qui clamarent. Et ſane niſi ignis ureret, nequaquam tam furenter ſaltitarent amici. Sed quid urit ignis iſte? Laxitatis caſuiſticæ ſtuppam. Iſtius autem ſtuppæ incendio gaudere omnes chriſtianæ doctrinæ cultores debent. Sed quid ineptias refellens ineptio ipſe? Unum addam, haud bene ſibi conſuluiſse Hiſtoricum noſtrum, dum humilitatis vacuum, & ſuperbia tumidum me depingit. Nam Eruditi Itali, qui legunt illa repetita elogia & plauſus quos ſibi ſuaviſſime Hiſtoricus canit, dum opuſcula ſua ad ſidera uſque extollit, præſertim *Supplementum Caſuiſticum* ad Buſembaum & Lacroixium, quod eſt revera dignum patella operculum, cuius trinas iactat editiones: qui, inquam, eiuſmodi, & alia plura ſimilia legunt, nativam & modeſtiæ, & prudentiæ, & humilitatis imaginem Litterati Hiſtorici ſibi formant.

IX. Satyram in præfationem concludit Hiſtoricus *pag.* 53. his verbis. *Termina queſta prefazione con un divotiſſimo colloquio a Gesù Criſto, che non diſdirebbe a ſuor Maria d'Agreda: tanto è ripieno di ſacra unzione*. Neque percelebris virgo Agrida declinare ſatyræ tuæ aculeos potuit? Extrema adeo remota, & pugnantia coniungis? Quænam comparatio meorum cum Agredianis libris? Sed his delectatur paradoxis Cenſor egregius.

X. Hactenus in præfationem ſolam, nunc in ſex Tomos ſatyricam cenſuram ſuam Hiſtoricus exercet. Breviſſimo calamo diſſertationes cuiuſque Tomi indicat. Nullam in tot Tomis ſententiam, nullam ex tot Caſuiſtarum laxis opinionibus truncatam, Rigoriſmum nullum, nihil denique ad doctrinam quod attinet, offendit in quod extendere ſuam cenſoriam virgam queat: idcirco ſpectra quædam ſibi effingit quibuſcum belligerare paullulum valeat. Miratur pag. 56. *di vedere il P. Concina più largo del Geſuita Antoine .... e di non vedere nella quiſtione della* bugia *certa lettera di S. Franceſco di Sales, che una vol-*

volta (e non ſon ſecoli) fece gran rumore. In qua controverſia laxior ſim Ieſuita Antoine, non indicat. Mendaciorum patroni allegare epiſtolam S. Franciſci de Sales conſueſcunt. Non memini ego Saleſianæ epiſtolæ in quæſtione de *mendacio*: idcirco notam mihi appingit Cenſor hiſtoricus? Grandem concitavit rumorem non ita pridem epiſtola iſthæc? Non epiſtola ſanctiſſimi Franciſci, ſed mendaciorum defenſores turbas excitavere. Hæc, ut extra viam more ſuo aberrantem Hiſtoricum inſequerer, ſcripſi.

XI. Alias impoſturas, & manifeſtas falſitates infarcit Hiſtoricus *pag*. 56. inquiens:„ Il P. Concina non contento d'attac„ care varj privilegj di Benedittini, ed altri Regolari (Tom. „ III. pag. 325.) ſembra pigliare anche di mira l'Iſtituto del„ la Compagnia di Gesù (Tom. II. pag. 139.)

XII. Omnium Regularium invidiam concitare adverſus me benigniſſimus Probabiliſta ſtudet. Neque Benedictinorum, neque aliorum Regularium privilegia vera, & authentica *loc. cit.* a me vellicantur; ſed Caſuiſtas Sanchez, Lopez, Caſtropalaum, Machadum, Leſſium, Candidum, Tamburinum, La-Croix, alioſque redarguo, qui privilegia commentitia tribuunt Regularibus Confeſsariis, quibus valeant diſpenſare in omnibus votis Papæ non reſervatis. Diligentia ſumma expiſcari hæc privilegia ſtudui, & nullibi eadem reperi: & aliqua non diſpenſandi, ſed commutandi dumtaxat facultatem impertiunt. Scit ne P. Zaccaria eiuſmodi privilegia eſſe authentica & germana? Expendit ne illa? Quo ergo auſu mihi de more imponit, quod Regularium privilegia carpam? Caſuiſtæ laudati amplificant Regularium iuriſdictionem & in votorum diſpenſatione, & in abſolutione ſacramentali, inquientes, poſse Confeſsarios cum *iuriſdictione probabili* abſolvere pœnitentes. Dum eiuſmodi commenta refello, in odium Regularium me adducere Hiſtoricus vafre conatur. Sed fruſtra. Docti enim piique Regulares veritatem, ſecus caſuiſticas laxitates adamant.

XIII. Ut vero Inclytæ Societati me infenſum traducat, in medium promit eadem *pag*. 56. textum ex meo *Tom. II. pag*. 139. incredibili verſutia truncatum. Hæc ſunt illius verba. „ Cerca egli (il P. Concina) *Licitum ne eſt renuntiare iuri fra*„ *ternæ correctionis*? e dopo aver riportate le ſentenze de' Dot„ tori, e tra queſte quella de' Geſuiti, i quali per regola

„ da

Digitized by Google

„ da Gregorio XIII. approvata nella Bolla *Aſcendente Domino*
„ hanno di rinunziare à queſto diritto, perchè i lor difetti
„ ſieno immediatamente al Superior deſeriti, conchiude co-
„ sì. *Quod in hac controverſia mihi negotium faceſſit, illud eſt,*
„ *quod nulla Religio diſciplinam profiteatur perfectiorem illa quam*
„ *Chriſtus ipſe in Apoſtolico Collegio inſtituit. Hanc perfectionem o-*
„ *mnes ſacri Ordines ſequendam amplectuntur. Porro Chriſtus Domi-*
„ *nus ea omnia præſcripſit quæ ad hunc finem obtinendum conducunt.*
„ *Inter alia autem præcipit ſecreto corrigendum eſſe delinquentem fra-*
„ *trem. Qui contendunt melius efficaciuſque incolumem diſciplinam e-*
„ *vangelicam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, im-*
„ *mediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur; hi profecto*
„ *Evangelium CORRIGERE, regulaſque perfectiores ac prudentiores*
„ *præſcribere velle videntur*. Lo ſcrupolo mio è queſto. Viennmi
„ in capo (heu! Quæ non veniunt in caput iſtud?) che
„ queſto ſquarcio del P. Concina pizzichi d'impugnazione dell'
„ Iſtituto della Compagnia di Gesù."

XIV. Ut omnes eruditi Itali admirentur ſinceritatem Hiſtorici noſtri, ſciant, me poſt laudata verba nullo medio interpoſito continuo ſubdere: *Utcumque tamen res hæc ſe ſe habeat, non eſt quod diutius in eadem immorari debeam. Nec enim litem hanc decidere mihi in animo eſt . . . Nec improbo ſi quid ſapientes, ſanctique viri oppoſitum ſtatuerunt. Quin illis, utpote divino perfuſis lumine, faſces ſubmitto, & utroque pollice ſubſcribo*. Si ego opinionem alicuius Caſuiſtæ tam manifeſte truncatam exhibuiſſem, continenter clamarent: En inſignem fraudem: en calumniam manifeſtam. At ita clamare mihi non licet. Immo illi ſic vociferantur, cum ſinceritate ſumma laxiſſimas Caſuiſtarum quorumdam opiniones tranſcribo. Nihil tamen illorum clamores moror. Sat mihi eſt veritatem pro me ſtare. Teſtor itaque me numquam voluiſſe vel tantillum derogare ſanctiſſimi Patriarchæ Ignatii Regulæ ſive directe, ſive indirecte, ſive quocumque excogitabili modo.

XV. P. Franciſcus Antonius Zaccaria, PP. Gagna, Ghezzi, Lecchi, Zech, Sanvitale, aliique nullum non movent lapidem, ut me tamquam hoſtem præſtantiſſimæ Societatis IESU diffament, eiuſdemque contra me potentiam concitent. At velint, nolint, ſemper fui, ſemperque ero obſequentiſſimus tantæ Societatis ſervus, ſemper eiuſdem merita, & labo-

bo-

Digitized by Google

bores in vinea Domini , & optimas diſciplinæ , & regiminis regulas magni faciam , laudabo , & hæc omnia aliis imitanda prædicabo , quemadmodum ſemper feci , ut omnes amici teſtés ſunt . Nec enim ſcribere in publicum hæc auderem , niſi vera eſſent . Illud ex corde doleo , quod citati Ieſuitæ *Zaccaria* , *Gagna* , *Ghezzi* , aliique ſimiles Societati ſuæ maximum afferant detrimentum libris ſuis , quos non dicam laxis opinionibus , ſed dicteriis , impoſturis , iocis frigidiſſimis , næniis , gerriſque vaniſſimis pleniſſimos evulgant , & communem Societatis ſuæ cauſſam cuiuſcumque Caſuiſtæ aberrationes conſtituunt . Iſti profecto , vel nolentes , Societati ſuæ infenſi & detrimentoſi ſunt . Iſti in Italia , illi in Gallia , alii in Belgio , alii in Germania adverſus totius Europæ cuiuſcumque facultatis Scriptores tribunal erigunt , cenſuras inurunt , benevolos & partiarios laudant , palpant , & mirificis elogiis extollunt ; ceteros omnes ſatyris vellicant , plautino ſale defricant , ulcerant , & non raro impoſturis diffamant , deprimuntque. En Societatis hoſtes , quos inter emicat in Italia P. Franciſcus Antonius Zaccaria , qui plurimos cordatos , prudenteſque Italiæ eruditos viros hac ſua *litteraria Hiſtoria* commovit , punxit , & ad iuſtam deſenſionem provocavit , & veluti coegit . Dum hæc ſcribo ad manus pervenit epiſtola typis edita 15. Aprile 1751. quæ hunc præfert titulum : *Lettera di N. N. concernente alla cenſura , che nel Lib. I. del vol.* 2. *della Storia letteraria d' Italia ſi legge nel cap.* 11. §. 10. *e* 11. In hac epiſtola hæc *pag.* 3. leguntur . „ Io non voglio porre in diſputa , ſe l' oggetto di chi ha introdotta la compilazione di quella *Storia* „ *letteraria* ſia quale a voi viene ſuppoſto ; cioè di fare , che „ anche in Italia ſiavi una Scimia di Gazzettieri di Trivoux , „ che oltre al lucro , che a ſpeſe de' Gonzi ſuol fruttare , ſer- „ va ancora a moltiplicare Proſeliti a forza di favole , d' adu- „ lazioni , di panegirici , d' encomj per tutto ciò ch' eſce da „ ſuoi Confratelli e partegiani : ed all' oppoſto col vilipende- „ re , e procurare di ſcreditare tutto ciò che non s' accorda „ colle falſe loro prevenzioni. *Pag.* 5. *num.* 4. Ognuno ſa , che „ il raccoglitore della *Storia letteraria* ciecamente rapporta ſen- „ za veruno diſcernimento tutte le frottole che gli vengono „ ſomminiſtrate , qualora s' accordino con que' falſi pregiudizj „ da quali è preoccupato . *Pag.* 6. Cento altre conſimili frot-

„ to-

„ tole ed invenzioni, che racchiudonſi in quella raccolta di „ vere *zaccare* del P. Zaccaria ſono quelle che già preſſo gli „ uomini ſavj hanno poſto in diſcredito quella Storia, non „ meno che lo Storico.“ Hæc pauciſſima delibavi ex præfata epiſtola, miſſis aliis, quæ longe acerbiora ſunt adverſus hanc *Hiſtoriam litterariam*, ut luculentius confirmarem, P. Zaccaria, alioſque ſimiles, illos eſſe qui detrimentum inferunt Inclytæ Societati. Hi enim, ut alias dixi, & dicendum ſæpius eſt, ſunt qui tribunal cenſorium erigunt adverſus fere totius Europæ Scriptores, ſententias dicunt, notas inurunt, vulnerant, lacerant, profligant. Cum vero reſponſa opportuna audiunt, tum apud Magnates, & cuiuſcumque ſtatus viros voce modo ſubmiſſa, modo elata lamentantur, non ſolum ſemetipſos lædi, ſed ipſam laceſſiri Societatem, & diffamari. In quos ſane illud Iuvenalis dictum *Sat.* II. quadrat:

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

XVI. Sed rurſus audiamus P. Zaccaria, qui *pag.* 57. hæc ſubdit. „ Prima di terminare queſto eſtratto, vogliamo muo„ vere una queſtione. Domandiamo adunque, ſe i Geſuiti „ ſcriveran nulla contro queſta Teologia? Se abbiamo a dire „ ciò che crediamo, ne parrebbe, che nol doveſſer fare, „ per due ragioni. E primieramente abbiamo oſſervato, che „ il P. Concina, come ſe i Geſuiti non aveſſero mai ſcritto „ nulla contro d' alcune ſue particolari propoſizioni, torna a „ dire con franchezza, e che il Probabiliſmo è il *novel modo* „ *d' opinare* dannato da Aleſſ. VII., e che i trattenimenti del „ P. Daniel contro le Provinciali ſono proibiti anche nell' ori„ ginal loro lingua Franceſe, e che il negare, che tale o „ tal altra vietata propoſizione ſia in queſto, o in quell' al„ tro Caſiſta, ſia un favorire il fatto di Gianſenio inventato „ con tanto ſcandalo della Chieſa da' Gianſeniſti, e che il P. „ Benci ha inſegnato *licitas eſſe blaſphemias ex conſuetudine*, e „ cento e mille altre coſe ſimiglianti.“

XVII. Appello ipſos ſapientes prudenteſque Ieſuitas, ut iudicent ſuper prudentia P. Zaccaria in refricandis recenſitis punctis. Et ut ab ultimo incipiam, recoctam crambem P. Benci ad menſam reducit? Mica ne prudentiæ hic relucet? Recogitet lector, quæ argumenta canendi mihi præberent & li-

bellus famoſus Retractationis bis editæ, & ſubobſcœna doctrina &c. & blaſphemiæ ex conſuetudine? Sed, ut novum moderationis meæ argumentum perhibeam, omnia ſilentio obvolvo, & ad duas meas epiſtolas his de argumentis lectores remitto. Ad factum quod attinet Ianſenianum, graviſſimum ſane, & pernicioſiſſimum ſcandalum invexerunt Ianſeniſtæ. Sed cur? Quia & hæreticam doctrinam in libro Ianſenii manifeſte extantem protegebant & promovebant, & Eccleſiam accuſabant, quod commentitiam hæreſim in libro Ianſenii damnaſſet. Quare iure Eccleſia definivit, reipſa in opere Ianſenii, & in ſenſu Ianſenii reperiri damnatam doctrinam. Utique Eccleſia non definivit laxas morum propoſitiones reperiri in hoc vel illo Caſuiſtarum libro. At nihilominus qui damnatas laxas morum propoſitiones, quæ evidenter ſunt & in hoc & in illo libro Caſuiſtarum, negant reipſa reperiri, nonne & iſti promovent laxam morum doctrinam? Nonne & iſti imitantur Ianſeniſtas, qui factum negabant? Nunc Ianſeniſtæ duplicis culpæ rei ſunt: & quod definitioni Eccleſiæ, & quod manifeſtæ evidentiæ refragentur. Qui negant propoſitiones damnatas ab Alex. VII. Innoc. XI. Alex. VIII. reperiri in hoc aut in illo libro Caſuiſtico, non contradicunt alicui Eccleſiæ decreto; ſed reſiſtunt manifeſtæ evidentiæ, cum certum exploratumque ſit vetitas opiniones reperiri in libris caſuiſticis. Reperiuntur, inquiunt, in libris caſuiſticis, ſed non in hoc aut in illo Caſuiſta. Ille negat aliquam damnatam propoſitionem reperiri in Sanchez, in Eſcobario, in Tamburino; alter negat reperiri in La-Cruz, in Zanardo, & ſic de ſingulis. Et hac via imitantur Ianſeniſtas, qui excogitarunt factum Ianſenianum, antequam Eccleſia illud definiret. Plura hic dicenda eſſent, quæ nunc prætereo. Colloquia *P. Daniel* vetita eſſe etiam in lingua gallica dixi, in hypotheſi quod nihil omnino differant a verſione latina. Oſtendat P. Zaccaria diſcrimen aliquod, & ceſſat omnis quæſtio.

XVIII. Novum modum opinandi improbatum ab Alexandro VII. tamquam contrarium evangelicæ ſimplicitati, & Patrum doctrinæ dixi, & iterum adfirmo eſſe Probabiliſmum. Aſſignet P. Zaccaria alium opinandi modum qui *irrepſerit* in Chriſtianam morum Theologiam, præter Probabiliſmum. Nemo hactenus id præſtitit, nec profecto præſtabit.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Finem ſuo excerpto imponit P. Zaccaria *pag.* 57. his verbis . „ In ſecondo luogo conſidero , che contro i due To-
„ mi della *Storia del Probabiliſmo*, che tratta un particolar pun-
„ to , ſono uſciti da' Geſuiti ſei libri . " (Et hi ſunt , P. Franciſce Antoni , qui Probabiliſmum Societati adſcribunt .)
„ Sicche contro dieci Tomi di Morale ce ne vorrebbono al-
„ meno ſeſſanta , tanto più che infiniti punti vi ſi trattano .
„ E dove troveran però i Geſuiti da ſtampare ſeſſanta To-
„ mi ? Ma ſe mai ſcriveſſero , ſappiano che il P. Concina
„ non farà altro che quell' ha ſinora fatto , cioe ringraziare
„ il Sig. Dio . . . . O animo generoſo , e veramente criſtia-
„ no ! "

XX. Hac ironica admiratione concludit ſatyram ſuam Hiſtoricus in Theologiam Chriſtianam . Gratias plurimas illi habeo , quod univerſæ Reipublicæ litterariæ declaraverit idemetipſe , nihil iuſta cenſura dignum occurrere in ſex meæ Theologiæ Chriſtianæ Tomis , tametſi linceis oculis ab ipſo luſtratis . Quapropter , cum nihil ſolidi carpendum offenderit , coactus eſt , ut ſuo ingenio faceret ſatis , obtrudere pueriles ineptias , gerras ſiculas , cavillationes & vitilitigationes ſupraquam dici poteſt ridiculas . Fallitur , dum ait Ieſuitas ſex tantum Tomos edidiſſe contra *Hiſtoriam Probabiliſmi* . Solus P. Sanvitale quinque vel ſex Tomos , duos P. Ghezzi , unum P. Lecchi , unum P. Bovi , unum valde magnum P. Gagna , unum P. Richelmi in lucem miſere . Hi ſunt ſtrenui commilitones , qui pro ſarto tecto cuſtodiendo Probabiliſmo belligerant : & iſti ſunt qui lamentantur dum iiſdem Probabiliſmus adſcribitur , veluti litterariæ militiæ teſſera .

XXI. Hoc eodem capite *num* 7. *pag* 59. ſatyram ſuam exercet non in aliquem privatum Scriptorem , ſed altius aſſurgit , & in ipſam epiſcopalem Cathedram tela ſua magno impetu iaculatur P. Franciſcus Antonius , & rurſus in memetipſum eadem detorquet , ut ſuum *Probabiliſmum* vindicet . Illius verba tranſcribam . „ A particolari quiſtioni vegnendo , il primo
„ libro è di Monſignor SPINOLA Veſcovo di Savona . Que-
„ ſto zelante Prelato avea già ſtampata una *Italiana ſua Decla-*
„ *mazione contro il Probabiliſmo* . Ha giudicato di riſtamparla ,
„ e vi ha aggiunta un' altra latina Paſtorale *contro lo ſteſſo Pro-*
„ *babiliſmo* , ed altre ſue Iſtruzioni e lettere . Par che queſto

Digitized by Google

„ Prelato abbia ſoltanto letta *certa Storia del Probabiliſmo*, poi-
„ chè n' ha preſo tutto il fuoco dell' invettive, e molto più
„ perchè ne traſcrive gli abbagli. Cosi (*pag.* 56. *della Paſtoral*
„ *latina*, e *pag.* 161. *dell' Iſtruzione*) chiama col P. Concina *Con-*
„ *cilio Nazionale* l' Aſſemblea del Clero di Francia del 1700....
„ Tratti del P. Concina ſono il dirſi pag. 18. che *Eccleſiaſtico-*
„ *rum adbuc nulla tum ſæcularium tum Regularium Schola, nullus Or-*
„ *do, Academia nulla, nemo Cardinalium, & Epiſcoporum qui hacte-*
„ *nus ſcripſerunt, nullus ſapientum virorum cœtus adoptaverit Proba-*
„ *biliſmi ſententiam:* e ſimilmente il rimbeccare a' Geſuiti, che
„ violatori ſono delle loro Regole, ſeguendo il Probabiliſmo,
„ come pure che il Cardinale Pallavicini abbia abiurato il Pro-
„ babiliſmo, e che Aleſſandro VII. abbia dannato come opi-
„ nare contrario al Vangelo quello de' Probabiliſti. E' da do-
„ lerſi, che queſto Veſcovo non abbia letto nè il *Quæſtio facti*
„ del P. de Camps, nè le lettere del P. Daniel al P. Nata-
„ le Aleſſandro, nè alcuno de tanti libri, che ſono uſciti di
„ queſt' anni ſulla controverſia del Probabile. Forſe però (con
„ tutta riverenza il diremo al ſuo grado) più ſpediente era
„ ch' ei s' atteneſſe al prudentiſſimo conſiglio che nell' aureo
„ libro *De Synodo* dà il Regnante Pontefice a Veſcovi, di non
„ entrare a *decidere* controverſie, nelle quali diviſe ſono le
„ SCUOLE CATTOLICHE. Ma è da lodarſi ſempre
„ la buona intenzione di Monſignore. " Hactenus P. Zac-
caria.

XXII. Ad ſingula capita breviſſima reſponſa. Ad 1. *Declamationem* Reverentia ſua urbaniſſime appellat *Inſtructionem epiſcopalem* ſana doctrina, & paſtorali gravitate, atque cæleſti unctione refertam? Ad 2. Epiſcopus Savonenſis ſolam legiſſe videtur hiſtoriam quamdam Probabiliſmi? Sola hæc *Probabiliſmi* hiſtoria pungit P. Franciſcum Antonium, ac ſi non eſſent centeni & milleni libri contra Probabiliſmum, quem *omnium malorum caput & fontem* appellat Clerus Gallicanus. Ignis ne hic ardet? Ad 3 Ab hac hiſtoria ſuas traxit aberrationes doctiſſimus Epiſcopus? Scilicet. Appellat enim congregationem Prælatorum Galliæ *Concilium nationale*. Graviſſimus hic error iam a plurimis annis profligatus fuit in *Examine Theologico* adverſus venuſta colloquia *P. Ghezzi*. Contritam neniam iterum obtrudit graviſſimus Cenſor. Legat Calepinum, & vocabula latini ita-

Digitized by Google

talique ſermonis, invenietque hanc vocem *Concilium* ſignificare *Concilio*, *Aſſemblea*, *Radunanza*, *Sinodo*, *adunamento* &c. Quæſtione, ſive in *hiſtoria Probabiliſmi*, ſive in *Inſtructione paſtorali* verſatur, num hoc vocabulum *Concilium* in rigido theologico ſenſu accipiendum ſit? Narratur ibi univerſam Eccleſiam Gallicanam Probabiliſmum ceu malorum caput & fontem proſcripſiſſe. Quod autem Prælatorum Gallorum multitudinem coniunctam exprimamus hac aut illa voce; ſive appellemus Comitia, ſive Conventum, ſive Concilium, perinde eſt, ac ſi multitudinem Regularium eligentium ſuum Generalem vocemus *Congregationem generalem*, ſeu *Capitulum generale*. Vox quippe *Concilium* in hac cauſſa nihil ponderis addit, cum certum ſit univerſam Nationem, ſeu Eccleſiam Gallicanam damnaſſe Probabiliſmum. *Hæc eſt facti veritas luculenta & inconcuſſa*. Sed leviculi, & garruli cavillatores omni veritate deſtituti, voces venantur, quarum varium ſignificatum obiiciant, & tenebras veritati offundant. Sed Hiſtoricus rei litterariæ nec ipſarum vocum, nedum quæſtionum theologicarum, varios ſignificatus tenet. Quemadmodum enim nunc litem intentat, quod Concilium pro Conventu uſurpatum ſit; ſic Oppidum pro Civitate accipi poſſe, non ita pridem negavit.

XXIII. Ad 4. Reperiuntur ergo ſacri Ordines, Academiæ, Scholæ quæ profitentur *Probabiliſmum*? Quinam ſunt hi Ordines? An Prædicatorum, an Minorum, an Carmelitarum, an Servorum B. V. an Auguſtinianorum, an Benedictinorum, an denique Societatis Ieſu? Deſignet P. Franciſcus Antonius aliquem ſacrum Ordinem, unam Academiam quæ ſibi gloriæ & honori vertat dulciſſimam & benigniſſimam Probabiliſmi doctrinam in utramque partem flexibilem propugnare? Mirifica & inaudita paradoxa. Si Epiſcopus Savonenſis tribueret Societati Ieſu Probabiliſmum, calumniatoris notam non effugeret. Quod nunc neget aliquem ſacrum Ordinem, Cœtum, Academiam amplecti Probabiliſmum, improperatur, accuſatur, quod hanc impoſturam tranſcripſerit a P. Concina. Oh lepidum capitulum!

XXIV. Ad 5. Celeberrima Societas Ieſu vi ſuarum Conſtitutionum tenetur ſequi *ſecuriorem doctrinam*. An opinio minus probabilis, puta, non confitendi peccata *poſitive dubia*, ſit doctrina ſecurior, iudicium remittitur pio lectori.

XXV.

XXV. Ad 6. Cardinalis Pallavicinus hæc *epiſ.* v. ad P. Michaelem Elizalda ſtrenuum·Probabiliſmi profligatorem *pag.* 91. *&* 92. *edit. Rom.* ſcribit. *Il penſiero di V. R. intorno al portar qualche lume a queſto TENEBROSO CAOS delle opinioni probabili è degno del ſuo zelo, e del ſuo valore. Riputerò altamente onorato il mio nome, ſe lo vedrò ſcolpito ſopra un edificio di marmi sì prezioſi, sì ſaldi, e sì durabili; anzi ſpererò di aver qualche merito con Dio: mentre col darvi l'aſſenſo, io divenga partecipe d' opera sì fruttuoſa per la oſſervanza della ſua ſanta legge, e per la ſalvezza delle anime ricomprate col ſangue del ſuo Figliuolo &c. Il dì 8. di Febbrajo* 1664.

XXVI. Videamus nunc utrum P. Michael Elizalde ſuo ſplendidiſſimo ædificio pretioſis ſane marmoribus, & margaritis diſtincto inſculpſerit nomen celebratiſſimum Cardinalis Pallavicini. Hæc autem contra Logicam Moya ſcribit P. Elizalde §. 4. pag. 4. „ *Tertium quod* (Moya) *Cellam Dei vocet pediſſequum Cardin. PALLAVICINI, cum Cardinalis doceat, ac tradat in ſuis operibus uſum vulgarem probabilium &c. Hoc eſt offendere velle, ſed neſcire. Itaque Eminentiſſimus Dominus, quamdiu ſolum egit Theologum, docuit uſum vulgarem probabilium. Deinde vero in Sacris Congregationibus acutiſſimum ingenium . . . . advertit, vel quæcumque in Sacris Congregationibus agebantur, eſſe iniqua, vel falſam eſſe opinionem de uſu probabilium, & ideo opinionem MUTAVIT.* Quid ad hæc P. Franciſce Antoni? Occaſione data audiat etiam ſequentia, quæ ſcribit idem P. Elizalde de *Rect. Doctr. Mor. Part. II. Lib. VI. quæſt.* VIII. §. 10. *pag.* 216. ubi hæc habet. *Certe vir ille magnus Mutius Viteleſchi Societatis Ieſu Præpoſitus generalis vidit olim mala hæc etiam morum liberiorum opinionum, moriſque docendi probabilia, & graviſſime inquit: Nonnullorum ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus plus nimio liberæ, non modo periculum eſt, ne Societatem evertant; ſed ne Eccleſiæ etiam Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant (ſcilicet Superiores) ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula & norma in delectu opinionum utantur: Tueri quis poteſt: Probabilis eſt: Auctore non caret. Hæc inter alia vir ille tantus. Ergo . . . maxima mala ea ſunt quæ ex probabilium docendi licentia conſequuntur: & periculum eſt ne non modo Societatem ipſam evertant, quia mores noſtri doctrinas NOSTRAS plerumque ſequuntur, & vires appetitivæ apprehenſivas; ſed periculum etiam eſt ne univerſæ Eccleſiæ Dei inſignia detrimenta inferant.* Documentum profundius meditandum.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Ad 7. De Alexandro VII. reſponſum ſupra eſt. Semper recoquunt eamdem crambem, & poſtea lamentantur quod eædem repetantur veritates. Ad 8. Si Epiſcopus Savonenſis legiſſet *Quæſtionem Facti P. De Champs*, reperiſſet, hunc celebrem Ieſuitam non audere propugnare Probabiliſmum, ſed hunc manaſſe ex Dominicanorum Schola. Huc recidit tota illa *Quæſtio Facti*, quemadmodum & Epiſtolæ *P. Daniel* ad P. Alexandrum. Pluries reſponſum eſt. Si nonnulli Ieſuitæ iactant ſe Dominicanos aliquos errantes ſecutos eſſe in Probabiliſmo amplectendo; cur gloriæ ſibi non vertunt Dominicanis Probabiliſmum deteſtantibus adhæreſcere? Pluries iiſdem hoc inculcavi conſilium. Et Hiſtoricus litterarius mihi vitio vertit, quod animi firmitudine (*con fermezza d' animo*) eadem vera & ſaluberrima conſilia repetam?

XXVIII. Ad ultimum. In poſtrema ſuæ cenſuræ parte P. Zaccaria & Sapientiſſimo Pontifici BENEDICTO XIV. & perdocto Epiſcopo Savonenſi auſu ſane nimio imponit. Ubinam Epiſcopus Savonenſis *decidit*, *definit* Probabiliſmi controverſiam? Hiſtoricus noſter ſub initium cenſuræ traducit Epiſcopum Savonenſem tamquam *inflammatum Declamatorem*: ſub finem cenſuræ eumdem repræſentat veluti iudicem definientem Probabiliſmi controverſiam. Epiſcopus autem in ſua inſtructione, ut titulus ipſe (qui eſt eiuſmodi: *Auguſtini Spinulæ &c. ad dilectiſſimos Alumnos &c. & RR. Sacerdotes &c. MONITUM PASTORALE*) oſtendit, nullo modo quæſtionem hanc definit, deciditve. Patentiſſimam itaque calumniam affingit Hiſtoricus tanto Epiſcopo, dum ait: *Più ſpediente era di non entrare a DECIDERE controverſie nelle quali diviſe ſono le Scuole cattoliche*. Quænam eſt illa *Schola catholica*, quæ Probabiliſmum propugnat? Sed de hoc alias. Imponit quoque hiſtoricus Cenſor doctiſſimo Pontifici BENEDICTO XIV. quaſi is vetuerit ne Epiſcopi in ſuis diœceſibus docere greges ſuos doctrinam quam indicant ſaniorem, & veritati proximiorem, valeant. En quam verum ſit nonnullos minus prudentes Scriptores conſtitutiones & ſaluberrima documenta pontificia in commune Eccleſiæ bonum contra Romanæ Sedis hoſtes edita ad domeſtica ſyſtemata amplificanda incredibili, & non ferendo abuſu detorquere, & vi ſumma inflectere.

XXIX. Sub huiuſce iuſtiſſimæ defenſionis finem iterum atque

Digitized by Google

que iterum oro obteſtorque probos ſapienteſque Ieſuitas ut ſerio expendere velint, num prudenter P. Zaccaria modeſteque in Illuſtriſſimum atque Reverendiſſimum *Spinulam* Epiſcopum Savonenſem, tot titulis præſtantem, ſatyræ ſuæ tela intorſerit. Eccur? Quia & Seminarii ſui Alumnos, & ſuæ diœceſis Sacerdotes ſalubriori doctrinæ pabulo alere & nutrire ſtuduit: quia lingua & italica, & latina, quæ docuit, publici iuris fecit. Eo malorum res noſtræ devenere, ut nequeant vel ipſi Epiſcopi doctrinam quæ, omnibus & Catholicis, & hæreticis, & paganis ipſis fatentibus, ſanior & ſecurior eſt, promovere, ſuadere, inculcare, quin unius P. Franciſci Antonii Zaccaria ferula vapulent. Num inauditus a ſæculis auſus tantus ferendus ſit, ſententiam dicant laudati ſapientes prudenteſque viri: iudicent, quinam ſint qui celeberrimæ Societati & adverſarios concilient, irritentque, atque detrimentum inſerant.

CAPUT V.

Refellitur erronea opinio P. Iacobi Sanvitali *qui ſæculum noſtrum cum vetuſtis collatum appellandum eſſe* AUREUM *docet*.

I. QUæ adverſus perſonam meam miſerrimam ſcripſit P. Iacobus Sanvitali, chriſtiana patientia diſſimulavi; ſed quæ ſcripta ab eo ſunt contra veritatem, præterire Chriſti caritas non permittit. *Sæculum* noſtrum cum antiquis comparatum aureum eſſe contendit ille, in quo, hæreſibus pulſis, amplificata catholica religione, inſtaurata diſciplina tum eccleſiaſtica, tum monaſtica, devotione aucta, ſuccenſo apoſtolico zelo, reſplendet morum ſanctitas, & tranquilla vigente pace, Ieſu Chriſti Eccleſia circumquaque coruſcat. Et adverſum me, quod in hiſtoria Probabiliſmi & Rigoriſmi oppoſitum ſcripſerim, hoc impetu in ſuo libro inſcripto *Veri paradoſſi* irruit.

II. Pag. 211. & 212. *Dia una mentita ſolenne al P. Concina l' eruditiſſimo, e diligentiſſimo indagatore delle antichità il Sig. Prepoſito Ludovico Antonio Muratori, il quale dopo aver eſaminati i ſecoli del dominante Probabilioriſmo, e in quale ſtato allora ſi viveſſe, ci eſorta a rin-*

ringraziare Iddio, perchè ci abbia riſervati a vivere ne' tempi preſenti, non già liberi da vizj, ed abuſi; ma TEMPI AUREI in paragone di quegli antichi pieni d' iniquità per la ſmoderata corruzione de' coſtumi.

Spieghiamo che additi quei ſecoli AUREI IN PARAGONE. Primo per la pace aurea, che ne' ſecoli del Regnante PROBABILISMO ha goduta S. Chieſa rimaſta immune dagli Sciſmi ec.

Tempi aurei in paragone, per la SCARSEZZA delle nuove ereſie ben toſto ripreſſe ed annichilate ec.

Secoli aurei in paragone, per l' aurea eſemplarità di tanti Cattolici in ogni condizion di perſone ec.

Secoli aurei al paragone, per l' aurea eloquenza di numeroſi zelanti Predicatori ec.

Seculi aurei al paragone, nella prodigioſa moltitudine di libri ſpirituali ec.

Secoli aurei al paragone, per la univerſale profuſion di limoſine ec.

Secoli aurei al paragone, perchè la Chieſa cattolica riſplende a' tempi noſtri magnifica nelle Chieſe, frequente nella participazione de Sacramenti ec.

Secoli aurei, per il fervore di zelantiſſimi Miſſionarii ec.

Secoli aurei per la erezione di numeroſe caſe di ritiramento ec.

Secoli aurei, per l' emulazione ſanta, con cui il Clero ſecolare, e tutti gli Ordini Regolari gareggiano tra loro nel tenere le Chieſe più polite ec.

Secoli aurei, per l' applicazione indefeſſa di più Ordini Religioſi alla cultura sì ſpirituale, come delle ſcienze e delle buone arti nella gioventù ec.

Secoli aurei per le doti eccellenti de' Prelati che vengono eletti al reggimento delle dioceſi ec.

Il bel detto TEMPI AUREI.... porta una ſolenne mentita alle più centinaja di maldicenze affollate ne libri, Quareſima Appellante, Iſtoria del Probabiliſmo ec.

III. Hæc ſunt lætitiæ, exultationis, gaudii, & ſolatii argumenta, quæ populo chriſtiano proponit P. Iacobus Sanvitali. Verum hi ſunt lacrymarum, planctuum, & ululatuum fontes, quos aperit ſapientiſſimus Ieſuita Ven. Cardinalis Bellarminus de *Gemitu Columbæ*. Manu tremula, confuſa mente, & animo incredibiliter commoto præfata axiomata reſcribens, atque formidabilia & tremendiſſima Dei iudicia ſerio meditans, talia mecum ipſe colloquebar. Tam portentoſa paradoxa in huiuſce ſæculi fæce produntur in lucem? Et a quo? A viro ſæculi amatore? Illecebrarum, aut deliciarum mundi cupido? Nequaquam; ſed a viro, qui ſplendidiora mundi decora, fulgidos titulos, ingentes divitias invicto ſpiritu calcavit: qui in virtu-

tum cultura, in apoſtolico miniſterio, magno fidelium exemplo, caneſcens, pietatis & ſanctitatis ſplendorem præfert. Vera igitur ſunt quæ ſcribit, inquiebam ex una parte. Clamabant intro ex altera parte quæ Scripturæ divinæ, quæ Patres omnis ætatis, quæ evidentiſſima experientia produnt. Hac meditationum contrarietate me ad ultimas anguſtias redactum frequentiſſime (& Deus ſcit quod non mentior) expertus ſum. Et quo tentatio hæc vehementiſſima me impuliſſet, ipſe ignoro, niſi Paulus Apoſtolus mentem illuminaſſet, animumque erexiſſet ad *Galat.* I. inclamans: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

IV. Quo enim tendunt recenſita paradoxa, niſi ut natura ſua animos ad peccandum adiiciant, corruptelas foveant, laxandi carnalibus deſideriis habenas libertatem augeant, & in voluptuariis mundi oblectamentis magis firment? Chriſtiani quippe, & Confeſſarii non pauci talia legentes non ſecus ſermocinantur ac illi quos S. Auguſtinus *Lib. de Paſtor. cap.* III. & IV. deſcribit. *Vivite ut vultis, ſecuri eſtote: Deus neminem perdit, tantummodo fidem chriſtianam tenete: non perdet ille quos redemit: non perdet pro quibus ſanguinem fudit: & ſi ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite: quid mali eſt? Et feſta iſta quæ celebrantur per univerſas civitates in lætitia convivantium, & publicis menſis.... ite, celebrate. Magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat. Coronate vos roſis antequam marceſcant.... Hæc ſi dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores, & ſi ſint quidam qui nos ſentiant, hoc dicentes, non recta ſapere, paucos offendimus, ſed multitudinem conciliamus. Quod ſi fecerimus, non verba Chriſti dicentes, ſed noſtra, erimus paſtores noſmetipſos paſcentes, non oves.... Vitia enim ovium late patent: ſanæ, atque craſſæ PERPAUCAE ſunt, ideſt ſolido in cibo veritatis utentes paſcuis bene de munere Dei.* Perpaucæ ſunt animæ cibo veritatis ſaginatæ, & innumeræ ſunt illæ turbæ quæ Paſtorum ſuavibus illiciis, & benignis alloquiis, & opinionum mollitie inquinatæ ſordeſcunt. Hæc ſunt tetra & funeſta Rigoriſtarum ſpectra, hæc illorum conſueta crepitacula, quibus animas perterrefaciunt, eaſque horrore & pavore, atque deſperationis laqueo iugulant: reponunt magiſtri blandiloqui.

V. Quemadmodum privati homines quo magis ad ſenectutem vergunt, eo debiliores, & valetudinariores corpore evadunt; ita mun-

mundus ipſe ex hominibus coaleſcens, quo magis ſeneſcit, eo ad deteriora tendit. Vel ipſi ethnici Scriptores proprium ſæculum cum priſcis comparatum ferreum, tenebroſum, luctuoſumque appellant. In medium prodeat unus Livius, qui in *proœmio* ad ſuam hiſtoriam hæc ait. *Ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum : quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibuſque artibus, domi militiæque & partum, & auctum imperium ſit . Labente deinde paullatim diſciplina velut deſidentes primo mores ſequatur animo: deinde ut magis magiſque lapſi ſint : tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora* (N B.) *quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt.... Ceterum aut me amor ſuſcepti negotii fallit, aut nulla umquam Reſpublica nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit : nec in quam tam ſero avaritia luxuriaque immigraverint : nec ubi tantus, ac tam diu PAUPERTATI ac parſimoniæ honos fuerit : adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.*

VI. Quid ſi cuiuſque ſæculi Patrum teſtimonia adferre huc vellem? Patres qui proxime Apoſtolis ſucceſſere, Polycarpus, Irenæus, Cyprianus, luteum, & tenebroſum ſuum ſæculum cum primo comparatum appellabant. An Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus propria ſæcula in conſpectu (*al paragone*) antecedentium fæcem non appellant? An idem non præſtant Bernardinus, Thomas de Villanova, Borromæus, Saleſius, Bellarminus? Quo enim rivulus a ſuo fonte recedit, eo lutulentior ſemper fit. An una voce viri Dei cum S. Thoma de Villanova, Saleſio, Avila, Bellarmino, aliiſque non clamant: *Quid Eccleſiam Dei hodie perdit, niſi Confeſſariorum blandiens adulatio, deliniens demulcenſque aſſentatio? Heu miſeri animarum non curatores, ſed interfectores; non conſultores, ſed deceptores : quid reſpondebitis Domino pro grege quem veſtris conſiliis decepiſtis, veſtris conſiliis iugulaſtis?* fer. 6. poſt Dom. 3. Quadr.

VII. *Aureum* eſt ſæculum noſtrum? Aureum plane eſt: quia *aurum* quaquaverſum refulget, non modo in Regum palatiis, in Magnatum domibus, in Imperatorum paludamentis, ſed in ipſius viliſſimæ plebis tuguriis. *Aureum* eſt ſæculum noſtrum, quia publicas vias aurum perambulat tum in pileis, & indumentis virorum, tum in veſtibus & calceis vilium muliercularum & ſatellitum. *Aureum* eſt ſæculum noſtrum : quia & parietes, & marmora, & ſcamna, & equorum frena, & currus auro micant. Hac ſola

Digitized by Google

ratione *aureum* appellari ſæculum noſtrum valet. Sed capita præcipua percurramus, cur iſte Theologus appellandum *aureum ſæculum* noſtrum, & impingenda ſit *una ſolenne mentita al P. Concina*, docet.

VIII. *Aureum* primo eſt, inquit, ob *pacem auream* qua regnante *Probabiliſmo* Eccleſia fruitur. *Per la pace aurea che ne' ſecoli del regnante Probabiliſmo ha goduto S. Chieſa*. At clamat Regius Propheta: *Flevi pacem peccatorum videns*. Luget Bernardus ſerm. XXXIII. in Cant. *Facta eſt in pace amaritudo mea amariſſima*. Invehitur & minatur funeſta ſupplicia falſæ pacis pſeudoprophetis Deus per Ezechielem cap. XIII. *Et erit manus mea ſuper Prophetas... eo quod deceperint populum meum, dicentes, Pax, & non eſt pax... Prophetæ Iſrael qui prophetant ad Jeruſalem, & vident viſionem pacis, & non eſt pax*. Pſeudoprophetæ ſemper dulcia pollicentur, inquit Hieronymus: quia non rigor, & ſeveritas, ſed blandiloquentia, & blanditiæ conciliant, ſubdit Auguſtinus, *turbas ampliores*, & multitudinis frequentiam.

IX. *Aureum* ſecundo eſt, pergit Auctor noſter, ſæculum noſtrum, ob hæreſum penuriam, & deſtructionem. *Per la ſcarſezza dell' ereſie ben toſto repreſſe, ed annichilate*. Ad nihilum redactæ ſunt ſeptuaginta & amplius hæreſes, quæ infelicem ſeptentrionem in tenebrarum caligine ſepultum tenent? Illo ipſo tempore quo ſcribimus, confinia amplificant, ſævius graſſantur, Catholicos depopulantur. Num perfidi, impii, & increduli impudentius umquam religionis iugo excuſſo profeſſi ſunt Atheiſmum?

X. *Aureum* eſt ſæculum noſtrum, ſubdit, in conſpectu antiquorum ob aurea tot Catholicorum exempla. *Per l'aurea eſemplarità di tanti Cattolici*. Ad hæc non meis, ſed Ven. Bellarmini verbis *Lib. II. de gemitu columbæ cap.* VII. reſpondeo. *Sed quid opus eſt argumenta conquirere, ut probemus vitam multorum ſæcularium hoc tempore* (regnantis Probabiliſmi) *lacrymarum fontibus eſſe plangendam? An non cernimus quotidie homicidia, furta, ſacrilegia, adulteria, periuria, detractiones, dolos, fraudes? Quid dicam de luxu, de pompis, de operibus diaboli, quibus renuntiavimus in baptiſmo? Quid de multitudine ſcortorum, ſive meretricum, quibus plenus eſt mundus?* Impinget ne *una ſolenne mentita* ſapientiſſimo piiſſimoque Bellarmino?

XI. *Aureum* eſt in conſpectu vetuſtorum ſæculum noſtrum, perſequitur Auctor, ob auream eloquentiam plurimorum Concionatorum zelo ardentium. *Per l'aurea eloquenza di numeroſi zelanti Predicatori*. Aurea ſane, & non evangelica, non apoſtolica, ſi ſit vel propter plauſum, vel propter quæſtum, vel perſuaſibilibus huma-

ma-

Digitized by Google

manæ ſapientiæ verbis conflata. Aliqua in hanc rem dicat celebris Ieſuita P. Theophilus Raynaudus, qui *Tom.XVI. pag.*283. §. *Concionator mercenarius* plura ſcribit. *Iuſtitiæ*, inquit, *violatio in pleriſque Concionatoribus locum habet, idcirco quod ſtipendium accipiant, ut concionentur*. Rurſus fuſius invehitur ibidem *pag.*294. §. contra *loquentes placentia, & Concionantes ad gratiam*, ubi inter plura hæc habet. *Ad alterum extremum declinant alii, eoque turpius contra fortitudinem delinquunt, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito: nec tantum abſtinent duris, & fortibus, ſed mollia quoque, & placentia, ne enervem, & effeminatum auditorem avertant, ſtudioſe ingerunt. Sunt qui eam ob cauſam perpetui ſunt in ſola divina benignitate explicanda, quaſi non ſit Deus æque iuſtus ac miſericors. S. Baſilius in cap.* I. *Iſaiæ hoc eſſe dicit quod ibi ait Propheta:* Caupones tui miſcent aquam vino.... *Plerique adulterant, & cauponantur. Scripturam ipſam in aquam convertunt, permiſcentes quæ ſuo ipſorum intellectu excogitarunt, in extremam perniciem auditorum. Dum enim ſtudio adnituntur, ut indulgendo eorum voluptatibus, demereantur ipſorum gratiam per blandiloquia, & ſuaves ſermones, aſſentando alunt illorum vitia in perditionem, per hæc enervantes auſteritatem, & vigorem Scripturarum vitioſos utiliter perſtringentem, ad auditorum ſubverſionem: enarrantes multimodam erga homines benignitatem plane inauditam, condonationes item peccatorum nullo diſcretionis ſale conditas, & talia quædam ad captandam multorum gratiam: quibus maximopere effeminant animas ſtudio conſectantium voluptates*. Legatur ibidem ſequens paragraphus inſcriptus; *Infame quorumdam in concione lenocinium;* & alius paragraphus *pag.*295. inſcriptus: *Malignitas utriuſque propoſitæ locutionis ad gratiam ex Concionatoris munere declarata. Alterutro modo propoſito ſi quis concionetur ad gratiam, conſuatque peccatoribus pulvillos, enormi ſelere ſe inquinat, & iudice S. Chryſoſtomo eſt peior homicida*. Legantur, inquam, hæc in Raynaudo, qui ſcripſit regnante Probabiliſmo: quoniam ego, ne longior ſim, omnia prætereo.

XII. *Aureum* ſæculum in conſpectu priſcorum (*al paragone*) noſtrum vocat, ob ſacramentorum participationem, Eccleſiarum frequentiam, ob miniſtrorum multitudinem.

XIII. Hæc argumenta ipſa ſunt, unde S. Thomas de Villanova, S. Carolus Borromæus, Ven. Bellarminus, aliique docti ſervi Ieſu Chriſti inferunt lutulentum, & omni ſæculorum infelicius ſæculum noſtrum. Quid? Numquam confeſſionis & communionis uſus frequentior; & mores numquam corruptiores, numquam fædiores. Tribunalia Presbyterorum confitentium

tium turbis, altaria communicantium multitudine obſidentur: at ubi profectus, ubi virtutum officia, ubi morum reformatio? An umquam in matrimonio fæditas, in familiis corruptela, in adoleſcentibus libido, in feminis impudentia, in puellis procacitas, in contractibus perfidia, in negotiis ſimulatio, in opificibus fraudulentia, in plebe nequitia effrenatius irrupere? Quis communi ſenſu præditus inficiari auſit, ætate noſtra adulterium, quod ſemper graviſſimorum criminum loco habitum fuit, familiare evaſiſſe; ſimulationem & verſutiam, virtutem aulicam; peſtiferam illam virorum & mulierum familiarem converſationem, inſanam perpetui luſus conſuetudinem, honeſtam recreationem; periuriorum, & blaſphemiarum impietatem, ſermonis quaſi venuſtatem æſtimari? Maritorum contemptio rei familiaris, liberorumque incuria, fenerandi, furandique impunitas, luxus, pompæ, faſtus latius ne umquam manarunt? Quæ cum ita ſint, ad omnium malorum cumulum illud accedit quod ipſi Doctores, & medici morbis curandis deſtinati peccatoribus in animæ ſuæ deſideriis blandiantur: quod ægritudinum vim, & gravitatem fallaci verborum lenocinio elevent, pacemque denuntient, *pernicioſam dantibus*, inquit Cyprianus, *& nihil profuturam accipientibus*. Hinc flagitia, quæ ſalubri auſteritate compeſcere poterant, lenitate crudeli altius confirmant. Huc plurium miniſtrorum ſtudia conſpirare videntur, ut Euchariſtiæ & abſolutionis myſteria frequenter diſpenſent, tametſi videant non minus hodie quam olim avaritiam, ambitionem, ſuperbiam, libidinem fervere; tametſi videant non minus voluptatibus, vinolentiæ, fallaciæ, mendaciis, maledicentiæ, murmurationi operam navari. Quid, quæſo, refert quod plantæ copioſis foliis veſtitæ ſint, ſi venenata poma gignant, Gomorrhæorum plane ſimiles, quæ cum ſpecioſo cortice arrideant, intus cineres dumtaxat, & divinæ vindictæ reliquias tegunt? Etiam Hebræi & Sacerdotum multitudinem, & templi maieſtatem oſtentabant, ut *cap.* VII. apud Ieremiam habetur. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini eſt . . . . Faciam domui huic, in qua invocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam . . . . ſicut feci Silo: Et proiiciam vos a facie mea.*

XIV. Evidentius lutulentiſſimi ſæculi noſtri tetricos characteres explicemus. Ab Adami lapſu cuiuſcumque generis crimina plus & minus ſemper humanum genus perpetravit: una ætate hoc, ætate alia illud ſcelus dominatum fere ſibi uſurpavit. At non

Digitized by Google

non minus verum eſt vetuſtis ſæculis incognitam fuiſſe artem ſanandi a criminibus animas abſque gravi, & diuturna carnis & ſenſuum conflictatione. Numquam per XIII. & amplius ſæcula ſcientia viguit ſolvendi a delictorum vinculis peccatores, eoſque ad altaria admittendi, quin præiret pœnitentia ſcelerum gravitati congrua. Numquam ars viguit una conſociandi altaria & theatra, tribunalia confeſſionum cum ſcamnis feneratorum, cum menſis ludorum & comeſſationum, profeſſionem baptiſmalem cum omnibus mundi pompis & vanitatibus. Aetate dumtaxat noſtra lux & tenebræ, Dagon & Arca fœdus inierunt. Amaſii cum amaſiis vana & dulcia mundi oblectamenta profitentes, ſemel vel bis in menſem ſua flagitia Presbyteris narrant, & paucis precatiunculis recitatis, & pagina alicuius pii libelli lecta ad communionem accedunt, & poſt ad converſationem, ad ludum, ad procandum ſicut antea.

XV. Hos falſos Chriſtianos, qui nihil animo mutati, nihil de evangelica pœnitentia ſolliciti, qui ab illecebris ſæculi, & carnis flagitiis numquam emendantur, amoremque ſui numquam aut exuunt, aut comprimunt, ſed toti dumtaxat ſunt in multiplicandis communionibus & colloquiis cum Patre ſpirituali, Evangelium Chriſti miris atque horrendis lineamentis nobis adumbravit. Chriſtus Dominus, ut *Matth.* IV. habetur, in urbe Capharnaitarum pœnitentiam prædicavit. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*. Et Capharnaitæ in admirationem rapti, inquit Lucas cap. IV. *ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius*. Multa miraculorum ſigna ibidem edidit Chriſtus. Tantus Chriſti amor Capharnaitas inceſſerat, ut illum in deſerta loca recedentem comitarentur, & retinere apud ſe vellent, neque ab urbe ſua diſcedere illum paterentur. Gloriabantur Capharnaitæ, quod ſæculum *aureum* adveniſſet, quod Chriſtum prædicantem & docentem audirent, quod cum illo ederent, & biberent, ut *cap.* XIII. apud Lucam habetur. *Manducavimus coram te, & bibimus: & in plateis noſtris docuiſti*. Verum enimvero quia pœnitentiam veram carni & ſanguini permoleſtam agere noluerunt Capharnaitæ, civitatem iſtam execratus eſt Chriſtus Dominus, & terribilius in hanc quam in civitates Corozain & Bethſaidam, quæ ſimiliter viſis miraculis, & audita Chriſti doctrina, pœnitentiam recuſarunt, iudicium detonuit, ut cap. X. Lucas narrat. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in-*

cili-

Digitized by Google

cilicio, & cinere ſedentes pœniterent . . . Et tu Capharnaum uſque ad cælum exaltata, uſque ad infernum demergeris.

XVI. Hæc eſt vera imago illorum qui animis flagitiorum reliquiis inquinatis divina frequentant ſacramenta. Chriſtum quotidie conveniunt, cum ſacrificio Miſſæ interſunt, eiuſdem vocem in ſacris concionibus audiunt: eiuſdem menſæ non cinere & cilicio operti, non pœnitentiæ, modeſtiæ, & humiliationis veſte induti, ſed phalerati & phaleratæ, cincinnati & cincinnatæ, & mundi pompis, quibus in baptiſmo renuntiarunt, ornati & ornatæ accumbunt: Chriſtum a ſe diſcedere, non ſecus ac Capharnaitæ, recuſant. Chriſtus Dominus in iſtis, ut in Capharnaitarum civitate, moratur, corpore ſuo illorum pectora tangit, ſed ſpiritu illorum corda non complectitur. Cur? Quia veram agere pœnitentiam, emendare vitam mollem, coercere concupiſcentiam, vale dicere luxui, pompis, ludis, oblectamentis, & baptiſmatis profeſſionem executioni demandare refugiunt; ſed ſui ipſorum amore turgentes, & mundo devincti, Capharnaitarum exemplum imitati, iram Dei, & æterna ſupplicia ſibi accerſunt. Communiones multiplicare, Dei domos frequentare, opera quædam miſericordiæ exercere, ſacris functionibus quæ ſolemni præſertim apparatu celebrantur, intereſſe, multis Sacrificiis die feſto aſſiſtere, nullumque fere diem tranſigere quin unum ſaltem audiant, eleemoſynas etiam quaſdam elargiri in more libenter habent: quia tam facili negotio mundo, & Chriſto ſervire poſſe ſibi blandiuntur. Verum uſquedum veram pœnitentiam non egerint, & ſincero corde mundo, & pompis eius renuntiaverint, numquam in Dei amicitiam redibunt, ut Tridentinum Concilium *ſeſſ.* XIV. *cap.* VIII. declarat: *Nulla ſecurior via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Audiſtin'? Pœnitentia primum peragenda eſt, poſt ſacroſancta Communio frequentanda, quia ad cordis munditiem, & vitæ integritatem *per ſacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente iuſtitia, pervenire nequaquam poſſumus:* ſubdit ibidem *cap.* XI. Tridentinum: & *ſeſſ.* IV. *cap.* XIII. luculentius hoc intonat, inquiens: *Cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate; ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt* &c. Sed ſæculi *aurei* moderni pœnitentes communiter has lacrymas, hæc ieiunia, hos labores, vi-

Digitized by Google

vigilias, oblationes, cilicia, diſciplinas, cineres, hunc timorem & tremorem deprimentem ſuperbiam, coercentem faſtum, libidinemque, & excludentem dulces mundi illecebras & illicia, penitus recuſant & reiiciunt. Omnes prærogativas iſtius *aurei* ſæculi paucis complectamur.

XVII. *Aureum* eſt ſæculum noſtrum in conſpectu antiquorum, inquit Auctor, 1. ob pacem auream. 2. ob hæreſum plenam deſtructionem. 3. ob tot Catholicorum exempla. 4. ob auream eloquentiam Prædicatorum. 5. ob librorum ſpiritualium multitudinem. 6. ob eleemoſynarum profuſionem. 7. ob Sacramentorum frequentiam. 8. ob zelum aureum Miſſionariorum. 9. ob erectas ſpiritualium exercitiorum domos. 10. ob æmulationem Cleri ſæcularis & regularis in ornandis templis. 11. ob iuventutis eruditionem tum in pietate, tum in ſcientiis. 12. ob excellentes dotes Prælatorum qui Eccleſias moderantur. Hæc ſunt duodecim ſæculi aurei noſtri inſignia. Nulla hic mentio eorum quæ Tridentinum, quæ Scripturæ, quæ Patres inculcant ad ſæculum *aureum* conſtituendum.

XVIII. Ceterum hæc omnia quæ recenſuit, tamquam idonea & opportuna inſtrumenta ad conſtituendum ſæculum aureum, probo & commendo; tametſi evidenter falſum ſit aliqua eorum quæ commemorat, relucere. Sed illud amariſſimis lacrymis lugendum, quod corticem dumtaxat, & folia chriſtianæ profeſſionis exaggeret: quæ, ſi cetera deſint, phariſaicæ hypocriſi fovendæ, & populo hallucinando inſerviunt, & ſæculum non *aureum*, ſed ferreum, luteum, & lugubre efficiunt. Quid, amabo, referret omnia præfata reſulgere inſtrumenta & præſidia, ſi interim aut nullum, aut parvum ederent fructum? Si interim inimicus homo vineam Domini depopularetur, & ſcelerum grandine devaſtaret? Quapropter illud amariſſime deploro, quod veram chriſtiani ſæculi *aurei* imaginem alto ſilentio premat, more illorum qui dulcia pollicentur. Audiat ille, audiant omnes, quæ ſint chriſtiani ſæculi *aurei* inſignia, & dotes, quas Chriſtus ipſe ſuis Apoſtolis expoſuit. Paulus ſic alloquitur Romanos cap. III. *Paulus ſervus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis* &c. ideſt vocatis ad ſanctitatem. Hic eſt ſcopus in quem omnia ſua ſtudia collineare Chriſtiani debent, ut clarius *Epheſ.* I. & V. explicat. *Elegit nos in ipſo ante mundi con-*

Digitized by Google

ſtitutionem, *ut eſſemus Sancti*. Quamobrem ſubdit: *Fornicatio*, *& omnis immunditia*, *aut avaritia nec nominetur in vobis*, *ſicut decet Sanctos*; *aut turpitudo*, *aut ſtultiloquium*, *aut ſcurilitas*, *quæ ad rem non pertinet*. Similia Princeps Apoſtolorum cap. III. docet. *Secundum eum*, *qui vocavit vos*, *Sanctum*, *& vos in omni converſatione ſancti ſitis*; *ſicut ſcriptum eſt*: *Sancti eritis*, *quoniam ego ſanctus ſum*. S. Iacobus *cap.* IV. inquit: *Neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius*, *inimicus Dei conſtituitur*. Chriſtus Dominus *Luc.*XIV. hæc intonat. *Si quis venit ad me*, *& non odit patrem ſuum*, *& matrem*, *& uxorem*, *& filios*, *& fratres*, *& ſorores*, *adhuc autem & animam ſuam*, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*: *& qui non baiulat crucem ſuam*, *& venit poſt me*, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*. S.Ioannes *Epiſt.I. cap.* II. hæc ſcribit. *Nolite diligere mundum*, *neque ea quæ in mundo ſunt*. *Si quis diligit mundum*, *non eſt caritas Patris in eo*. Rurſus Apoſtolus *I. Cor.* VII. Chriſtianorum vitam & mores his verbis delineat. *Tempus breve eſt*. *Reliquum eſt ut & qui habent uxores tamquam non habentes ſint*, *& qui flent tamquam non flentes*, *& qui gaudent tamquam non gaudentes*, *& qui emunt tamquam non poſſidentes*, *& qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur*: *præterit enim figura huius mundi*. Item Evangeliſta Matthæus *cap.* VII. viam a Chriſtianis calcandam patefacit. *Intrate per anguſtam portam*: *quia lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem*, *& multi ſunt qui intrant per eam*. *Quam anguſta porta*, *& arcta via eſt quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt qui inveniunt eam*. Continuo autem ſubdit: *Attendite a falſis Prophetis*, *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, *intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*.

XIX. Hæc ſunt inſignia, hi characteres, hæ prærogativæ chriſtianæ profeſſionis. Ad has evangelicas & vere *aureas* præceptiones, ad hæc divina mandata, non ad lesbiam Probabiliſmi regulam, non ad quorumdam Probabiliſtarum laxas opinationes expendenda eſt vitæ chriſtianæ integritas. Quando evangelicæ iſtius ſanctiſſimæ profeſſionis dotes, & pretioſiſſimæ margaritæ in magna Chriſtianorum parte reſulgent, tum *aureum* appellari *ſæculum noſtrum* poteſt. Si vero pauci Chriſtiani ſunt qui toto corde huic evangelicæ ſanctitati inhient, & in quibus hæc morum ſuavitas & integritas reſulgeat; tum *non aureum*, ſed ferreum, ſed lutulentum, ſed deplorabile ſæculum eſt. Quot ſunt ætatis noſtræ Chriſtiani qui præfatam evangelicam doctrinam in ſuis operibus exprimant? Pauci, ne dicam pauciſſimi. Ergo ſæcu-

cu-

Digitized by Google

culum noſtrum *aureum* eſſe in conſpectu priſcorum, (*al paragone*) citati Auctoris commentum eſt, divinis Scripturis, Patribus, Conciliis, & luculentiſſimæ experientiæ ſummopere oppoſitum: commentum quod illudit populo chriſtiano, quod fucum facit amatoribus mundi, quod conciliat turbas ampliores, ſed eas minime facit meliores. Chriſtianorum plures ex chimærico *ſæculo aureo* anſam arripiunt liberius laxandi vitiis, corruptelis, praviſque conſuetudinibus habenas: alii obſtinatius perſiſtunt in peſtifera illa hypocriſi conſociandi frequentiam Sacramentorum cum depravatis modernis corruptelis.

XX. Finem impono huic capiti verbis Bernardi, & Cypriani. Bernardus *ſer.* XXXIII. *in Cant.* hæc habet. *Væ generationi huic a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis; ſi tamen. hypocriſis dici debet quæ iam præ abundantia latere non valet. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ; & quo latius, eo deſperatius, eoque periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurgeret apertius inimicus hæreticus, mitteretur foras, & areſceret: nunc vero quem eiiciet, aut quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici; omnes neceſſarii, & omnes adverſarii; omnes domeſtici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, in ſellis, in calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis: inde comeſſationes, & ebrietates: inde cythara, & lyra, & torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud: inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Pro huiuſmodi eſſe volunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit*: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: *amara prius in nece martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum.*

XXI. Impinget ne Auctor noſter *una ſolenne mentita* divo Bernardo? Clamabit ne, S. Bernardum infamaſſe Eccleſiam Chriſtianam? Sed audiamus etiam Cyprianum apoſtolico ſæculo propinquum in Lib. de lapſis. *Non in Sacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina: corrupta barba in viris, in feminis forma fucata: adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda ſimplicium, callidæ fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates: non iura-*

iurare tantum temere, ſed adhuc etiam peierare: Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem diſſidere &c.

XXII. Scelera itaque & ſæculo apoſtolico, & ſæculis poſterioribus plus & minus ſemper graſſata ſunt. At ſemper libertas ſimul viguit in Ieſu Chriſti ſervis eadem deteſtandi, in eadem invehendi. Verum ætate noſtra eo malorum res devenit, ut ſi contra relaxatam diſciplinam vocem extollimus; ſi pro eiuſdem inſtauratione libros edimus; continuo accommodatitiæ Theologiæ fautores nonnulli turbas cient, maledicta intorquent, noſque peiores ipſis hæreſiarchis diffamant . Hoccine *ſæculum aureum?* Sed ultra pergere non lubet, & cum Ven. Bellarmino *Lib. II. de gemitu columbæ cap.* IV. concludimus. *Perpendant igitur noſtræ ætatis homines, an ea quæ deplorant ſanctiſſimi iſti viri in moribus ſuorum temporum, non ſint omnino ſimilia peccatis temporum noſtrorum, ob quæ nos quoque lugere aſſidue, & gemere debeamus.*

INDEX

Eorum quæ Præfationem præcedunt, vel in ipſa continentur.

DECLARATIO, *&* *ſincera PROTESTATIO* F. Danielis Concina *ſuper aliquibus oppoſitionibus factis contra Tomos ſuæ Theologiæ Chriſtianæ dogmatico-moralis recens typis editos.*

MONITUM, quo exponitur factum propoſitionum excerptarum ex libris P. Martini Torrecilla.

PRAEFATIONIS

CAPUT I.

U*Niverſi Operis, & præſertim huius* APPARATUS *ſpecimen.* pag. III.

CAPUT II.

De THEOLOGIA ACCOMMODATITIA, *unde Chriſtianorum plurium exitium; teſte* P. THEOPHILO RAYNAUDO S. I. *proficiſcitur.* VII.

§. I.

Aulicos reſpicere perſonam hominum, & eis ſenſa ſua accommodare, minus mirum, Raynaudus pag. 382. X.

§. II.

Luctuoſius idem præſtare Theologos interdum adactos. Raynaud. ibid. XI.

§. III.

Cœnoſorum Theologiæ Accommodatitiæ fontium primus: Captatio gratiæ a divina diverſæ. Raynaud. pag. 384. XV.

§. IV.

Fons tertius lutulentus Theologiæ Accommodatitiæ, affectus in gentem, aut nationem. Raynaud. pag. 386. XIX.

§. V.

Tria puncta animadvertenda in hanc P. Raynaudi *doctrinam.* XXII.

§. VI.

Damna Theologiæ Accommodatitiæ undecumque enaſcantur. Rayn. pag. 387. XXIV.

CAPUT III.

Eo progreſſa eſt ætate noſtra Theologia Accommodatitia, ut adverſarios, & oppoſitores non patiatur, ſed ſola dominari velit. XXVI.

CAPUT IV.

Specimen librorum quos PP. Iacobus Sanvitale, Gaſpar Ioſeph Gagna, Franciſcus Zech,

Digitized by Google

Zech, Nicolaus Ghezzius, Franciſcus Antonius Zaccaria *noviſſime evulgarunt contra Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi, alioſque libros meos.* XXXII.

§. I.

P. Iacobus Sanvitale ſequentem librum edidit: Raccolta di molte propoſizioni eſtratte dall'Iſtoria del Probabiliſmo e Rigoriſmo impugnate, come oppoſte al vero. Aquileja 1748. XXXIII.

EPIPHONEMA MEDITANDUM. XXXVII.

§. II.

Specimen libri P. Gaſpari Ioſephi Gagna. xl.

§. III.

Specimen libri P. Nicolai Ghezzii. xlI.

§. IV.

Specimen libri P. Franciſci ZECH *inſcripti:* Rigor moderatus doctrinæ pontificiæ *&c.* Diſſertatio II. Inauguralis, ſpecimina exhibens moderationis pontificiæ *a P. Daniele Concina* violatæ *&c.* Præſide P. Franciſco Zech S. I. SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horumque Profeſſore publico, & Iuris Primario *&c.* Ingolſtadii 1749. xlIV.

§. V.

Specimen nonnullorum quæ P. Franciſcus Antonius Zaccaria *in duobus ſuis libris, quorum prior inſcribitur:* Ad R. P. Claudii La-Croix *&c.* Supplementum *&c.* Venetiis 1749. *poſterior:* Storia Letteraria *&c.* Venezia 1750. *adverſus Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi evulgavit.* lIII.

§. VI.

Nonnullæ animadverſiones in cap. III. Lib. I. *Hiſtoriæ Litterariæ Italicæ* Volum. II. lxv.

C A P U T V.

Refellitur erronea opinio P. Iacobi Sanvitale, *qui ſæculum noſtrum cum vetuſtis collatum appellandum eſſe* AUREUM *docet.* lxxx.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Conſtitutionum & Decretorum Pontificum Romanorum pro reformanda fidei, & morum Theologia, quæ in hoc Tomo collecta exhibentur.

CAPUT I.

Articuli xlv. *Ioannis VVicleff Angli, damnati anno* 1418. *in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* xlv. pag. 2.

CAPUT II.

Articuli xxx. *Ioannis Hus Bohemi, damnati anno* 1418. *in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* xlv. 3.

CAPUT III.

Bulla Apoſtolica Leonis Papæ X. *contra errores Martini Luteri.* 5.

CAPUT IV.

Bulla Cœnæ Domini. 14.

CAPUT V.

Bulla Gregorii Papæ XIII. *contra propoſitiones Michaelis Baii.* 20.

CAPUT VI.

Innocentii Papæ X. *Conſtitutio contra quinque propoſitiones ex Libro Ianſenii exceptas.* 25.

CAPUT VII.

Decretum Innocentii Papæ X. *adverſus Libros continentes propoſitionem qua aſſeritur æqualitas SS. Petri & Pauli.* 26.

CAPUT VIII.

Decretum SS. D. N. Alexandri Papæ VII. *die* 7. *Septembris* 1665. 27.

Decretum alterum eiuſdem Pontificis die 18. *Martii* 1666. 29.

CAPUT IX.

Decretum SS. D. N. Innocentii Papæ XI. *die* 2. *Martii* 1679. 30.

CAPUT X.

Condemnatio duarum theſium de omnipotentia donata, & ſubiecta creaturæ 23. *Novembris* 1679. 33.

Prohibitio theſis de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ 18. *Novembris* 1682. 34.

CAPUT XI.

Conſtitutio Innocentii XI. *proſcribentis octo & ſexaginta theſes quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos docebantur.* ibid.

CAPUT XII.

Decretum SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. 24. *Auguſti* 1690. 41.

Decretum alterum eiuſdem Pontificis 7. *Decembris* 1690. ibid.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Breve Innocentii XII. *proſcribentis tres & viginti theſes quæ prætextu amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur.* 43.

CAPUT XIV.

SS. D. N. Clementis Papæ XI. *Damnatio quamplurium propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo ſub titulo,* Le Nouveau Teſtament *&c. cum prohibitione eiuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in eius defenſionem tam hactenus editorum, quam impoſterum edendorum.* 46.

CAPUT XV.

Romani Philalethis ad Theologum Lovanienſem Epiſtola de iuſta Bibliothecæ Ianſenianæ proſcriptione. 53.

CAPUT XVI.

Confirmatio, & innovatio Conſtitutionis incipientis, Ex illa die, *a Clemente Papa* XI. *in cauſa Rituum ſeu Cæremoniarum Sinenſium editæ, nec non* Revocatio, Re*ſciſſio, Abolitio, Caſſatio, Annullatio, ac Damnatio Permiſſionum ſuper iiſdem* Ri*tibus ſeu Cæremoniis in quadam paſtorali Epiſtola Caroli Ambroſii Mediobarbi Patriarchæ Alexandrini, olim Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici in Sinarum Imperio, contentarum, cum Præſcriptione novæ Formulæ Iuramenti per Miſſionarios illarum Partium præſentes & futuros præſtandi.* 64.

CAPUT XVII.

SS. Domini Noſtri D. Benedicti Papæ XIV. *Conſtitutio ſuper* Ritibus, *Cæremoniis, Uſibus, & Conſuetudinibus in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Indiarum Orientalium obſervandis, ſeu vitandis, permittendis, aut abolendis, cum opportunis Declarationibus, Ordinationibus, & Præceptis.* 81.

CAPUT XVIII.

Plures aliæ Conſtitutiones BENEDICTI Papæ XIV. *ad morum Theologiam reformandam attinentes.*

Conſtitutio contra Clericos ſæcularibus negotiis ſe immiſcentes. 109.

Decretum iuſſu SS. Domini Noſtri BENEDICTI XIV. *editum circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis.* 112.

Conſtitutio eiuſdem *circa quadrageſimale ieiunium.* 113.

Conſtitutio eiuſdem *ad Epiſcopos directa, qua ſuperior Conſtitutio circa ieiunium declaratur.* 115.

Eiuſdem *Epiſtola encyclica ad Epiſcopos directa, qua duæ ſuperiores Conſtitutiones circa ieiunium declarantur.* 116.

Eiuſdem *Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis ſanctæ memoriæ* Gregorii *Papæ* XV. *contra Sacerdotes eorum pœnitentes in confeſſionibus ſacramentalibus ad turpia ſollicitantes.* 120.

Eiuſdem *Declaratio ſuperioris Conſtitutionis incipientis* Sacramentum pœnitentiæ *anno* 1741. *edita.* 124.

Eiuſdem *Conſtitutio, qua ceſſiones commodi exigendi fructus beneficiorum prohibentur.* 126.

Eiuſdem *Conſtitutio, qua præſcribitur ordo & forma in iudiciis cauſarum matrimonialium ſuper matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda ſervandus.* 128.

Eiuſdem *Conſtitutio ad Epiſcopos directa circa occultorum matrimoniorum contractionem.* 134.

Eiuſdem *Conſtitutio ſuper clauſura Monaſteriorum quorumcumque virorum Regularium.* 138.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſdem *Conſtitutio ſuper clauſura Monialium*. 141.
Eiuſdem *Conſtitutio ad Epiſcopos directa de doctrina chriſtiana præſertim pueris tradenda*. 144.
Eiuſdem *Conſtitutio ad Epiſcopos directa de Parochorum electione*. 149.
Eiuſdem *Conſtitutio ad Locorum Ordinarios directa de Miſſa a Parochis applicanda pro populo, deque reverenti divini Officii in Choris recitatione*. 157.
Eiuſdem *Epiſtola encyclica ad Epiſcopos Italiæ directa, qua nonnulla circa uſuram declarantur*. 164.
Eiuſdem *Conſtitutio de Epiſcoporum reſidentia*. 167.
Eiuſdem *Conſtitutio contra quamdam pravam praxim in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ*. 177.
Eiuſdem *Conſtitutio de Regularibus ab Epiſcopo diœceſano ordinandis*. 180.
Eiuſdem *Conſtitutio, qua ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, etiam per alios, tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos*. 188.
Eiuſdem *Conſtitutio, qua certus ordo præſcribitur pro cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis mature diſcutiendis, & valide definiendis*. 196.
Eiuſdem *Conſtitutio ſuper deſignatione Confeſſariorum extraordinariorum pro Monialibus*. 206

Digitized by Google

INDEX

Diſſertationum , Capitum , & Paragraphorum , quæ in Libro de locis theologicis *continentur .*

DISSERTATIO PRIMA.

De natura humana peccato originali vulnerata , eiuſque viribus ad verum , & bonum ; atque de neceſſitate doctrinæ divinitus revelatæ .

PRAELOQUIUM. pag. 1.

CAPUT I.

Theologo Chriſtiano in tradenda morum ſcientia primum omnium , quid ſit humana natura, quæ illius vulnera, & vires, ſerio expendendum. 3.

CAPUT II.

Status naturæ humanæ in Adamo innocente, illius privilegia, & dotes. 5.

CAPUT III.

Lapſus Hevæ , & Adæ . Ordo in tentatione ſervatus . Opportuna inſtructio pro Theologis, & Confeſſariis. 6.

CAPUT IV.

Superbia aliis ſtipata vitiis primum peccatum fuit quod e faſtigio felicitatis exturbavit humani generis protoparentes. 10.

CAPUT V.

De peccato originali Adami in poſteros transfuſo . Paucis Pelagianorum , Lutheranorum , & Calviniſtarum errores perſtringuntur , & catholica veritas exponitur. 12.

CAPUT VI.

Effectus peccati originalis cum in intellectu , tum in voluntate, & appetitu ſenſitivo. 14.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quam ſint intellectus, & voluntatis humanæ, ſeu liberi arbitrii ad verum, & bonum infirmæ vires. Extinctæ tamen non ſunt, ut contendunt Lutherus, Calvinus, & Janſenius. Et verum cognoſcere, & bonum aliquod honeſtum morale operari homines etiam infideles valent. 20.

CAPUT VIII.

Neceſſitas doctrinæ revelatæ ex imbecillitate humanæ rationis evincitur. Animadverſio contra nonnullos, qui ratiunculis humanis divinam doctrinam ſubdere non reformidant. 32.

DISSERTATIO II.

De ſacra Scriptura, & Traditionibus.

PRAELOQUIUM. 36.

CAPUT I.

Quid ſit ſacra Scriptura; quotuplex eius ſenſus; quænam ſit authentica editio, & an omnia dictaverit Spiritus ſanctus. 37.

CAPUT II.

Cur Deus non tantum in tabulis cordium, ſed etiam in tabulis externis legem ſuam ſcribendam diſpoſuerit. Ingens deceptio plurimorum Caſuiſtarum, qui, neglectis divinis Scripturis, opiniones hominum amplectendas proponunt. 41.

CAPUT III.

Scripturæ divinæ, ſanctorum Patrum neglectus, & humanæ rationis præſumptio radices ſunt laxioris Ethices. 45.

CAPUT IV.

Quomodo divinæ Scripturæ in aliquibus obſcuræ, & paſſim manifeſtæ ſint. Multitudo, & contrarietates opinionum ſæpe non tam ex Scripturarum obſcuritate, quam ex hominum vitio oriuntur. Animo humili, & divina gratia implorata legendæ ſunt Scripturæ ſanctæ. Doctrina P. Elizalde *de Suitatibus exponitur. Nova opinandi methodus rectis interpretandæ Scripturæ regulis adverſatur.* 48.

§. Unicus.

P. Michael Elizalde *hanc theſim demonſtrat: Probabiliſtæ maxime omnium iudices legis ſiunt, & leges omnes recte interpretandi Scripturas ſanctas diſrumpunt.* 58.

Digitized by Google

CAPUT V.

Omnibus Theologis, ſed præcipue Magiſtris chriſtianæ Theologiæ moralis neceſſaria eſt ſcientia, & ſtudium ſacrarum Scripturarum. 64.

§. I.

Neceſſitas, qua præſertim Theologi chriſtianæ Moralis, & animarum directores ad Scripturæ ſanctæ ſtudium obſtringuntur, eiuſdem divinæ Scripturæ teſtimoniis evincitur. 66.

§. II.

Auctoritate Conciliorum, & SS. Patrum teſtimoniis demonſtratur graviſſimum debitum quo obſtringuntur præcipue Theologi morales ad ſacrarum Scripturarum ſtudium. 72.

§. III.

Quos præcipue Scripturæ ſanctæ libros legere, & meditari debent chriſtianæ Moralis Theologi, & Confeſſarii. 80.

§. IV.

Sophiſmata quæ opponere patroni caſuiſticæ Theologiæ poſſunt, diluuntur. 83.

§. V.

Aliud ſophiſma repetitum a triplici via, peccatorum, iuſtorum, & illorum qui perfectioni inhiant, quibus ſolis neceſſaria aſſeritur ſacræ Scripturæ notitia, exploditur; & iterum confirmatur neceſſitas ſcrutandi Scripturas. 87.

§. VI.

Non modo Scripturæ ſanctæ, & divinæ traditionis doctrina neceſſaria Theologis eſt, verum etiam hæc ſufficeret ad fidei morumque ſcientiam comparandam, & quæſtiones occurrentes dirimendas, niſi hominum plurimorum diſputationes veritatem obſcuraſſent. 93.

§. VII.

Probabiliſtæ principiis utuntur in dirimendis conſcientiæ quæſtionibus, quæ pugnant cum Scripturis ſanctis, eoſque neceſſario in interminabiles verborum & quæſtionum pugnas detrudunt. Iure aſſerunt illorum plures, proprias ſuas quæſtiones nec reperiri, nec decidi ex Scripturis, & Patribus poſſe. Adhortatio Ludovici Granatenſis ad ſtudium Scripturarum. 103.

CAPUT VI.

Locus princeps Moralis chriſtianæ eſt evangelicæ doctrinæ ſpiritus. Homo Dei a Chriſto IESU reformatus, homini terreſtri, Adæ culpa deformato, oppoſitus. Finis, & media chriſtianæ Moralis. 107.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Finis & media univerſæ evangelicæ legis eſt aſſimilatio hominis chriſtiani cum Chriſto IESU. 108.

§. II.

Prima & potiſſima chriſtianæ vitæ principia, humilitas oppoſita ſuperbiæ peccati originalis, & caritas, quæ huius vitæ anima eſt. 111.

CAPUT VII.

Alter Theologiæ morum fons eſt Chriſti Domini oraculum, Multi ſunt vocati, pauci vero electi. *Fidelium adultorum plures damnari quam ſalvari, omnium argumentorum genere demonſtratur. Idem ne de Sacerdotibus, & Religioſis dicendum eſt?* 116.

§. I.

Status controverſiæ; & Patrum, atque Theologorum placita. 117.

§. II.

Teſtimonia veteris teſtamenti declarant, plures damnari, & paucos ex fidelibus adultis ſalvari. 118.

§. III.

Oracula Chriſti Domini, quæ primum teſtimonium, Multi ſunt vocati, pauci vero electi, *confirmant.* 119.

§. IV.

SS. Patrum auctoritate electorum paucitas evincitur. 125.

§. V.

Rationum momenta quæ ſalvandorum paucitatem evincunt. 132.

§. VI.

Magna Sacerdotum pars damnatur. 137.

§. VII.

Alia rationum momenta, quæ plurium Religioſorum cuiuſque profeſſionis & diſciplinæ damnationem timendam oſtendunt. 144.

§. VIII.

Epiſcopi, antequam ad ſacerdotium, & ad confeſſiones admittant Religioſos, eoſdem ſuper Evangeliorum notitia examinare debent. 151.

§. IX.

Confeſſarii, Concionatores, & Theologi tum voce, tum ſcriptis altius inculcare de-

Digitized by Google

bent evangelicæ legis ſpiritum, ſeveritatem, & electorum paucitatem, omni humano timore ſpreto. Radix corruptæ Moralis, & plurimorum damnationis eſt nimia de divina miſericordia confidentia. 155.

§. X.

Diluuntur nonnullæ oppoſitiones tum Theologorum, tum Concionatorum, ſe excuſantium non poſſe laxas Moraliſtarum opiniones refellere, quin ſibi, & aliis graviſſimas perſecutiones concilient. Alii negant, e ſuggeſtu prædicandas eſſe doctrinas quæ in controverſiam vocantur a Caſuiſtis. 160.

§. XI.

Diluitur altera obiectio ex contrarietate doctrinæ Concionatorum, & Confeſſariorum. Quibus potius credendum, Concionatoribus, an Caſuiſtis, & Confeſſariis? 169.

DISSERTATIO III.

De Traditionibus, Eccleſia, Conciliis, Patribus, aliiſque chriſtianæ Theologiæ locis.

PRAELOQUIUM. 175.

CAPUT I.

Notio ſacræ traditionis, eiuſque diviſio. ibid.

CAPUT II.

Præter verbum divinum ſcriptum extant traditiones divinæ. 177.

CAPUT III.

Antiquæ Eccleſiæ traditiones Theologiæ chriſtianæ moralis cultoribus ſcitu opportunæ. 185.

CAPUT IV.

De Eccleſia, quæ eſt tertius locus unde Theologus ſuas repetit concluſiones, tum in fidei articulis, tum in morum præceptis. 192.

§. I.

Quid ſit Eccleſia, & quibus conſtet? 193.

§. II.

Notæ ſeu dotes veræ Eccleſiæ ſunt hæ quattor, Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. 196.

CA-

CAPUT V.

De Eccleſia viſibili, indefectibili, & falli neſcia. Ipſa eſt legitimus de Religione controverſiarum iudex. Proteſtantes, conſtituentes ſolam Scripturam eſſe iudicem controverſiarum fidei, neceſſario in proprias Eccleſias admittere coguntur omnes ſectas ſchiſmaticas & haereticas, non modo chriſtianas, ſed vel ipſam ſynagogam iudaicam. 201.

§. I.

Eccleſiae viſibili a Chriſto inſtitutae Spiritus ſanctus aſſiſtit, ne umquam aut deficiat, aut erret. 202.

§. II.

Sola Scriptura nequeunt de Religione controverſiae dirimi; ſed neceſſaria eſt viſibilis Eccleſiae definitio. 209.

§. III.

Invictis argumentis oſtenditur neceſſitas definitionis Eccleſiae in fidei controverſiis dirimendis. 217.

§. IV.

Auctoritate Ioannis Lochii, *celebris apud Anglos Philoſophi*, Proteſtantes *ridicularii, & communi ſenſu deſtituti in hac cum Catholicis controverſia revincuntur.* 221.

§. V.

Diluuntur Proteſtantium vana ſophiſmata. 226.

CAPUT VI.

Inſtinctus internus, quo Proteſtantes ſe divinae Scripturae ſenſum aſſequi iactant, ut manifeſtum commentum exploditur. 238.

CAPUT VII.

Auctoritati Eccleſiae non modo in fidei, verum etiam in morum controverſiis, firmo ſinceroque animo inhaerendum. Seceſſio ab auctoritate Eccleſiae in errores tum fidei, tum morum coniicit. Probabiliſſimum ab omnibus fere Theologis ſuſtineri Probabiliſtae docent. Argumenta, quae IURIEU' *Calviniſta heinc colligit, ut Eccleſiae auctoritatem elevet, expenduntur. Plurium Caſuiſtarum in accommodandis Eccleſiae decretis ſuis laxis opinionibus nimia libertas. Scandalum quod haereticis inferunt, ob oculos exponitur.* 243.

CAPUT VIII.

De Conciliorum auctoritate. 251.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Concilium. Unde illorum origo. Ad quem attineat eiuſdem convocatio; & qui iure ad ipſum vocandi ſint? ibid.

Digitized by Google

§. II.

Quæ ſit Conciliorum generalium auctoritas in fidei, & morum cauſſis. Calvini commenta refelluntur. 255.

§. III.

Synodi diœceſanæ, provincialis, nationalis auctoritas, licet abſolute infallibilis non ſit, tamen in morum potiſſimum regulis conſtituendis prævalet ingenti Probabiliſtarum multitudini. 261.

CAPUT IX.

De ſummorum Pontificum, ſanctorumque Patrum auctoritate. 262.

§. I.

Quinam in SS. Patrum cenſum perſcribendi? 263.

§. II.

De SS. Patrum auctoritate in divinis Scripturis interpretandis, & controverſiis fidei definiendis. 266.

§. III.

Nonnulla hæreticorum, Lutheri, Calvini, Dallæi, Budæi, Pfaffii, *aliorumque ſophiſmata, & putidiſſima mendacia refelluntur.* 269.

CAPUT X.

SS. Patres Chriſti IESU imitatores præcipue morum doctrinam tradiderunt. Quam turpiter aberrent illi Theologi morales qui a Patribus fidei dogmata, morum vero documenta a recentioribus accipienda effutiunt. Quas exceptiones nonnulli Caſuiſtæ dant Patribus in quæſtionibus morum, eaſdem opponunt Proteſtantes in controverſiis fidei. Pfaffii, Budæi, *& aliorum in Caſuiſtas, & Probabiliſmum obiurgationes.* 275.

CAPUT XI.

De Theologia ſcholaſtica, & de Scholaſticorum auctoritate. 284.

CAPUT XII.

De Theologia ſcholaſtico-caſuiſtica. Utriuſque abuſus, & corruptelæ. 291.

CAPUT XIII.

Qui nomine Caſuiſtarum veniant. Omnes ne reiiciendi. Qui præferri ceteris debeant. 295.

§. I.

Nobilis Caſuiſtarnm notio quam ex Abelly *perhibet* P. Francolinus. ibid.

§. II.

Qui ſunt inter Caſuiſtas collocandi. Num omnes reiiciendi. Qui præferendi. 298.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Iuris canonici neceſſitate, & auctoritate. 299.

CAPUT XV.

De tribus reliquis Theologiæ chriſtianæ locis, nempe de Hiſtoria, Philoſophia, & ratione naturali. 301.

FINIS.

Ad Tomum I. Apparatus.

			Errata	*corrige ſic.*
Præf.	pag. xvi.	lin. 5.	Inter eo	Inter ea
	xliv.	ult.	vellicationem	velitationem
	xlix.	37.	Iſuita	Ieſuita
	lvi.	27.	*Neſeio*	*Neſcio*
	lxi.	16.	abutebimini	abutemini
	lxiii.	1.	*de' Probabiliſti*	*de' Probabilioriſti*
	lxxxiv.	38.	*di numeroſt*	*di numeroſi*
	lxxxv.	28.	*ſelere*	*ſcelere*
De loc. th.	pag. 7.	lin. 13.	*naturis bonis*	*naturalibus bonis*
	14.	11.	ntrinſecus	intrinſecus
	21.	34.	adulti, educati	alti, educati
	25.	38.	moralſaceria e	moralia facere
	50.	6.	aliaque	ob aliaque
	51.	21.	Probabiliſtæ & Caſuiſtæ plures	Caſuiſtæ plures
	56.	11.	Altera *ſcitas*	Altera *ſuitas*
		14.	*Opuſcula hæc*	*Opuſcula quatuor*
		16.	tactus ſubimpudicos	tactus impudicos
	65.	2.	neceſſarium eſt	neceſſarium eſſe
	91.	13.	Scripturis Dei	Scripturis Dei neglectis
	98.	12.	doloſæ	fallaces
	106.	9.	Quicumque fide	Quicumque ignorantia
	160.	18.	imundi	mundi
	220.	10.	Moietur	Morietur
	254.	33.	Pontifices collaterales	Pontificis collaterales
	265.	38.	præfatos Doctores	præfati Doctores
	276.	32.	Quæ mentis confinia non tranſiliunt	Quæ mentis inter confinia conſiſtunt.
	293.	22.	ublimiori	ſublimiori.

In Collectione autem Conſtitutionum &c, pag. 2, in titulo pro *anno* 1718, lege *anno* 1418.

Ad

Ad Tomum II. Apparatus.

Pag.	lin.	*Errata*	*corrige ſic.*
32.	4.	repetere minime debeant	retegere minime debeant
105.	25.	xeequendæ	exequendæ
128.	10.	opinionme	opinionem
137.	22.	delicii	deliciis
186.	8.	uæ dicta ſunt	quæ dicta ſunt
207.	9.	auctoritaiis	auctoritatis
251.	33.	vollentve	vellentve
372.	11.	u	ut
379.	22.	ſlerit	aſſerit
595.	31.	Quo poſito inroſe	Quo poſito inſero
611.	29.	non eſſe vero ſapientes	certo non eſſe veros ſapientes
633.	25.	Probabiliſtæ itaque illi qui defendunt, in doctis ſuis iunioribus minime reperiri propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. imitantur Ianſeniſtas, qui negant quinque propoſitiones extare in Ianſenii libro &c.	Factum, quod quinque propoſitiones reperiantur in libro Ianſenii definitum ab Eccleſia eſt; ſecus *factum*, quod opiniones caſuiſticæ damnatæ extent in iſto aut in illo Caſuiſta. Quare latum diſcrimen eſt inter defenſores facti Ianſeniani, & facti Caſuiſtici: illi Eccleſiæ definitioni; iſti artis criticæ dumtaxat iudicio adverſantur.
673.	in titulo	*Antiprobabiliſtarum*	*Probabiliſtarum.*

Libellus ſupplex Reverendiſſimi P. Tyrſi Gonzalez, qui refertur pag. 330. extat in Bibliotheca Piſtorienſi Eminentiſſimi Cardinalis Fabronii, & alibi.

Scriptum P. Ioſeph de Alfaro, quod pag. 712. adducitur, extat in Bibliotheca Cardinalis Ferrarii Sanctæ Sabinæ de Urbe, & in pluribus aliis Bibliothecis.

Hæc autem illud tantummodo pondus habeant quod codices citati merentur, ut ſupra in *Declaratione* dictum eſt de ſcripto in Bibliotheca Angelica reperto circa ſententiam P. Suarez de *confeſſione inter abſentes* &c.

Ad Tomum III. Theologiæ.

Pag.	lin.	*Erratum*	*corrige ſic.*
103.	32.	Blaſphemias ex inveterata conſuetudine prolatas tamquam licitas.	Blaſphemias ex inveterata conſuetudine prolatas abſque nova gravi malitia.

COL-

COLLECTIO PLURIUM CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM PONTIFICUM ROMANORUM,

Pro reformanda fidei, & morum Theologia.

PRAELOQUIUM.

RA. P. *Claudius La-Croix* Theologiam moralem P. *Buſembaum* longis commentariis illuſtratam, & amplificatam edidit, cui præmiſſa eſt BIBLIOTHECA ERRONEA, continens conſtitutiones, & decreta plurium ſummorum Pontificum contra varias propoſitiones damnatas. Cl. Auctor *Supplementi* adiecti ad eamdem Theologiam Buſembaum, & La-Croix alias conſtitutiones BENEDICTI XIV. feliciter regnantis attexuit. Auctorum eiuſmodi veſtigiis inſiſtens, eadem pontificia diplomata huic meæ Theologiæ præmittere deliberavi: & quoniam facile eſt inventis addere, nonnullas alias conſtitutiones ab iiſdem omiſſas, quæ ad formandos mores, & divini cultus puritatem intaminatam a ſuperſtitione ſervandam attinent, huic collectioni inſeram. Bibliotheca erronea La-Croixii continet præter conſtitutiones contra Baii, Ianſenii, & Queſnelii errores, epiſtolas Clementis XI. ad Card. de Rohan, Benedicti XIII. concionem quamdam ad Card. de Noailles, & huius litteras duas. Verum monumenta hæc nihil, inquit Auctor citati *Supplementi* in *præfat.* conferunt *ad errores dignoſcendos; quod unum ſpectat Bibliotheca Erronea*. Quare hæc utpote intempeſtiva & extranea prætermittam, & alia dabo quæ ad errores dignoſcendos valde conducunt. Huic præloquio finem imponat percelebris Ieſuita P. Michael Elizalde qui *Lib. VIII. quæſt.* VIII. §. VIII. *pag.* 150. hæc habet. *Si qui vero erunt qui oracula pontificia pro ſe lata maximi faciant, contra ſe vero nihil pendant, hoc ſane bonum non eſt.*

Digitized by Google

CAPUT I.

ARTICULI XLV.

JOANNIS VVICLEFF ANGLI,

Damnati anno 1718. *in Concilio Conſtantienſi*, *ſeſſ.* xlv.

1. SUbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanet in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.

3. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter propria præſentia corporali.

4. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

8. Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi forte a Cæſare.

9. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10. Contra Scripturam ſacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo: & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Conſilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

13. Illi, qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Chriſti habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.

15. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolum actu delinquentibus.

17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens eleemoſymam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam poſſeſſionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

22. Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23. Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

24.

Digitized by Google

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis in temporalibus ſubvenientibus.

26. Oratio præſciti nulli valet.

27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28. Confirmatio iuvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Conſecratio reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cuiuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Anti-Chriſti.

31. Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

33. Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator errarunt Eccleſiam ditando.

34. Omnes de ordine Mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynas ſunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regnum cælorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & ceteri laici.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

38. Decretales Eccleſiæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.

39. Imperator, & Domini ſæculares ſunt ſeducti a diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a diabolo eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

42. Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.

43. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic a Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

CAPUT II.

ARTICULI XXX.

IOANNIS HUS BOHEMI

Damnati anno 1418. *in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ.* xlv.

1. Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.

2. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quoſdam actus actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod prædeſtinationis caritas, quæ ipſam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, divinitas, & humanitas, ſunt unus Chriſtus.

5. Præſcitus, etſi aliquando eſt in gratia ſecundum præſentem iuſtitiam, tamen numquam eſt pars S. Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non ſecundum præſentem iuſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei.

Digitized by Google

7. Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ S. Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſic ut filii infideles ſentiunt infideliter de 7. Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus, cæremoniis, & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio a Cæſaris potentia emanavit.

10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet caput Eccleſiæ particularis, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iſte, quicumque eſt Romanus Pontifex, ſit caput cuiuſcumque particularis Eccleſiæ ſanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.

13. Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro; & ſi quærit avaritiam, tum eſt Vicarius Iudæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non ſunt veri, & manifeſti Succeſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes mandata, & conſilia Domini noſtri IESU Chriſti.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſæculari iudicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, & Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipſum ſæculari iudicio tradiderunt; & quod tales ſint homicidæ graviores quam Pilatus.

15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam auctoritatem Scripturæ.

16. Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe; & ſi eſt virtuoſus, & agit quicquam, tunc agit virtuoſe: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

17. Sacerdotes Chriſti viventes ſecundum legem eius, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obſtante prætenſa excommunicatione. Quod ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet ſubditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi prætenſa excommunicatione non obſtante.

19. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Anti-Chriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, quibus Clerus principaliſſime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Chriſti, qui Clerum pro ſe maxime uſurpabit.

20. Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc, ut Iudas Apoſtolus, & diabolus, eſt fur & filius perditionis, & non eſt caput S. militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum eius.

21. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Chriſto capiti inſolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivoce Paſtor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctiſſimus, etiam ſecundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctiſſimus ſecundum

Digitized by Google

dum officium ; & tortores & præcones dicentur ſancti , immo etiam diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrarie , etiamſi aſcenderet per ritam, & legitimam electionem ſecundum Conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet quam per Chriſtum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam : nam Iudas Scariotes rite, & legitime eſt electus a Deo Chriſto Ieſu ad Epiſcopatum , & tamen aſcendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45. art. Ioannis VVicleff per Doctores facta, eſt irrationabilis, & iniqua , & male facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum ſit catholicus , ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus , aut erroneus, aut ſcandaloſus.

26. Non eo ipſo quo Electores , vel maior pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam , eo ipſo illa perſona eſt legitime electa, vel eo ipſo eſt verus , & manifeſtus Succeſſor , vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico : unde ſive Electores bene, vel male elegerint , operibus electi debemus credere : nam eo ipſo , quo quis copioſius operatur meritorie ad profectum Eccleſiæ, habet a Deo ad hoc copioſius facultatem.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum caput in Spiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum Eccleſia ipſa militante converſetur, & conſervetur.

28. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli , & fideles Sacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum : ſic facerent deficiente per ſumme poſſibile Papa uſque ad diem iudicii.

30. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

CAPUT III.

BULLA APOSTOLICA LEONIS PAPAE X.

Contra Errores

MARTINI LUTHERI.

LEo Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Exurge , Domine , & iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipientibus fiunt tota die : inclina aurem tuam ad preces noſtras : quoniam ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcaſti ſolus , & adſcenſurus ad Patrem, eius curam , regimen , & adminiſtrationem Petro tamquam capiti, & tuo vicario, eiuſque ſucceſſoribus inſtar triumphantis Eccleſiæ commiſiſti . Exterminare nititur eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſcitur eam. Exurge Petre , & pro paſtorali cura præfata, tibi, ut præfertur , divinitus demandata , intende in cauſam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ , Matris omnium Eccleſiarum, ac fidei Magiſtræ, quam tu, iubente Deo , tuo ſanguine conſecraſti : contra quam, ſicut tu præmonere dignatus es, inſurgunt magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes : quorum lingua ignis eſt , inquietum malum, plena veneno mortifero : qui zelum animarum habentes, & contentiones in cordibus ſuis , gloriantur , & mendaces ſunt adverſus veritatem . Exurge tu quoque, quæſumus , Paule , qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminaſti atque illuſtraſti . Iam enim ſurgit novus Porphyrius : quia ſicut ille olim Sanctos Apoſtolos iniuſte momordit, ita hic Sanctos Pontifices prædeceſſores noſtros contra tuam doctrinam eos non obſecrando, ſed increpando, mordere , lacerare, ac ubi cauſſæ ſuæ diffidit , ad convicia accedere non veretur : more hæreticorum, quorum , ut inquit Hieronymus, ultimum præſidium eſt , cum conſpiciant cauſas damna-

Digitized by Google

mnatum iri, ut incipiant virus ſerpentis lingua diffundere; & cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere; eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu, te interdicente, & adiuvante, extingui neceſſe eſt. Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua univerſalis Eccleſia: cuius vera Sacrarum litterarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum inſtituto apud ſemetipſos ſapientes, Scripturas eaſdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio dumtaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa, teſte Apoſtolo, interpretantur, immo vero torquent, & adulterant: ita ut iuxta Hieronymum, iam non ſit Evangelium Chriſti, ſed hominis, aut, quod peius eſt, diaboli. Exurgat, inquam, præfata Eccleſia Sancta Dei, & una cum beatiſſimis Apoſtolis præfatis apud Deum omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium ſuarum erroribus, eliminatiſque a fidelium finibus hæreſibus univerſis, Eccleſiæ ſuæ Sanctæ pacem, & unitatem conſervare dignetur. Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia & mœrore exprimere vix poſſumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente ad noſtrum pervenit auditum: immo vero, proh dolor! oculis noſtris vidimus, ac legimus multos, & varios errores, quoſdam videlicet iam per Concilia, ac prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, hæreſim etiam Græcorum, & Bohemicam expreſſe continentes: alios vero reſpective vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, a falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas, ut inquit Hieronymus, ſine Scripturarum auctoritate non haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam etiam divinis teſtimoniis, male tamen interpretatis, roborare; a quorum oculis Dei timor receſſit, humani generis hoſte ſuggerente, noviter ſuſcitatos, & nuper apud quoſdam leviores in inclyta natione Germanica ſeminatos. Quod eo magis dolemus ibi eveniſſe, quod eamdem nationem & nos, & prædeceſſores noſtri in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam poſt translatum ex Græcis a Romana Eccleſia in eoſdem Germanos Imperium, iidem prædeceſſores noſtri, & nos, eiuſdem Eccleſiæ advocatos, defenſoreſque ex eis ſemper accepimus: quos quidem Germanos, Catholicæ veritatis vere Germanos, conſtat hæreſeon acerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe: cuius rei teſtes ſunt laudabiles illæ Conſtitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Eccleſiæ, proque expellendis, exterminandiſque ex omni Germania hæreticis, ſub graviſſimis pœnis etiam amiſſionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & a noſtris prædeceſſoribus confirmatæ; quæ ſi hodie ſervarentur, & nos, & ipſi utique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Concilio Conſtantienſi Huſſitarum ac VVicleffiſtarum, nec non Hieronymi Pragenſis damnata ac punita perfidia. Teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus. Teſtis denique eſt prædictorum errorum ſeu multorum ex eis per Colonienſem & Lovanienſem Univerſitates, utpote agri dominici piiſſimas religioſiſſimaſque cultrices, non minus docta quam vera ac ſancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare poſſemus, quæ, ne hiſtoriam texere videamur, prætermittere cenſuimus. Pro paſtoralis igitur officii divina gratia nobis iniuncti, cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferum ulterius tolerare ſeu diſſimulare ſine Chriſtianæ Religionis nota atque Orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur & eſt talis.

1. Hæretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis iuſtificantem gratiam illis dare qui non ponunt obicem.

2.

2. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingreſſu cæli.

4. Imperfecta caritas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, non eſt fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem; hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Veriſſimum eſt proverbium, & omnium doctrina de contritionibus huc uſque data præſtantius: de cetero non facere, ſumma pœnitentia; optima pœnitentia, nova vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt ut omnia mortalia cognoſcas. Unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

10. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti; immo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet: non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, *Quodcumque ſolveris* &c. (*Matth.* 16.) Hic, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed ioco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ non plus facit Papa, aut Epiſcopus quam infimus Sacerdos; immo ubi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier, aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere ſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus eſt error eorum qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcii alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria: omnes illi iudicium ſibi manducant & bibunt: ſed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

16. Conſultum videtur quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret Laicos ſub utraque ſpecie communicandos; nec Bohemi communicantes ſub utraque ſpecie ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita Chriſti, & Sanctorum.

18. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum; & ſunt de numero eorum quæ licent, & de numero eorum quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam iuſtitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructus ſpiritus utiles.

21. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commi-

Digitized by Google

ferunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica; his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in beato Petro inſtitutus.

26. Verbum Chriſti ad Petrum, *Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. (*Matth.* 16.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27. Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, immo nec leges morum ſeu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta eſt enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Evangelici, quos nec Univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31. In omni opere bono iuſtus peccat.

32. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.

34. Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

35. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non poteſt probari ex Sacra Scriptura, quæ ſit in Canone.

38. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ caritatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium, minus beantur quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41. Prælati Eccleſiaſtici & Principes ſæculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos Mendicitatis delerent.

Qui quidem errores reſpective quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductivi, quam denique ſint contra omnem caritatem, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris omnium fidelium, & Magiſtræ fidei reverentiam, atque nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet, quæ fons eſt & origo omnium virtutum, ſine qua facile unuſquiſque infidelis eſſe convincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, utpote graviſſimis, propenſius, ut decet, procedere, nec non huiuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tamquam vepris nociva ulterius ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus & eorum ſingulis, diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione; omnibuſque rite penſatis, ac ſæpius ventilatis, cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus ſeu Miniſtris generalibus, pluribuſque aliis Sacræ Theologiæ, nec non utriuſque Iuris Profeſſoribus ſive Magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdem errores, reſpective, ut præfertur, aut articulos non eſſe Catholicos, nec tamquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſive traditionem, atque ab

ab ea veram Divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquieſcendum cenſuit Auguſtinus, ut dixerit, ſe Evangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interveniſſet auctoritas. Nam ex eiſdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus palam ſequitur, eamdem Eccleſiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare & ſemper erraſſe. Quod eſt utique contra illud, quod Chriſtus Diſcipulis ſuis in aſcenſione ſua, ut in ſancto Evangelio Matthæi legitur, promiſit, dicens: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi:* (*Matth.* 28.) nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque & Summorum Pontificum expreſſas Ordinationes ſeu Canones: quibus non obtemperaſſe, omnium hæreſeon, & ſchiſmatum, teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit.

De eorumdem itaque venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac omnium ſingulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, præfatos omnes & ſingulos articulos ſeu errores, tamquam, ut præmittitur, reſpective hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus & declaramus: inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non quoad Eccleſiaſticas & Regulares perſonas Epiſcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoque & Prioratuum etiam Conventualium, & quarumcumque dignitatum aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, privationis, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda: quo vero ad Conventus, Capitula ſeu Domos aut pia loca Sæcularium vel Regularium etiam Mendicantium; nec non Univerſitates etiam Studiorum generalium, quorumcumque privilegiorum indultorum a Sede Apoſtolica vel eius Legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cuiuſcumque tenoris exiſtant: nec non nominis & poteſtatis Studium generale, tenendi, legendi, ac interpretandi quaſvis ſcientias & facultates, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda: prædicationis quoque officii ac amiſſionis Studii generalis, & omnium privilegiorum eiuſdem. Quo vero ad ſæculares eiuſdem excommunicationis, nec non amiſſionis cuiuſcumque emphyteuſis ſeu quorumcumque feudorum, tam a Romana Eccleſia quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda. Nec non quoad omnes & ſingulos ſuperius nominatos, inhibitionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatiſque ad omnes & ſingulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis & criminis læſæ Maieſtatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in iure expreſſis pœnis, eo ipſo & abſque ulteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi, quod abſit, contra fecerint, incurrendis. A quibus vigore cuiuſcumque facultatis & clauſularum etiam in Confeſſionalibus quibuſvis perſonis, ſub quibuſvis verborum formis contentarum, niſi a Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam Laicis quam Clericis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, & aliis quibuſcumque perſonis; cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, & quacumque Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis, Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus,

ribus,

ribus, vel Miniſtris generalibus vel particularibus, Fratribus, ſeu Religioſis exemptis, & non exemptis: Studiorum quoque Univerſitatibus ſæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus: nec non Regibus, Imperatoris Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibuſque Officialibus, Iudicibus, Notariis Eccleſiaſticis & Sæcularibus, Communitatibus, Univerſitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Caſtris, Terris & Locis, ſeu eorum vel earum Civibus, Habitatoribus & Incolis, ac quibuſvis aliis perſonis Eccleſiaſticis vel Regularibus, ut præfertur, per univerſum Orbem, ubicumque, præſertim in Alemania exiſtentibus vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos perverſamque doctrinam huiuſmodi aſſerere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte quovis quæſito ingenio vel colore, tacite vel expreſſe favere præſumant. Inſuper, quia errores præfati & plures alii continentur in libellis ſeu ſcriptis cuiuſdam Martini Lutheri: dictos libellos & omnia dicti Martini ſcripta ſeu prædicationes, in latino vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores ſeu eorum aliqui continentur, ſimiliter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac reiectis, ut præfertur, haberi volumus: Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis pœnis eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne huiuſmodi ſcripta, libellos, prædicationes ſeu ſchedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos ſupradictos continentia legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſive defendere per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, aut in domibus ſuis, ſive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquo modo præſumant: quinimmo illa ſtatim poſt harum publicationem, ubicumque fuerint, per Ordinarios, & alios ſupradictos diligenter quæſita, publice, & ſolemniter in præſentia Cleri & Populi, ſub omnibus & ſingulis ſupradictis pœnis comburant.

Quod vero ad ipſum Martinum attinet, bone Deus! quid prætermiſimus, quid non fecimus, quid paternæ caritatis omiſimus, ut eum ab huiuſmodi erroribus revocaremus? Poſtquam enim ipſum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus: atque tam per diverſos tractatus cum Legato noſtro habitos, quam per litteras noſtras hortati fuimus, ut a prædictis erroribus diſcederet; aut ad nos, oblato etiam ſalvo conductu & pecunia ad iter neceſſaria, ſine metu ſeu timore aliquo, quem perfecta caritas foras mittere debuit, veniret, ac Salvatoris noſtri Apoſtolique Pauli exemplo, non in occulto, ſed palam & in facie loqueretur. Quod ſi feciſſet, pro certo, ut arbitramur, ad cor reverſus errores ſuos cognoviſſet: nec in Romana Curia, quam tantopere, vanis malevolorum rumoribus plus quam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata, docuiſſemuſque eum luce clarius, Sanctos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, quos præter omnem modeſtiam iniurioſe lacerat, in ſuis canonibus ſeu conſtitutionibus, quas mordere nititur, numquam erraſſe: quia iuxta Prophetam, *nec in Galaad reſina, nec Medicus deeſt.* (*Ierem.* 6.)

Sed obaudivit ſemper, & prædicta citatione, omnibuſque & ſingulis ſupradictis ſpretis, venire contempſit, ac uſque in præſentem diem contumax atque animo indurato, cenſuras ultra annum ſuſtinuit: &, quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione huiuſmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra Conſtitutionem Pii II. ac Iulii II. prædeceſſorum noſtrorum, qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos. Fruſtra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi ſe non credere palam profitetur: ita ut contra ipſum, tamquam de fide notorie ſuſpectum, immo vere hæreticum, abſque ulteriori citatione, vel mora, ad condemnationem & damnationem eius, tamquam

quam hæretici, ac ad omnium & ſingularum ſubſcriptarum pœnarum, & cenſurarum ſeveritatem procedere poſſemus.

Nihilominus de eorumdem Fratrum noſtrorum conſilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat: omnium iniuriarum hactenus nobis & Apoſtolicæ Sedi illatarum obliti, omni qua poſſumus pietate uti decrevimus, &, quantum in nobis eſt, agere, ut propoſita manſuetudinis via, ad cor revertatur, & a prædictis recedat erroribus; ut ipſum tamquam filium illum prodigum ad gremium Eccleſiæ revertentem benigne recipiamus. Ipſum igitur Martinum & quoſcumque ei adhærentes, eiuſque receptatores, & fautores, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo & per quem humani generis Redemptio, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur, & obſecramus, ut ipſius Eccleſiæ pacem, unitatem & veritatem, pro qua ipſe Salvator tam inſtanter oravit ad Patrem, turbare deſiſtant, & a prædictis tam pernicioſis erroribus prorſus abſtineant, inventuri apud nos, ſi effectualiter paruerint, & paruiſſe per legitima documenta nos certificaverint, paternæ caritatis affectum, & apertum manſuetudinis, & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc, ut interim ab omni prædicatione ſeu prædicationis officio omnino deſiſtat.

Alioquin ut ipſum Martinum, ſi forte iuſtitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæque ſpes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat diſciplinæ, eumdem Martinum, eiuſque adhærentes, complices, fautores, & receptatores tenore præſentium requirimus & monemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis eo ipſo incurrendis, directe præcipiendo mandamus, quatenus infra ſexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino aſſignamus, ab affixione præſentium in locis infraſcriptis, immediate ſequentes numerandos, ipſe Martinus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti, a præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione, & aſſertione, defenſione quoque, & librorum ſeu ſcripturarum editione ſuper eiſdem, ſive eorum aliquo omnino deſiſtant, libroſque ac ſcripturas omnes & ſingulas, præfatos errorres, ſeu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant.

Ipſe etiam Martinus errores & aſſertiones huiuſmodi omnino revocet, ac de revocatione huiuſmodi per publica documenta in forma iuris valida, in manibus duorum Prælatorum conſignata, ad nos infra alios ſimiles ſexaginta dies tranſmittenda, vel per ipſummet (ſi ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſimo ſalvo conductu, quem ex nunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, ut de eius vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Alias ſi, quod abſit, Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti ſecus egerint, ſeu præmiſſa omnia & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, poſt primam & ſecundam correptionem, vitandum docuit, ex nunc prout ex tunc, & e converſo, eumdem Martinum, complices, adhærentes, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Chriſto non manentes, ſed doctrinam contrariam Catholicæ fidei inimicam, ſive ſcandaloſam ſeu damnatam, in non modicam offenſam divinæ maieſtatis, ac Univerſalis Eccleſiæ & fidei Catholicæ detrimentum & ſcandalum dogmatizantes, & prædicantes, claves quoque Eccleſiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos eadem auctoritate fuiſſe & eſſe declarantes, eoſdem ut tales harum ſerie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſupradictis volumus & mandamus; eoſque omnes

Digitized by Google

mnes & ſingulos omnibus ſupradictis, & aliis contra tales a iure inflictis pœnis, & præſentium tenore ſubiicimus & eiſdem irretitos fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda, vel edenda, ſeu eorum aliqua, tamquam ab homine Orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & ut eius memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſive defendere per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, ſeu in domibus ſuis, ſive aliis locis, publicis vel privatis tenere quoquomodo præſumant; quinimmo illa comburant, ut præfertur.

Monemus inſuper omnes & ſingulos Chriſti fideles ſupradictos ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupradicti evitent, & quantum in eis eſt, evitari faciant: nec cum eiſdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam converſationem ſeu communionem habeant, nec eis neceſſaria miniſtrent.

Ad maiorem præterea dicti Martini, ſuorumque complicum, fautorum & adhærentium ac receptatorum prædictorum, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum confuſionem, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium, Collegiatarum ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis; Capitulis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium (præſertim eius Congregationis, cuius dictus Martinus eſt profeſſus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus, exemptis, & non exemptis, nec non univerſis, & ſingulis Principibus, quacumque Eccleſiaſtica vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Univerſitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Terris, Caſtris. & Locis, ſeu eorum Habitatoribus, Civibus, & Incolis, omnibuſque aliis & ſingulis ſupradictis, per univerſum Orbem, præſertim in eadem Alemania conſtitutis mandamus, quatenus ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis, ipſi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, Complices, Adhærentes, Receptantes, & fautores perſonaliter capiant, & captos ad noſtram inſtantiam retineant, & ad nos mittant; reportaturi pro tam bono opere, a nobis & Sede Apoſtolica remunerationem præmiumque condignum; vel ſaltem eos & eorum quemlibet, de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & aliis Eccleſiis, Domibus, Monaſteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Univerſitatibus, Communitatibus, Caſtris, Terris, ac Locis, reſpective tam Clerici, & Regulares, quam Laici omnes & ſinguli ſupradicti omnino expellant.

Civitates vero, Dominia, Terras, Caſtra, Villas, Comitatus, Fortalitia, Oppida, & loca quæcumque ubilibet conſiſtentia, eorum & earum reſpective Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Domus, Conventus & Loca Religioſa vel pia cuiuſcumque Ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanſerit, ex triduo poſt receſſum, Eccleſiaſtico ſubiicimus interdicto.

Et ut præmiſſa omnibus innoteſcant, mandamus inſuper univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathredalium ac Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum ſupradictorum Regularibus, Fratribus Religioſis, Monachis, exemptis, & non exemptis ſupradictis, ubilibet,

Digitized by Google

bet, præſertim in Alemania conſtitutis, quatenus ipſi vel eorum quilibet ſub ſimilibus cenſuris & pœnis eo ipſo incurrendis, Martinum omneſque & ſingulos ſupradictos, qui elapſo termino huiuſmodi Mandatis ſeu Monitis noſtris non paruerint, in eorum Eccleſiis, Dominicis, & aliis feſtivis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad divina convenerit, declaratos hæreticos, & condemnatos publice nuntient, faciantque, & mandent ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari.

Nec non omnibus Chriſtifidelibus, ut eos evitent pari modo ſub prædictis cenſuris, & pœnis; & præſentes litteras, vel earum tranſumptum ſub forma infraſcripta factum, in eorum Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, Conventibus, & aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & ſingulos, cuiuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui quominus præſentes litteræ, vel earum tranſumpta, copiæ, ſeu exemplaria, in ſuis terris, & dominiis legi, affigi, & publicari poſſint, fecerint, vel quoquo modo procuraverint, per ſe vel per alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe.

Poſtremo, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, in quibus neceſſarium foret, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis manu publici Notarii confectis & ſubſcriptis, vel in alma Urbe impreſſis, & ſigillo alicuius Eccleſiaſtici Prælati munitis, ubique ſtetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus litteris ſtaretur, & adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Et ne præfatus Martinus, omneſque alii ſupradicti, quos præſentes litteræ quomodolibet concernunt, ignorantiam earumdem litterarum, & in eis contentorum omnium & ſingulorum prætendere valeant, litteras ipſas in Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Cathedralium Eccleſiarum Brandeburgenſis, Miſnenſis & Meſpurgenſis valvis affigi & publicari debere volumus: decernentes, quod earumdem litterarum publicatione ſic facta, ſupradictum Martinum, omneſque alios & ſingulos prænominatos, quos litteræ huiuſmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac ſi litteræ ipſæ die affixionis & publicationis huiuſmodi eis perſonaliter lectæ & intimatæ forent; cum non ſit veriſimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ſi ſupradictis omnibus & ſingulis, vel eorum alicui, aut quibuſvis aliis a Sede Apoſtolica prædicta, vel ab ea poteſtatem habentibus, ſub quavis forma, etiam Confeſſionali, cum quibuſvis etiam fortiſſimis clauſulis, aut ex quavis cauſa ſeu grandi conſideratione, indultum vel conceſſum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, de indulto huiuſmodi mentionem, eiuſdem indulti tenores, cauſas, & formas perinde ac ſi de verbo ad verbum insererentur; ita ut omnino tollantur præſentibus pro expreſſis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obſecrationis, requiſitionis, monitionis, aſſignationis, conceſſionis, condemnationis, ſubiectionis, excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXX. XVII. Kalendas Iulii, Pontificatus noſtri anno octavo.

Viſa *R. Milaneſius*.

Albergatus.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

BULLA COENAE DOMINI.

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia & ſollicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio aſſidue verſatur, tum potiſſimum in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate atque integritate retinenda maxime elucet: nimirum, ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris; ſed omnes occurrant in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum: neque ſe in huius vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat; ſed potius in vinculo caritatis coniuncti, tamquam unius corporis membra ſub CHRISTO capite, eiuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, a quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem; atque ita divina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſane cauſas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria iuſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & iuſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum & ſolemnem hunc morem ſequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra quoſcumque Huſſitas, VVicleffiſtas, Lutheranos, Zvvinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a Chriſtiana fide apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, necnon ſchiſmaticos, & eos, qui ſe a noſtra, & Rom. Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint: Univerſitates vero, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipue a Monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque navibus, tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) iactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem eiecta in Mari, vel in littore inventa, cuiuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cuiuſque Maris regionibus, & littoribus, ſurripuerint: ita ut nec ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathe-

the-

Digitized by Google

thematizamus omnes, qui in terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi a iure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

ſ. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel iuſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Rom. Pontificis ſignatarum: necnon falſo fabricantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falſo ſignantes Supplicationes huiuſmodi ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

ſ. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel hæreticos per noſtras, ſive huius ſanctæ Sedis ſententias expreſſe, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, calybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipſo cannabe, quam alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reip. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

ſ. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria abducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt, per ſe, vel alios, cuiuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

ſ. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent: necnon illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, a Nobis, vel noſtris Iudicibus non habentes, illam ſibi temere vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

ſ. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

ſ. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis eiicientes: necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

ſ. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotio-

tio-

tiorum huiuſmodi occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel alios directe, vel indirecte, delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cuiuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, cuiuſcumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam iuſtitiam concernentium: necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum executorialium, & aliorum decretorum, a nobis, & a Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuntiis, Præſidentibus, Palatii noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper huiuſmodi litterarum & proceſſuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, & carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publice, vel occulte, quive alias quibuſcumque perſonis, in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis *proſequendis*, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras a dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alios quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab *Auditoribus*, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Iudicibus Eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas pias proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt; quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id *favorem*, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, uti dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitime proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conciliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii ordinarii vel extraordinarii quorumcumque Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

§. 15.

Digitized by Google

§. 15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore: necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præiudicatur.

§. 16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directe, vel indirecte carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos & affines, aut alias impediunt, quominus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut alias fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi, procurant; eos quoque, qui hæc decernunt & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.

§. 17. Quive iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis illorumque fructibus, reditibus & proventibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam a ſponte dantibus, & concedentibus, recipiunt: necnon qui per ſe, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones & alii Potentatus, quicumque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſime celebrato, quam in Conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas procedendo, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia; quique huiuſmodi licentiam ad perſonas, &

Digitized by Google

& caſus non expreſſos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directe, vel indirecte ſub quocumque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, ac detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Thebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias Civitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes

§. 21. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quouſque alii huiuſmodi proceſſus a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

§. 22. Ceterum a prædictis ſententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quorumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque Eccleſiaſticis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſvis Concilii Decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus; gravius contra eos, ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

§. 24. Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius a præmiſſis, cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi, deſtiterint; ac quoad eos qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi *publice* revocaverint, & ex Archiviis ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & caſſari, ac Nos de revocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari: quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcumque iuribus Sedis Apoſtolicæ ac S. R. E. undecumque, & quandocumque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari poſſe aut debere.

§. 25.

Digitized by Google

§. 25. Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cuiuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis a prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis huiuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuslibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe iuvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 26. Ut vero præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, ſeu membranas proceſſus ipſos continentes, valvis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſt. de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Inſuper, ut proceſſus ipſi, & præſentes litteræ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notoria, quo in pleriſque Civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, cum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§. 28. Ceterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri ſæculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confeſſiones, quavis auctoritate deputati, tranſumptum præſentium Litterarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant.

§. 29. Volentes earumdem præſentium tranſumptis, etiam expreſſis, Notarii publici manu ſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in iudicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Digitized by Google

CAPUT V.

BULLA GREGORII PAPAE XIII.

contra propoſitiones

MICHAELIS BAII.

GREGORIUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ea quæ a prædeceſſoribus noſtris emanarunt, ſuadente maxime fidei Catholicæ conſervatione, ubicumque ipſis opus eſt, producantur. Quare nos tenorem litterarum fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri in eius regiſtro repertum deſcribi, & præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.

„ Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

„ Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Chriſtiana, tantis iampridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim, & promiſcue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus cônamur, ut illi ſimul atque proſiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias ſententias offenſionis & periculi plenas, cum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis etiam in ſcholis invicem controverſantur; cuiuſmodi ſunt ſequentes.

„ 1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

„ 2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

„ 3. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

„ 4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum; & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

„ 5. In promiſſione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis iuſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna iuſtis promittitur.

„ 6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

„ 7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

„ 8. In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod ſit gratis indigno collatum.

„ 9. Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia: ſed quia ſecundum uſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per IESUM CHRISTUM male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

„ 10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimiſſo, ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, proprie nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

„ 11. Quod pie, & iuſte in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, iuſto Dei iudicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

Digitized by Google

„ 12. Pelagii ſententia eſt : Opus bo-
„ num , citra gratiam adoptionis fa-
„ ctum , non eſt regni cæleſtis meri-
„ torium.

„ 13. Opera bona a filiis adoptionis
„ facta , non accipiunt rationem meriti
„ ex eo quod fiant per Spiritum ad-
„ optionis inhabitantem corda filiorum
„ Dei , ſed tantum ex eo quod ſint
„ conformia legi, quodque per ea præ-
„ ſtatur obedientia legi.

„ 14. Opera bona Iuſtorum non ac-
„ cipiunt in die iudicii extremi amplio-
„ rem mercedem quam iuſto Dei iudi-
„ cio mereantur accipere.

„ 15. Ratio meriti non conſiſtit in eo,
„ quod qui bene operatur habeat gra-
„ tiam , & inhabitantem Spiritum ſan-
„ ctum ; ſed in eo ſolum , quod obedit
„ Divinæ legi.

„ 16. Non eſt vera legis obedientia ,
„ quæ fit ſine caritate.

„ 17. Sentiunt cum Pelagio , qui di-
„ cunt , eſſe neceſſarium ad rationem
„ meriti, ut homo per gratiam adoptio-
„ nis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

„ 18. Opera Catechumenorum, ut fi-
„ des, & pœnitentia ante remiſſionem
„ peccatorum facta , ſunt vitæ æternæ
„ merita : quam vitam ipſi non conſe-
„ quentur , niſi prius præcedentium de-
„ lictorum impedimenta tollantur.

„ 19. Opera Iuſtitiæ & Temperantiæ,
„ quæ Chriſtus fecit, ex dignitate per-
„ ſonæ operantis , non traxerunt maio-
„ rem valorem.

„ 20. Nullum eſt peccatum ex natura
„ ſua veniale, ſed omne peccatum me-
„ retur pœnam æternam.

„ 21. Humanæ naturæ ſublimatio, &
„ exaltatio in conſortium Divinæ natu-
„ ræ, debita fuit integritati primæ con-
„ ditionis, & proinde naturalis dicenda
„ eſt, & non ſupernaturalis.

„ 22. Cum Pelagio ſentiunt qui tex-
„ tum Apoſtoli ad Romanos 11. *Gen-
„ tes , quæ legem non habent , naturali-
„ ter quæ legis ſunt , faciunt* , intelli-
„ gunt de gentibus fidei gratiam non
„ habentibus.

„ 23. Abſurda eſt eorum ſententia ,
„ qui dicunt hominem ab initio , dono
„ quodam ſupernaturali , & gratuito ,
„ ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe
„ exaltatum, ut Fide , Spe, & Caritate
„ Deum ſupernaturaliter coleret.

„ 24. A vanis & otioſis hominibus ,
„ ſecundum inſipientiam Philoſophorum,
„ excogitata eſt ſententia, quæ ad Pela-
„ gianiſmum reiicienda eſt : Hominem
„ ab initio ſic conſtitutum , ut per do-
„ na naturæ ſuperaddita, fuerit largita-
„ te Conditoris ſublimatus, & in Dei fi-
„ lium adoptatus.

„ 25. Omnia opera infidelium ſunt pec-
„ cata, & Philoſophorum virtutes ſunt
„ vitia.

„ 26. Integritas primæ creationis non
„ fuit indebita humanæ naturæ exalta-
„ tio, ſed naturalis eius conditio.

„ 27. Liberum arbitrium ſine gratiæ
„ Dei adiutorio , nonniſi ad peccandum
„ valet.

„ 28. Pelagianus eſt error dicere ,
„ quod liberum arbitrium valet ad ul-
„ lum peccatum vitandum.

„ 29. Non ſoli fures ii ſunt latrones ,
„ qui Chriſtum , viam & oſtium veri-
„ tatis, & vitæ negant , ſed etiam qui-
„ cumque aliunde , quam per ipſum in
„ via iuſtitiæ (hoc eſt aliquam iuſti-
„ tiam) conſcendi poſſe docent.

„ 30. Aut tentationi ulli ſine gra-
„ tiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem
„ poſſe, ſic ut in eam non inducatur ,
„ aut ab ea non ſuperetur.

„ 31. Caritas perfecta, & ſincera, quæ
„ eſt ex corde puro & conſcientia bo-
„ na , & fide non ficta , tam in Cate-
„ chumenis, quam in pœnitentibus pot-
„ eſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

„ 32. Caritas illa , quæ eſt plenitudo
„ legis, non eſt ſemper coniuncta cum
„ remiſſione peccatorum.

„ 33. Catechumenus iuſte , recte , &
„ ſancte vivit , & mandata Dei obſer-
„ vat, ac legem implet per caritatem ,
„ ante obtentam remiſſionem peccato-
„ rum , quæ in Baptiſmi lavacro de-
„ mum percipitur.

„ 34. Diſtinctio illa duplicis amoris ,
„ naturalis videlicet , quo Deus ama-
„ tur ut auctor naturæ , & gratuiti ,
„ quo Deus amatur ut beatificator, va-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

„ na eſt, & commentitia, & ad illu-„ dendum ſacris Litteris, & plurimis „ veterum teſtimoniis, excogitata.

„ 35. Omne, quod agit peccator, vel „ ſervus peccati, peccatum eſt.

„ 36. Amor naturalis, qui ex viribus „ naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia „ per elationem præſumptionis huma-„ næ, cum iniuria Crucis Chriſti de-„ fenditur a nonnullis Doctoribus.

„ 37. Cum Pelagio ſentit qui boni ali-„ quid naturalis, hoc eſt quod ex natura „ totis viribus ortum ducit, agnoſcit.

„ 38. Omnis amor creaturæ rationa-„ lis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mun-„ dus diligitur, quæ a Ioanne prohibe-„ tur; aut laudabilis illa caritas qua „ per Spiritum Sanctum in corde diffu-„ ſa Deus amatur.

„ 39. Quod voluntarie fit, etiamſi ne-„ ceſſario fiat, libere tamen fit.

„ 40. In omnibus ſuis actibus pecca-„ tor ſervit dominanti cupiditati.

„ 41. Is libertatis modus, qui eſt a „ neceſſitate, ſub libertatis nomine non „ reperitur in Scripturis, ſed ſolum no-„ men libertatis a peccato.

„ 42. Iuſtitia, qua iuſtificatur per fi-„ dem impius, conſiſtit formaliter in „ obedientia mandatorum, quæ eſt ope-„ rum iuſtitia, non autem in gratia ali-„ qua animæ infuſa, qua adoptatur ho-„ mo in filium Dei, & ſecundum inte-„ riorem hominem renovatur, ac Divi-„ næ naturæ conſors efficitur, ut ſic per „ Spiritum Sanctum renovatus, deinceps „ bene vivere, & Dei mandatis obedire „ poſſit.

„ 43. In hominibus pœnitentibus, an-„ te Sacramentum abſolutionis, & in Ca-„ techumenis ante Baptiſmum, eſt vera „ iuſtificatio, ſeparata tamen a remiſſio-„ ne peccatorum.

„ 44. Operibus pleriſque, quæ a fide-„ libus fiunt, ſolum ut Dei mandatis „ pareant, cuiuſmodi ſunt, obedire pa-„ rentibus, depoſitum reddere, ab ho-„ micidio, a furto, a fornicatione abſti-„ nere, iuſtificantur quidem homines, „ quia ſunt legis obedientia, & vera le-„ gis iuſtitia, non tamen iis obtinent in-„ crementa virtutum.

„ 45. Sacrificium Miſſæ non alia ra-„ tione eſt Sacrificium quam generali „ illa, qua omne opus, quod fit, ut ſan-„ cta ſocietate Deo homo inhæreat.

„ 46. Ad rationem, & definitionem „ peccati non pertinet voluntarium; nec „ definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, & „ originis, utrum omne peccatum de-„ beat eſſe voluntarium.

„ 47. Unde peccatum originis vere „ habet rationem peccati ſine ulla ra-„ tione, ac reſpectu ad voluntatem, a „ qua originem habuit.

„ 48. Peccatum originis eſt habituali „ parvuli voluntate voluntarium, & ha-„ bitualiter dominatur parvulo, eo quod „ non gerit contrarium voluntatis arbi-„ trium.

„ 49. Et ex habituali voluntate do-„ minante fit, ut parvulus diſcedens ſi-„ ne regenerationis Sacramento, quan-„ do uſum rationis conſecutus erit, a-„ ctualiter Deum odio habeat, Deum „ blaſphemet, & legi Dei repugnet.

„ 50. Prava deſideria, quibus ratio „ non conſentit, & quæ homo invitus „ patitur, ſunt prohibita præcepto, *Non* „ *concupiſces*.

„ 51. Concupiſcentia, ſive lex mem-„ brorum, & prava eius deſideria, quæ „ inviti ſentiunt homines, ſunt vera le-„ gis inobedientia.

„ 52. Omne ſcelus eſt eius conditio-„ nis, ut ſuum auctorem, & omnes po-„ ſteros eo modo inficere poſſit, quo in-„ fecit prima tranſgreſſio.

„ 53. Quantum eſt ex vi tranſgreſſio-„ nis, tantum meritorum malorum a „ generante contrahunt qui cum mi-„ noribus naſcuntur vitiis, quam qui „ cum maioribus.

„ 54. Definitiva hæc ſententia, Deum „ homini nihil impoſſibile præcepiſſe, „ falſo tribuitur Auguſtino, cum Pela-„ gii ſit.

„ 55. Deus non potuiſſet ab initio ta-„ lem creare hominem qualis nunc na-„ ſcitur.

„ 56. In peccato duo ſunt, actus, & „ reatus; tranſeunte autem actu, nihil „ manet niſi reatus, ſive obligatio ad „ pœnam.

„ 57.

Digitized by Google

„ 57. Unde in Sacramento Baptiſmi, „ aut Sacerdotis abſolutione, proprie „ reatus peccati dumtaxat tollitur, & „ miniſterium Sacerdotum ſolum libe„ rat a reatu.

„ 58. Peccator pœnitens non vivifi„ catur miniſterio Sacerdotis abſolven„ tis, ſed a ſolo Deo, qui pœnitentiam „ ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, „ & reſuſcitat; miniſterio autem Sacer„ dotis ſolum reatus tollitur.

„ 59. Quando per eleemoſynas alia„ que Pœnitentiæ opera Deo ſatisfaci„ mus pro pœnis temporalibus, non di„ gnum pretium Deo pro peccatis no„ ſtris offerimus, ſicut quidam errantes „ autumant (nam alioqui eſſemus, ſal„ tem aliqua ex parte, redemptores) „ ſed aliquid facimus, cuius intuitu Chri„ ſti ſatisfactio nobis applicatur, & com„ municatur.

„ 60. Per paſſiones Sanctorum in In„ dulgentiis communicatas non proprie „ redimuntur noſtra delicta, ſed per „ communionem caritatis nobis eorum „ paſſiones impartiuntur, ut digni ſi„ mus, qui pretio Sanguinis Chriſti a „ pœnis pro peccatis debitis liberemur.

„ 61. Illa Doctorum diſtinctio, divi„ næ legis mandata bifariam impleri, „ altero modo quantum ad præcepto„ rum operum ſubſtantiam tantum, al„ tero quantum ad certum quemdam „ modum, videlicet ſecundum quem „ valeant operantem perducere ad re„ gnum æternum (hoc eſt ad modum „ meritorum) commentitia eſt, & ex„ plodenda.

„ 62. Illa quoque diſtinctio, qua opus „ dicitur bifariam bonum, vel quia ex „ obiecto, & omnibus circumſtantiis re„ ctum eſt, & bonum (quod moraliter „ bonum appellare conſueverunt,) vel „ quia eſt meritorium regni æterni, eo „ quod ſit a vivo Chriſti membro per „ Spiritum caritatis, reiicienda eſt.

„ 63. Sed & illa diſtinctio duplicis iu„ ſtitiæ; alterius, quæ fit per Spiritum „ caritatis inhabitantem; alterius, quæ „ fit ex inſpiratione quidem Spiritus San„ cti cor ad Pœnitentiam excitantis, ſed „ nondum cor inhabitantis, & in eo ca„ ritatem diffundentis, qua divinæ Le„ gis iuſtificatio impleatur, ſimiliter re„ iicitur.

„ 64. Item & illa diſtinctio duplicis „ vivificationis; alterius qua vivifica„ tur peccator, dum ei Pœnitentia, & „ vitæ novæ propoſitum, & inchoatio „ per Dei gratiam inſpiratur; alterius „ qua vivificatur, qui vere iuſtificatur, „ & palmes vivus in Vite Chriſto effi„ citur; pariter commentitia eſt, & Scri„ pturis minime congruens.

„ 65. Nonniſi Pelagiano errore admit„ ti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bo„ nus, ſive non malus: & gratiæ Chri„ ſti iniuriam facit qui ita ſentit, & „ docet.

„ 66. Sola violentia repugnat liberta„ ti hominis naturali.

„ 67. Homo peccat, etiam damnabi„ liter, in eo quod neceſſario facit.

„ 68. Infidelitas pure negativa, in his, „ in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, „ peccatum eſt.

„ 69. Iuſtificatio impii fit formaliter „ per obedientiam Legis, non autem per „ occultam communicationem, & inſpi„ rationem gratiæ, quæ per eam iuſti„ ficatos faciat implere legem.

„ 70. Homo exiſtens in peccato mor„ tali, ſive in reatu æternæ damnatio„ nis, poteſt habere veram caritatem; „ & caritas, etiam perfecta, poteſt con„ ſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

„ 71. Per contritionem etiam cum ca„ ritate perfecta, & cum voto ſuſcipien„ di Sacramentum coniunctam, non re„ mittitur crimen extra caſum neceſſi„ tatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſce„ ptione Sacramenti.

„ 72. Omnes omnino iuſtorum affli„ ctiones ſunt ultiones peccatorum i„ pſorum: unde & Iob, & Martyres, „ quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua „ paſſi ſunt.

„ 73. Nemo, præter Chriſtum, eſt „ abſque peccato originali; hinc Beata „ Virgo mortua eſt propter peccatum „ ex Adam contractum, omneſque eius „ afflictiones in hac vita, ſicut & alio„ rum Iuſtorum fuerunt ultiones pecca„ ti actualis, vel originalis.

Digitized by Google

„ 74. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

„ 75. Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupiſces*. Unde homo eos ſentiens, non conſentiens, tranſgreditur præceptum, *Non concupiſces*, quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.

„ 76. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

„ 77. Satisfactiones laborioſæ Iuſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

„ 79. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine iuſtitia naturali.

„ Quas quidem Sententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent; in rigore tamen & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deque eiſdem & ſimilibus poſthac, quoquo pacto, loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus.

„ Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus: vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos excepto mortis articulo liberare. Ceterum ut iam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti plenius conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio, tituli Sancti Bartholomæi in inſula Presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſe quid ad perpetuam dictarum ſententiarum, & ſcripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiuſmodi proloquia, & diſputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam facto opus ſit, in primis diligenter expendat: deinde in iis omnibus, quæ pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum iudicaverit, ſalva ſemper Eccleſiæ prædictæ unitate, etiam per alium ſeu *alios*, fide, doctrina, & religione præſtantes, ocius exequatur, faciatque quidquid decreverit, inviolate ab omnibus obſervari: contradictores quoslibet per cenſuras, & pœnas prædictas, ceteraque iuris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus quod forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem: & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris *Apoſtolicis*, ſpecialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum exiſtant: per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, circumſcriptionis, abditionis, interdicti, decreti, mandati, privationis, & innodationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

„ Da-

Digitized by Google

„ Datum Romæ , apud Sanctum Pe-
„ trum , anno Incarnationis Dominicæ
„ 1567. Kalendis Octobris , Pontificatus
„ noſtri anno ſecundo. “

Ceterum volumus , ut earumdem litterarum tenori hic inſerto , illa ipſa omnino fides adhibeatur , ubicumque & quandocumque , ſive in iudicio, ſive alibi fuerit exhibitus , vel oſtenſus , ſicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, ſi ipſæ exhiberentur, vel oſtenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis infringere , vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. quarto Kalendas Februarii , Pontificatus noſtri anno octavo.

CAPUT VI.

INNOCENTII PAPAE X. CONSTITUTIO

contra

Quinque Propoſitiones ex Libro IANSENII excerptas.

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei , univerſis Chriſti fidelibus Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum occaſione impreſſionis Libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Ianſenii, Epiſcopi Iprenſis*, inter alias eius opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis , controverſia ſuper quinque ex illis ; complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor vero præfatarum propoſitionum eſt prout ſequitur.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos quibus inter multiplices curas , quæ animum noſtrum aſſidue pulſant , illa in primis cordi eſt, ut Eccleſiæ Dei nobis ex alto commiſſa , purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare , & tamquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecure navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit:

Pro rei gravitate , coram aliquibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis , ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris , eaſdem quinque propoſitiones ut ſupra nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari : eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata , mature conſideravimus : eoſdemque Magiſtros , variis coram nobis actis Congregationibus, prolixe ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes audivimus.

Cum autem ab initio huiuſcemodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Chriſtifidelium preces, tum privatim , tum publice indixiſſemus , poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per nos ſollicite implorata Sancti Spiritus aſſiſtentia , tandem divino Numine favente , ad infraſcriptam devenimus declarationem & definitionem.

Primam prædictarum propoſitionum : *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus , ſecundum præſen-*

Digitized by Google

ſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant: temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnandam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*: falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant quam in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in iure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas prædictas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, omnino coerceant & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Ianſenii.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno nono.

Hi. Datarius.

P. Gualterius.

P. Ciampinus.

CAPUT VII.

DECRETUM INNOCENTII PAPAE X.

Adverſus libros continentes propoſitionem, qua aſſeritur æqualitas SS. Petri & Pauli.

Feria v. die 29. Ianuarii 1647. In Congregatione Generali S. Rom. & univerſalis Inquiſitionis, &c.

EDitus eſt anno 1645. Liber Gallico idiomate impreſſus, cui titulus: *De l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul, qui reſide dans le Pape Succeſſeur de ces deux Apoſtres*, abſque nomine Auctoris, & impreſſionis loco. Huius Libri evulgationem ſubſecuta editio eſt alterius Libri Anonymi eodem idiomate impreſſi, cui titulus: *La Grandeur de l'Egliſe Romaine etablie ſur l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul*: nec non Epiſtolæ eiuſdem argumenti Latino idiomate conſcriptæ, ac typis excuſæ, plurimis adductis, atque congeſtis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Chriſtifidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctiſſimi mature examinatis, lociſque adductis diligenter inſpectis, ac ponderatis: Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cen-

Digitized by Google

cenſura, & auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt: vel: ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate coniuncti: vel: ſunt geminus Univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt: vel: ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt: ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubiectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine Univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.

Epiſtolam vero ac libros prædictos, alioſque, in quibus propoſitio, ut ſupra explicata, & damnata aſſeritur & defenditur, tam impreſſos, quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in ſcriptis evulgatos, vel impoſterum evulgandos, Sanctitas Sua omnino damnatos, & prohibitos eſſe voluit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans ut nemo cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub cenſuris, & pœnis contra huiuſmodi delinquentes ſtatutis, ſed etiam a præſentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit, locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

CAPUT VIII.

DECRETUM SS. D. N. ALEXANDRI PAPAE VII.

Die 7. Septembr. 1665.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit: qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

PROPOSITIONES.

1. HOmo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſi-

tiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſte reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius Pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni, publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio a S. Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam iudicis, eo quod ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

22. Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens, Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26.

Digitized by Google

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re mature conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut coniunctim, aut diviſim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

DECRETUM ALTERUM

SS. D. N. ALEXANDRI PAPAE VII. Die 18. Martii *1666.*

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Sept. proxime elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accurate uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

PROPOSITIONES.

29. IN die ieiunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.

31. Excuſantur abſolute a præcepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius

Digitized by Google

ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit ac decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet. Ita ut quicumque illas *&c. ut in priore Decreto*.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, *&c. uti in priore etiam Decreto*.

CAPUT IX.

DECRETUM

SS. D. N. INNOCENTII PAPAE XI. Die 2. Martii *1679*.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi a Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis a ſel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & accurate ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis: idem Sanctiſſimus D.N. re poſtea mature conſiderata ſtatuit & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut iacent, ut minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinqueniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſimus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus coniugii ob ſolam voluptatem

tem

Digitized by Google

tem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem uti malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad iuſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta utendi his amphibologiis eſt quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra iniuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvan-

vantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſte impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida, occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.

43. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quam res ſpiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles *ipſi* iudicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; *ideoque* ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immo

Digitized by Google

mo quatuor, ſimul a diverſis celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali, noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri IESU CHRISTI.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe.

Quicumque autem cuiuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illam vel illarum aliquam, coniunctim, vel diviſim, defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & caritati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ ſuper iiſdem Propoſitionibus iudicium proferatur.

CAPUT X.

CONDEMNATIO DUARUM THESIUM

De Omnipotentia donata, & ſubiecta Creaturæ.

23. Novembris 1679.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. Montis Quirinalis, coram SS. D. N. Innoc. Div. Prov. PP. XI. ac Emin. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cum ſupradictis Eminentiſſ. ac Reve-

Digitized by Google

verendiſs. DD. delatæ fuerint hæ duæ propoſitiones:

1. *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.*

2. *Deus ſubiicit nobis ſuam Omnipotentiam.*

Eorumdem iuſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos SS. D. N. relatæ, & coram ſua Sanctitate propoſitæ, una cum votis Em. & Rev. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas ſua decrevit, & mandavit, ut ambæ Propoſitiones prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat & prohibet, ut temerarias ad minimum, & novas; mandatque ne quis deinceps cuiuſcumque ſit gradus, ordinis aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, ſive etiam oretenus docere vel aſſerere, ſub pœnis & cenſuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati ſuæ bene viſis.

PROHIBITIO THESIS

De Uſu Scientiæ ex Confeſſione acquiſitæ.

18. *Novembris* 1682.

IN generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, coram Eminentiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republ. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis,

Prævia matura conſultatione Dominorum Conſultorum, facta fuit diſcuſſio ſequentis Propoſitionis:

Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo maius ex non uſu ſequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu quo multo maius gravamen eiuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur: ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione: & præſenti decreto prohibet, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice aut privatim docere aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis. Mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

CAPUT XI.

CONSTITUTIO INNOCENTII XI.

Proſcribentis octo & ſexaginta Theſes quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos *docebantur.*

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cœleſtis Paſtor Chriſtus Dominus, ut iacentem in tenebris mundum, variiſque gentium erroribus involutum a poteſtate Diaboli, ſub qua miſere poſt lapſum primi Parentis tenebatur, ſua ineffabili miſeratione liberaret, carnem ſumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis noſtræ affixo in teſtimonium ſuæ in nos caritatis ſeſe hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt: mox rediturus in cælum Eccleſiam Catholicam ſponſam ſuam tamquam Civitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo, non habentem rugam neque maculam, unam ſanctamque in terris relinquens, armis potentiæ ſuæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apoſtolorum Principi, & ſucceſſoribus eius regendam tradidit, ut doctrinam ab ipſius ore hauſtam, ſartam tectamque cuſtodirent, ne oves pretioſo ſuo ſanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent: quod præcipue Beato Petro mandaſſe ſacræ litteræ

ræ docent. Cui enim Apoſtolorum, niſi Petro dixit: *Paſce oves meas?* & rurſus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos?* Quare Nobis, qui non noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei omnipotentis conſilio in eiuſdem Petri Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut populus Chriſtianus eam ſectaretur fidem, quæ a Chriſto Dom. per Apoſtolos ſuos perpetua & numquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipſe uſque ad ſæculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.

Cum igitur ad Apoſtolatum noſtrum relatum fuiſſet, quemdam *Michaelem de Molinos* prava dogmata tum verbo, tum ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu orationis quietis contra doctrinam, & uſum a Sanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant: Nos, cui ſemper cordi fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commiſſæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum ſalutis portum tuto pervenire poſſint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus. Deinde coram nobis, & venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus Apoſtolica auctoritate ſpecialiter deputatis, auditis pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis tum voce, tum ſcripto ſuſceptis, matureque perpenſis, implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia, cum prædictorum Fratrum noſtrorum unanimi voto, ad damnationem infraſcriptarum propoſitionum eiuſdem *Michaelis de Molinos*, a quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus propoſitionibus tamquam a ſe dictatis, ſcriptis, communicatis, & creditis ipſe convictus, & reſpective confeſſus fuerat, ut latius in proceſſu & Decreto de Mandato noſtro lato die 28. Auguſti præſentis anni 1686. devenire, ut infra, decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. Oportet hominem ſuas potentias annihilare; & hæc eſt via interna.

2. Velle operari active, eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus agens; & ideo opus eſt ſe ipſum in Deo totum & totaliter derelinquere, & poſtea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis ſine nobis.

5. Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ipſum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata; & Deus tunc in ſeipſo remanet, quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.

6. Via interna eſt illa, qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & non oportet Deum cognoſcere; & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, necne; neq opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminiſci nec ſui, nec Dei, nec cuiuſcumque rei; & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt.

11. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus eſt reflectere.

12. Qui ſuum liberum arbitrium Deo do-

Digitized by Google

donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cuius ſpem expurgare debet.

13. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divinæ. Et illud Evangelii, *Petite & accipietis*, non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo huiuſmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius eſt divinæ iuſtitiæ ſatisfacere, quam divinam miſericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato; nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut comoveatur, quia eſt natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Aſſerere quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt. Deus numquam loquitur, eius locutio eſt operatio; & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cuiuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non eſt actus a creatura productus, ſed eſt cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſtea cognoſcit illam ſe habuiſſe, & idem dicitur de amore.

23. Myſtici cum S. Bernardo in Scala Clauſtralium diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, numquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, numquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam; & hac ceſſante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, abſque eo quod amplius redeat ad ſecundum aut primum.

24. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, ſed cum indifferentia & reſignatione tolerentur, non impediunt Orationem fidei; immo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.

25. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus fit Oratio, & Contemplatio actualis: quia oratio & reſignatio, reſignatio & oratio idem ſunt; &

Digitized by Google

& dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, eſt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica; cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſeipſum: & male agit, cum eam deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus.

28. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt, ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

32. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; alias ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum, quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia huiuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34. Verbis & lingua gratias agere Deo, non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam ſeu Pater noſter recitare.

35. Non convenit animabus huius viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas, ex propria electione, & activitate, alias non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut humanitatem Chriſti: quia cum iſta obiecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. V. nec Sancti ſedere debent in noſtro corde: quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.

37. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore & reſignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

40. B. V. nullum umquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione movendo phyſice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos: in quo caſu non ſunt peccata, quia his non adeſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quod huiuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris & feminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

43. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio; nunc vero

Digitized by Google

vero eos efficit Sanctos miniſterio dæmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias, facit ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.

44. Iob blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via: & hæc eſt via facilior & tutior.

47. Cum huiuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum; ſed permanere debet homo in ſuo nihilo: & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam peiora, non opus eſt ſeipſum inquietare; ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida; & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſime fit, non confitendo: quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48. Satanas, qui huiuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad eius vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

49. Iob ex violentia dæmonis ſe propriis manibus polluebat eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (ſic interpretando locum ex cap. xvi. Iob.)

50. David, Hieremias, & multi ex ſanctis Prophetis huiuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In ſacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos: uti illud de Sampſone, qui per violentiam ſeipſum occidit cum Philiſthæis, coniugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent: de Iuditha, quæ Holopherni mentita fuit: de Eliſeo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum huiuſmodi violentiæ etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut iurare non poſſe, quod iis conſenſerint, & videre quod ſint animæ, quæ proficiunt in via interna; ſed regulam ſumerem a lumine quodam actuali cogitatione humana, ac theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violenta, & certus ſum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit coniunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinarie in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.

56.

Digitized by Google

56. Duæ leges, duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad huiuſmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna ſeiuncta eſt a Confeſſione, a Confeſſariis, & a caſibus conſcientiæ, a Theologia, & Philoſophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus Confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia præſervante, quantam in Sacramento reciperent, & ideo huiuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt in illis impoſſibile.

61. Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimmo ſignum quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eas applicet.

64. Theologus minorem diſpoſitionem habet quam homo rudis ad ſtatum contemplativi; primo quia non habet fidem adeo puram; ſecundo quia non eſt adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam ſalutem; quarto quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illud ingredi verum lumen.

65. Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter ſe res habet, quo ſolus Deus, & Director intrant.

66. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico Doctrinam, quia nec ſacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere poſſunt: quia Eccleſia non iudicat de occultis, & anima ius habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.

67. Dicere quod internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio: quia Eccleſia non iudicat de occultis, & propriis animabus præiudicant his deceptionibus & ſimulationibus.

68. In mundo non eſt facultas, nec iuriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ &c.

Quas quidem propoſitiones tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpective, ac quæcumque ſuper his verbo, ſcripto, vel typis emiſſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus: deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſthac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, & contra facientes omnibus Di-

gnitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis ipſo facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus, a quo niſi a Nobis, & a Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris non valeant abſolvi. Præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes Libros, omniaque Opera quocumque loco, & idiomate impreſſa, nec non omnia Manuſcripta eiuſdem *Michaelis de Molinos*: vetuimuſque, ne quis cuiuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub eiuſdem verbis, ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſive abſque nomine, ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impreſſa ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere; ſed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere & conſignare teneantur, ſub eiſdem pœnis ſuperius inflictis, qui Ordinarii & Inquiſitores ſtatim ea igni comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreſes, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtræ Sanctæ Inquiſitionis Officii in Sacra Theologia, & Iure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tamquam reum convictum, & confeſſum reſpective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abiuratione de formali per ipſum emittenda, ſervato iuris ordine, damnavimus: mandantes ut die & hora præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam huius almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Prælatis, univerſoque populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor proceſſus, ſtante in ſuggeſtu eodem *Michaele de Molinos*, una cum ſententia inde ſecuta legeretur: & poſtquam idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores & hæreſes publice abiuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio noſtri Sancti Officii Commiſſario, ut eum a Cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret: quæ omnia in executionem dictæ noſtræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adimpleta ſunt.

Et licet ſupra narratum Decretum de Mandato noſtro latum ad maiorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit; nihilominus ne huius Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum ſupradictas propoſitiones definitive damnantes & reprobantes, Libroſque & Manuſcripta eiuſdem *Michaelis de Molinos* prohibentes & interdicentes ſub eiſdem pœnis & cenſuris contra tranſgreſſores latis & inflictis.

Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuo validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & functuros, ubique iudicari & definiri debere, & ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhi-

Digitized by Google

hiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1687. 12. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

CAPUT XII.

DECRETUM

SS. D. N. ALEXANDRI PAPAE VIII. 24. Auguſti 1690.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER PAPA VIII. non ſine magno animi ſui mærore audivit duas Theſes, ſeu Propoſitiones, unam denuo, & in maiorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere: & cum ſui Paſtoralis Officii munus ſit, Oves ſibi creditas a noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris & deinde Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus Inquiſitoribus ſedulo commiſit, qui pluries re mature diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Bonitas obiectiva conſiſtit in convenientia obiecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum Regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: HUNC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITAE SUAE MORALIS.

II. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & morale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plene, & mature conſideratis, primam Theſim, ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expreſſis. Secundam Theſim ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet; ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publice, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii, prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſim, ſeu Propoſitionem ad praxim deducant.

DECRETUM ALTERUM

SS. D. N. ALEXANDRI PAPAE VIII. 7. Decembris 1690.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Divina Providentia Papa VIII. prædictus, pro Paſtorali cura Ovium a Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theo-

Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſs. ac Reverendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a IESU Chriſto influxum; adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſicut proinde merito poſſimus petere: *A gratia ſufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, caritas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. M. V. die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba Legis.

25.

Digitized by Google

25. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur MARIAE, ut MARIAE, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *In nomine Patris &c.* prætermiſſis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo, quod facit Eccleſia*.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus mature conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, iniurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet; ita ut quicumque illas, aut coniunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in maiori numero ultra ſupra dictas 31. iam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

CAPUT XIII.

BREVE INNOCENTII XII.

Proſcribentis tres & viginti Theſes, quæ prætextu Amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cum alias ad Apoſtolatus Noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure, par Monſieur Francois de Salignac Fenelon Archeveque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier 1697.* ingens vero ſubinde de non ſana libri huiuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit; Nos eumdem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, mature, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias Propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quam ſcripto Nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis Nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione Noſtri, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu qua-

quavis editione aut verſione huc uſque impreſſum aut impoſterum imprimendum, quippe ex cuius lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica iam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem Propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpective, tenore præſentium damnamus & reprobamus, ipſiuſque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus: volentes, & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum Librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque &c. Ceterum Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici Cenſura iudicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet:

1. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Caritas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ ſive unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.

3. Id, quod eſt eſſentiale in directione Animæ, eſt, non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & ideo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem coniicere.

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium; ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.

7. Derelictio, non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renuntiatio, quam IESUS CHRISTUS a nobis in Evangelio requirit poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium . . . Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri ſolent ab Animabus, quam maxime diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia . . . Sed hoc Sacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſio-

Digitized by Google

ſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe iuſte reprobatam eſſe a Deo.

10. Tunc anima divina a ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit Sacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed numquam amittit in parte ſuperiori, ideſt, in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat iacturæ ſui proprii intereſſe, & iuſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori . . . In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione: nam totum, quod eſt voluntarium intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui a ſe invicem facile diſtinguuntur . . . Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem eiuſque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili & reflexo IESU CHRISTI duobus temporibus diverſis . . . Primo, in fervore naſcente earum Contemplationis . . . Secundo, anima amittit intuitum IESU CHRISTI in extremis probationibus.

18. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, amplius & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis ſibi virtutem velit, nec umquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti Myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini iuſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam Propoſitionum huiuſmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes Litteræ omnibus facilius innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citorio & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut ſic publicatæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent.

Ut-

Digitized by Google

Utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus noſtri anno 8.

CAPUT XIV.

SS. D. N. CLEMENTIS PAPAE XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699.* Ac aliter: *Abregé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1693. & 1694.*

Cum prohibitione eiuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in eius defenſionem tam hactenus editorum, quam in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

UNIGENITUS DEI FILIUS pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus a falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſe ſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His nos vere Divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699.* Aliter vero: *Abregé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1693. & 1694.* tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis huiuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummoperè doluimus: adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam

quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, litteris, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicue novimus ſummam huiuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere, foras erumpat, cum Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat: molliti enim ſunt ſermones eius ſuper oleum; ſed ipſi ſunt iacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari a Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctius, & apertius explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia zizaniorum ſemina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ iam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maxime e re Catholica futurum, ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, iamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprime proficuum; conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium non modo præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Cariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cuius eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus Zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea vere piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolata quantocius Apoſtolici cenſura Iudicii conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, eiuſque cæleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulo, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto Libro, iuxta ſupra recenſitas reſpective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones a compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accurate diſcuti; deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia, ac maturitate ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri Textu exactiſſime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Huiuſmodi autem Propoſitiones ſunt quæ ſequuntur, videlicet.

1 QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2 Ieſu Chriſti gratia, principium efficax boni cuiuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

3 In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

4 Ita Domine. Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

5 Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

6 Diſcrimen inter Fœdus Iudaicum, &

& Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto vero Deus Peccatori dat quod iubet, illum ſua gratia purificando.

7 Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8 Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9 Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum numquam poſſumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

10 Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

11 Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, iubentis, & facientis quod iubet.

12 Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

13 Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

14 Quantumcumque remotus a ſalute ſit Peccator obſtinatus, quando Ieſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

15 Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16 Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

17 Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Ieſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.

18 Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

19 Dei Gratia nihil aliud eſt, quam eius omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

20 Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

21. Gratia Ieſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

22 Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ: quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

23 Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24 Iuſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & *Ieſu Chriſti* in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ Gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.

25 Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; iubet, & ipſi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.

27 Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

28 Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

29 Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.

30 Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

Digitized by Google

31 Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32 Ieſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33 Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Ieſum, eius amorem, mortem, & myſteria, ut facit ſanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*.

34 Gratia Adami non producebat niſi merita humana.

35 Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

36 Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recipitur, niſi in perſona Ieſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

37 Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Ieſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

38 Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

39 Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40 Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

41 Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42 Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

43 Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44 Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

45 Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones eius corrumpat.

46 Cupiditas, aut Caritas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

47 Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Caritas. Quando Dei Amor eſt illius principium interius, & Dei gloria eius finis, tunc purum eſt quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa iuſtitia.

48 Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Caritate?

49 Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine Amore Dei.

50 Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus Caritatis non eſt ille qui clamat.

51 Fides iuſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Caritatem.

52 Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tamquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

53 Sola Caritas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Ieſum Chriſtum.

54 Sola Caritas eſt quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

55 Deus non coronat, niſi Caritatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56 Deus non remunerat niſi Carita-

tem, quoniam Caritas ſola Deum honorat.

57 Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

58 Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Caritas.

59 Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos iudicium.

60 Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

61 Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iuſtitiæ non ducitur.

62 Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & iam eſt reus coram Deo.

63 Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Iudæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

64 Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

65 Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

66 Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ; ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii.

67 Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.

68 Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69 Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

70 Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

71 Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter eius utilitatem.

72 Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes Electos, & Iuſtos terræ, & omnium ſæculorum.

73 Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in eius ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in eius perſona, redemptorum eius ſanguine, viventium eius ſpiritu, agentium per eius gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi?

74 Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75 Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76 Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Iuſti omnium ſæculorum illam componunt.

77 Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

78 Separatur quis a Populo electo, cuius figura fuit Populus Iudaicus, & Caput eſt IESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79 Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.

80 Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

81 Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab eius lectione.

82 Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

83 Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcien-

Digitized by Google

ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

84 Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

85 Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

86 Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium iungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

87 Modus plenus ſapientia, lumine, & Caritate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere iuſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88 Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius fere confuſionem.

89 Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit iam reconciliatus, habet ius aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

90 Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

91 Excommunicationis iniuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Numquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, IESU Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Caritatem affixi ſumus.

92 Pati potius in pace excommunicationem, & anathema iniuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

93 IESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; IESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

94 Nihil peiorem de Eccleſia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95 Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua peregrina quaſi pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum, adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium. Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

96 Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.

97 Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tamquam indigna ut ſint in Eccleſia, vel tamquam ab ea ſeparata; ſed Iuſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

98 Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tamquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem IESU Chriſto.

99 Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, V. G. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.

100 Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, eiuſque diſcipulos, tempus hoc advenit . . . Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis

ris mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

101 Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ IESU Chriſti magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Eccleſia: quia hoc eſt multiplicare occaſiones peierandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio Impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio, omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tamquam falſas, & captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & eius praxi iniurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Ianſenii Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, declaramus, damnamus, & reprobamus:

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a Iure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubiaceat.

Ceterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas; nec ſane paucas ſub imaginario quodam veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes: quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem; a Vulgata vero editione, quæ tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, *ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis* Innocentium cordibus longe accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in eius defenſionem tam ſcripto, quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis

per

Digitized by Google

per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Iuris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinetus.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.

CAPUT XV.

ROMANI PHILALETHIS AD THEOLOGUM LOVANIENSEM EPISTOLA

De iuſta Bibliothecæ Ianſenianæ proſcriptione.

Decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium a Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO *Papa XIV. Sanctaque Sede Apoſtolica ad Indicem Librorum, eorumdemque prohibitionem, expurgationem, & permiſſionem, in univerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, ubique promulgandum.*

Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnatus, & prohibitus fuit ubicumque, & quocumque idiomate impreſſus, imprimenduſve, Liber, cui titulus: Biblioteque Ianſeniſte, ou Catalogue alphabetique des Livres Ianſeniſtes, Queſneliſtes, Baianiſtes, ou ſuſpectes de ces erreur &c. *A Bruxelles* 1744. *& alibi, tamquam plura continens reſpective falſa, temeraria, Scholis, & Scriptoribus Catholicis, etiam Eccleſiaſtica dignitate eminentibus, iniurioſa, & Apoſtolicæ Sedis Decretis adverſantia. Nemo itaque, cuiuſcumque gradus, & conditionis, præ-*

Digitized by Google

ſatum Librum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis, a præſentis Decreti notitia, tradat ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Quibus per me infraſcriptum Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO *Papa XIV. relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & publicari juſſit. In quorum fidem &c.*

Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali, die XX. Septembris 1749.

Fr. I. A. Card. Guadagni.

Fr. Th. Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. S. C. Secret.

NOn unum illud, quod ad me miſiſti, apparuit in Urbe exemplum Epiſtolæ Doctoris Sorbonici ad amicum Belgam, qua damnatæ non ita pridem a Sacra Indicis Congregatione Bibliothecæ Ianſeniſticæ Decretum inique proſcinditur: alia multa circumferuntur miſſa ad Cardinales, alioſque viros, qui quanto cum ſtomacho, quantaque cum indignatione ſcriptum legerint cum ineptum, & inſulſum, tum temeritatis audaciæque plenum, dici vix poteſt. Improbus ille qui confecit, cum parum ad eam quam ſumit, Doctoris Sorbonici perſonam accommodate loquatur, perfecit omnino ne ibi, & a quo credi vellet, cuſum fuiſſe putaretur, & ipſe diu latere non poſſit. Varias propterea in animis hominum ſuſpiciones diſſeminavit, quas ego, quoniam mea, atque, ut puto, tua parvi intereſt verum noſſe auctorem, ſilentio prætereo. Caveat tamen is, quiſquis fuerit, ſibique proſpiciat: nam ſi, quod fieri poſſe audio, certis prodatur indiciis,

Flebit, & inſignis tota cantabitur Urbe.

Putavit fortaſſe veſanus Auctor ſcriptum Chriſtiano homine indignum minus fore invidioſum, propterea quod unum illum, qui Congregationi eſt a ſecretis, Reverendiſs. Ricchinium videri velit laceſſere, atque inſectari; ſed eo viſus eſt omnibus bonis deterius feciſſe, quod viam ſibi, & improbo cuique patefecit ad ipſam Cardinalium Congregationem, & Pontificem O. M. per latus Adminiſtri impune feriendum. Neque enim ignorare poterat ecquæ ſint in ea Congregatione Ricchinii partes. Quid? ſi ille non conſuli ſe, cum Libri damnantur, non ullum diceret ferre ſuffragium; ſed Libros, qui accuſantur, dumtaxat ad Cenſores tranſmittere, & poſtquam illi ad Congregationem retulerint, decretum, quod uni Cardinales pronunciarunt, in tabulas referre; nonne in ipſam Congregationem, nonne in Pontificem ipſum manifeſtum eſſet omnia recidere maledicta? Itaque nihil Auctori Epiſtolæ prodeſt in Ricchinium, quod ipſum tamen indignum, ac temerarium eſt, tam multa invehi; eiuſque fraudi, invidiæ, & livori decretum, quod illi diſplicet, imputare. Nemo enim dubitat quin illud non Ricchinius, ſed Sacra ediderit Congregatio, & Pontifex ipſe juſſerit promulgari.

At qui Pontifex? Doctiſſimus ille quidem, ac ſolertiſſimus, ingenti acie omnia pervadens ac circumſpiciens, & quo, ut ipſi fatentur Hæretici, (*a*) non ullus multis ab hinc annis omni genere Doctrinarum ornatior Sedem *Apoſtolicam* occupavit. Ab hoc Pontifice Ricchinii artibus, ait Epiſtolæ auctor, circumvento, atque inſidiis irretito extorta eſt Bibliothecæ Ianſeniſticæ proſcriptio. Poſſum ego putare virum eſſe catholicum, qui Romanum Pontificem, ſive ille ſit, ſive non ſit doctus, cum Fidei, & Reipublicæ Chriſtianæ negotia tractat, Adminiſtri fraudibus dicere audeat circumveniri, decipi, circumduci? Quid ſperamus fore deinceps in Religione tutum hac via improbis hominibus ad maledicen-

(a) *Pfaffius differt. Theolog. de Pict. Imag. Sanctiſſimæ Trinitatis. Vide etiam Act. Erudit. Lipſiæ MDCCXL. & ſeqq.*

Digitized by Google

cendum, & Romæ decreta contemnenda patefacta? Idem vero iactatum in BENEDICTUM XIV. quale tandem convicium eſt? quæ iniuria? quæ contemptio? Hic tantus Pontifex tam exigue ſapere viſus eſt Scriptori maledicentiſſimo, ut quid contineretur Bibliotheca Ianſeniſtica ad diligentiſſimum Congregationis examen deducta ignoraret prorſus, neque poſſet quin Ricchinii fraudibus caperetur de ea iudicare. Huic Pontifici, quo e manibus imperitorum Librum eriperet exitioſum, neceſſe fuit Ricchinium imponere, atque inſidiari. Quid poſſet e grege Lutheranorum Scriptor deterius in Pontificem Romanum iactare?

Et vero ſi Liber aliquis minus iuſte Pontificis iuſſu fuiſſet a Congregatione proſcriptus, æquum erat, virum catholicum moderate ferre, atque ab iniuria, & contumelia ſibi temperare: quanto vero magis cum iuſtiſſima fuerit Bibliothecæ Ianſeniſticæ condemnatio? Dicam tibi de ea quod ſentio, & optimum quemque ſentire video, liberius quam illi *hactenus* dixerim. Cum primum edita fuit, nemo Coloniæ diligentiam in Libris notandis qui pravitate Ianſeniſticæ doctrinæ eſſent infecti, non laudavit, nemo non vituperavit licentiam, & temeritatem qua uſus eſt in reponendis eodem numero pleriſque virorum catholicorum Libris ob quaſdam opiniones quæ non modo damnatæ non eſſent, ſed libere a *Scholis* catholicis, &, quod maius eſt, Romæ ſub oculis Romanorum Pontificum publice defenderentur. Id enim agere, præterquam quod iniurioſum erat catholicis viris, putabant non licere Coloniæ per leges Romanorum Pontificum Innocentii XII. Clementis XI. itemque XII. qui cum viderent eſſe qui temere invidioſa Ianſeniſmi accuſatione abuterentur, & ſaniores Auguſtinianæ, Thomiſticæque Scholæ opiniones, quo ſuas melius tuerentur, Ianſenii, Queſnellique erroribus affines eſſe prædicarent, indignum iudicarunt, præclariſſimas Scholas obnoxias eſſe calumniæ, & malitioſam coerceri debere accuſationem. Quare prohibuerunt graviſſima propoſita pœna ne quiſquam diſputando, aut ſcribendo auderet earum Scholarum opiniones ulla eiuſmodi afficere cenſura. Digni profecto erant tres iſti Pontifices quibus Colonia homo privatus, ſcriptor exigui nominis obtemperaret. Obtemperavit autem? Nemo fortaſſe eorum decreta, quæ iuſtiſſima erant, minoris fecit, & impudentius violavit. Multos ille Scriptores catholicos, veſtræ præſertim Academiæ Lovanienſis, Baii, Ianſeniique diſcipulis adnumeravit, propterea ſolum quod opiniones defenderent aut de victrici, minimeque neceſſitante delectatione; aut de actionibus deliberatis in Deum cum aliquo amoris initio referendis; aut de eodem Caritatis amore cum attritione ſupernaturali in Sacramento Pœnitentiæ coniungendo: quas opiniones cum numquam Sedes Apoſtolica reprobarit, certumque ſit ab omni diſtare periculo, magna inſolentia eſt privatum audere notare, & Hæreticis, qui defendunt, accenſere. Multo vero maior, quod Romani Pontifices, id ne fieret, vetarunt. Potes ipſe per te, ſi vacat ac Iubet, videre quot, qualeſque viros, quod eas tuerentur opiniones, retulerit Colonia in numerum Ianſeniſtarum. Non debuit autem tandem aliquando damnari liber, in quo auctor inſigni temeritate, dolo malo, incredibili audacia viris catholicis errores, atque hæreſes affingit? Non debuit coerceri arrogantia, qua non ſolum iudicium antevertit Eccleſiæ, ſed contra etiam quam ipſa ſanxit, in ſuſpicionem vocare nititur Scriptores innocentiſſimos, quorumque doctrina nulli eſt obnoxia cenſuræ?

Eos autem, qui aliquando accuſati, ſapientiſſimis viris, quorum intereſt iudicare, abeſſe viſi ſunt a pravitate doctrinæ, audere in numerum Hæreticorum referre, quæ perverſitas eſt? Loquor ego de Noriſio, in quo uno violando execrabilis mihi videtur, & minime ferenda Coloniæ temeritas. Fatetur ipſe ter eius ſcripta ad Romanæ Inquiſitionis Tribunal fuiſſe delata, ter item cognita cauſa dimiſſa fuiſſe ſine cenſura. Qui quidem vir non ſolum poſt accuratum operum ſuorum examen notatus non eſt,

ſed etiam magno præmio a Pontifice Romano cumulatus. Nam Cardinalis creatus eſt, cooptatuſque in illud ipſum, apud quod accuſatus fuerat, Cardinalium Inquiſitorum Collegium, ſplendidiſſimum ſemper, ut eum appellat BENEDICTUS XIV. habitus eſt lumen Apoſtolici Senatus, & quod minoris non facio, commendatiſſimus præconiis omnium Litteratorum. Poſſes tu, poſſem ego, poſſet quivis alius, ſi Ianſeniſmi accuſaretur, his, quibus abſolutus eſt Noriſius, melioribus indiciis, ſanctioribuſque teſtibus cupere abſolvi? Ego certe non cuperem. Nam video magnum Athanaſium (*b*) non alia ratione ſanctum Dionyſium Alexandrinorum Epiſcopum vindicaſſe ab Arianorum calumnia, quam quod numquam ille vir impietatis, cuius inſimulabatur ab Hæreticis, convictus fuiſſet ab Epiſcopis, eiuſque memoria, perinde ac ceterorum orthodoxorum Patrum, celebris hactenus haberetur. *Hoc unum*, aiebat Athanaſius, *magno eſt argumento, nihil Arianos veri dicere, & calumniis conari premere virum*. Non ſic agitur hodie: non idem quod Dionyſio profuit, videmus prodeſſe Noriſio. Hic tantus vir, hic Scriptor egregius, & Cardinalis celeberrimus inter Baianiſtas, & Ianſeniſtas, agente Colonia, comparet; & qui Summis Pontificibus, qui Romanæ Inquiſitionis Iudicibus Eminentiſſimis, qui denique eruditis Theologis, atque omnibus bonis viſus non eſt malam tueri doctrinam, viſus eſt Coloniæ, videtur Auctori Epiſtolæ: qui duo plus vident quam viderint Pontifices, Cardinales, Theologi, Cenſoreſque Romani. Ecquis autem ferre hanc tantam audaciam poterit, quæ ſpreto alienæ innocentiæ graviſſimo indicio, ne tantorum quidem virorum exiſtimationi parcit ac famæ? Cui autem minus ferenda quam Indicis Congregationi, ſi quidem ſuam tueri vellet Regulam, (*c*) qua vetat tolerari Libros, *qui famæ proximorum, præſertim Eccleſiaſticorum, detrahunt*? Nihil eſt autem quod maiorem Catholici atque Eccleſiaſtici Scriptoris famæ labem inurat, quam eum in ſuſpicionem hæreſis vocare, præſertim ſi fiat dolo malo, & non apud eos, quorum intereſt iudicare, legitime accuſetur. Poſtquam autem accuſatus fuerit, & minime condemnatus, quæ improbitas, quæ iniquitas eſt, optimo ſpreto iudicio perſeverare illum apud vulgus rerum imperitum traducere?

Etſi autem ob unum Noriſium tam gravi iniuria affectum, Pontificeſque Romanos, & Cardinales a Colonia contemptui habitos ſatis iuſte apparet Bibliothecam Ianſeniſticam fuiſſe proſcriptam; cave putes alias deeſſe cauſas cur damnari oporteret. Quid enim, ut aliquas ſpeciminis loco commemorem, quid peccavit Cardinalis Bona, quid Epiſcopus Genettus, ut hos quoque Colonia Ianſeniſtis conſociaret? Cardinalis Bonæ, ait Colonia (*d*), damnata Romæ fuit Epiſtola quædam. Quæ Bonæ Epiſtola? Scilicet illa, quæ ſcripta ad Philalethem Eupiſtinum, Bonæ revera ſit, anne ſit dubitare ſe dicit. At non erat profecto cur Colonia dubitaret. Hanc Bona vere ſcripſit Epiſtolam ad Philalethem, quo nomine latet Theologus Belga neſcio quis, cuius ſcripta vindicaverat a cenſura Cardinalis doctiſſimus. Sed cum in eam Epiſtolam Anonymus quidam, idemque Moliniſmi ſuſpectus commentationes quaſdam parvo libello vulgaſſet, hunc, non Epiſtolam Bonæ, Romana damnavit Inquiſitio, propterea ſic in Indice: *Liber cui titulus Epiſtola ſub nomine Eminentiſſimi D. Io: S. R. E. Cardinalis Bona approbans doctrinam Philalethis Eupiſtini*. Nunc adverte animum. Agitur de viro inſigni. de Cardinali Bona Hæreticis annumerando; & hac utitur diligentia Bibliothecæ Ianſenianæ Collector: qua putas uſum fuiſſe, cum tot alios minorum gentium Theologos in eam coniecit?

Dignus etiam Genettus erat, qui inter Ianſeniſtas non cenſeretur. Hunc ad ſcriben-

(b) *S. Athan. Epiſt.* 11. *de ſententia Dionyſii Tom. I. opp.* (c) *S. I. de correctione Librorum Reg.* XI. (d) *Tom. I. pag.* 170. *num.* 68.

Digitized by Google

bendum Moralem Theologiam impulere, ut conſtat inter omnes, Camuſius, & Grimaldus Cardinales. Ad id vero, quod cœperat, perſequendum hortatus vehementer eſt qui tum Indicis Congregationi erat a ſecretis. Eius Theologiam probavit Romæ Cardinalis Capiſuccus cum eſſet Sacri Palatii Magiſter: editas vero contra primum, & alterum Volumen animadverſiones reprobavit Sacra Inquiſitionis Congregatio. Eamdem vero Theologiam doceri voluit in Seminario Montis Faliſci celebris, ac venerabilis Cardinalis Barbadicus. Hæc, quæ Typis vulgata neminem latere poterant, unus ignoravit Colonia, Genettumque cum Ianſeniſtis coniunxit. (*e*) Accipe cauſam. Abeſt ille quidem doctiſſimus Epiſcopus ab omni Ianſeniana pravitate quam longiſſime; at quia Probabiliſmum refellit, mollioreſque Caſuiſtas inſectatur, par eſt ut in Ianſeniſtis numeretur. Itane vero agendum cum Noriſio, cum Bona, cum Genetto? Itane cum ſanctiſſimis Epiſcopis, & Cardinalibus, ut aliorum ordinum Theologos, Scriptoreſque prætermittam?

Quid ego tamen Epiſcopos, & Cardinales commemoro? Habeto, quoniam in hunc locum perveni, reverentiæ, egregiæque fidei Bibliographi Ianſeniſtarum cum de Sanctis Eccleſiæ Doctoribus ageretur exemplum unum, & alterum. Statuit (*f*) a damnata Richerii doctrina nihil diſtare Favuellum. Noſti quamobrem? quod doceat *pertinere ad multitudinem leges condere, vel ad eum qui curam habet multitudinis*. Quid ſi conceptis verbis idem doceat Thomas Aquinas? (*g*) Quid ſi Aquinatem omnes ſequantur Theologi, Iuriſque periti? Vides aut ſummam inſcitiam, ſi hæc ignoravit, quæ omnibus Theologis ſunt in ore; aut, ſi ignoravit, ſummam improbitatem, quod per eum, qui expreſſam afferebat Sancti Thomæ ſententiam, conatus eſt Angelicum Doctorem in numerum referre Ianſeniſtarum. Horum utrum ſit, pete a Colonia.

Idem te docebit, quid ſibi velit, cum relata Romanis litteris hac Epiſcopi Caſtorienſis propoſitione, (*b*) *Catholici colunt Sanctos in cælo commorantes eodem modo quo colunt Sanctos hic in terra exulantes*, abſurdam eſſe pronunciat, eique Calvinianos omnes non ægre ſubſcripturos aſſeverat. Utinam vero tam parati, atque Colonia ſibi fingit, aut credit, forent omnes Calvinianæ Sectæ homines ad ſubſcribendum huic ſententiæ. Et miror ſane, virum catholicorum dogmatum tam imperitum, quique per ſummam inſcitiam, quæ Eccleſiæ Romanæ propria ſunt, putat eſſe Calvinianæ, auſum eſſe ſe ſe ad ſcribendum conferre, docendumque, (*i*) ut ipſe pollicetur, & iactat, populum Chriſtianum, qui poſſit Evangelium Chriſti ſecernere ab Evangelio diaboli. At ſi erat ipſe Evangelii Chriſti tam imperitus, ut plane confunderet cum Evangelio diaboli, debuerat prius Bellarminum legere Inſtituti ſui Theologum, quam in publicum prodiret ad dedocendos Chriſtianos Doctrinam Catholicam. Ex eo didiciſſet (k), in eo errore fuiſſe Calvinum, ut omnem cultum civilem, ac religioſum Sanctis in cælo negaret adhibendum; neque tam faci-

(e) *Tom. II. Biblioth. Ianſeniſt. pag.* 208. *num* 79. (f) *Tom. II. Bibliothecæ Ianſeniſt. pag.* 75. *num.* 71. (g) *S. Th.* 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 3. *in corp. hæc ſcribit*: Condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet. (h) *Tom. II. Biblioth. Ianſeniſt. pag.* 22. (i) *Quem ſibi ſcopum propoſuerit P. Colonia in ſcribenda Bibliotheca Ianſeniana, ipſe in operis Præfatione declarat his verbis*: „ *Que peut on faire de mieux* „ *que de faciliter a toutes ſortes de perſonnes le moyen de diſcerner la zizanie d'avec* „ *le bon grain*; *& l'Evangile du demon, de celui de Jeſus-Chriſt, ſelon l'expreſſion* „ *de Saint Ierome*: De Evangelio Chriſti Evangelium eſt diaboli. *C'eſt ce qu'on a* „ *fait avec ſoin dans cet ouvrage, & voici l'obiet qu'on s'y propoſe.*" (k) *V. Bellarmin. de Sanct. Beatit. Lib. I. Cap.* xi. *&* xii.

facile, ut aſſeverare audet, Calviniſtas ſubſcripturos propoſitioni Epiſcopi Caſtorienſis, quæ vera, quæ catholica eſt, quæque ab omnibus docetur Eccleſiæ Romanæ Theologis. Age vero: quo nititur Epiſcopus Caſtorienſis auctore? cujus adhibet verba? nonne ipſam recitat Auguſtini ſententiam? nonne hic illius propoſitionis eſt auctor graviſſimus? Sic eſt: (*l*) nihil horum non vidit, aut videre Colonia non debuit: ſed non putavit Evangelium Chriſti recte poſſe ſecerni ab Evangelio diaboli, niſi D. Thomam cum Richerio, cum Calvino coniugeret Auguſtinum. Ecquæ non erunt, ſi hæc non ſunt, errata, quæ abſurda, ob quæ tandem debeat Liber aliquis malis annumerari, atque inter pernicioſos referri? Horum tamen Coloniæ peccatorum, eiuſque malæ fidei, inſcitiæque exemplorum videbis propediem mirificam copiam, ſi, quod magnopere ſuadeo, volet amicus meus, qui collegit, in vulgus edere. Quare mitto modo de ceteris eius multis, & magnis erratis dicere, de quibus dicetur ab amico copioſe, & accurate.

Ad hæc pauca tamen quæ commemoravi, neſcio quid poſſit auctor Epiſtolæ reponere, niſi, quod in ea facit, eo confugiat: Coloniæ fuiſſe conſilium recenſere in eo Libro non ſolum certos, & minime dubios Ianſeniſtas, ſed eos etiam, qui inſimulati, aut in ſuſpicionem erroris vocati aliquando fuerunt; propterea Noriſium, Genettum, ceteroſque horum ſimiles non prætermiſiſſe. Sed quid Colonia, quid auctor Epiſtolæ diceret, ſi quiſpiam, concinnata Bibliotheca Pelagiana, aut Semipelagiana, in ea Molinam, qui apud Sanctam Sedem accuſatus huius hæreſis eſt, nequedum innocens a iudicio dimiſſus, reponeret? Quid ſi Vaſqueſium a Suareſio, (*m*) atque hunc viciſſim a Vaſqueſio in eiuſdem hæreſis ſuſpicionem adductum, deinde horum duorum, & Molinæ omnes diſcipulos Semipelagianis accenſeret? Placeret ne conſilium, quod ille habuiſſe ſe diceret pateſaciendi cum certos, tum dubios, & ſuſpectos Semipelagianos? Ego vero quin expectem quid illo ingenio homines dicturi pro Molina ſint, ſatis intelligo conſilii Coloniæ improbitatem, quæ una cauſam continet, cur millies Bibliotheca Ianſeniſtica proſcribatur. Non enim hodie parum abeſt, quin accuſetur, vel in ſuſpicionem vocetur, ſed accuſatur reipſa, & in ſuſpicionem Ianſeniſmi vocatur quicumque repudiato, ut licet, ac decet, Molina, doctrinam tuetur ſanioris Scholæ Auguſtinianæ, vel eas, quas ſupra indicavi, Lovanienſis Academiæ veſtræ opiniones defendit. Incredibilis eſt enim omnium imperitorum accuſandi libido, qui iam pene in Symbolo Apoſtolorum videntur ſibi Ianſeniſmum videre; neque poſſum non mirari Cardinali Thomaſio viro Sancto, atque eruditiſſimo, qui Laderchio in ſuſpicionem venit Ianſeniſmi, Coloniam peperciſſe. Dignus ſcilicet erat qui cum Noriſio, & cum Bona in eius Bibliotheca coniungeretur. Itaque ſi, ut quiſpiam locum habeat in Bibliotheca Ianſeniſtica, ſufficit eum ſemel accuſari, aut in ſuſpicionem adduci Ianſeniſmi, illi uni locum non habebunt qui Molinam ſequuntur, illi uni, qui, quæ Molinianis non placent, oderint opiniones. Fac enim, ut ſignificantius, quod volo, dicam, eſſe in aliqua Civitate Epiſcopum Molinianis devotum opinionibus; quot, bone Deus, erunt in eadem Ian-

(*l*) Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſanctitatis, quo & in hac vita coluntur ſancti Dei homines, quorum cor ad talem pro evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus; ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata &c. *D. Aug. Lib. XX. contra Fauſtum. cap.* XXI. (m) *Suarez Lib. IV. de Gratia cap.* XIV. *&* XV. *num.* 19. *per opinionem Vaſqueſii non ſatis vitari Semipelagianorum doctrinam, neque recedi a ſententia Caſſiani & Fauſti, aperte ſcribit: Vaſquez vero in I. P. diſp.* XCI. *cap.* XII. *num.* 98. *opinionem Suareſii vocat aſſertum, quo multi Maſſilienſes contenti eſſent.*

Digitized by Google

Ianſeniſtæ? Erunt omnes Auguſtiniani. Erunt omnes Dominicani, ceterique Thomiſtæ. Erunt omnes qui Molinæ nollent aſſentiri. Quid ego tamen Molinianum Epiſcopum quæro, ut tibi quam facile Ianſeniſmi confletur invidia demonſtrem? Vide quid agant, cum purioris Auguſtinianæ Scholæ ſunt Epiſcopi imbuti doctrina. Nonne hos ipſos audaciſſime oppugnant, & calumnioſe traducunt? Non ignoras tu quidem quæ acta non ita pridem ſunt adverſus Turonenſium Archiepiſcopum virum doctiſſimum, imprimiſque ſtudioſum Sedis Apoſtolicæ. Hunc, quod edita de Iuſtitia Chriſtiana Paſtorali Inſtitutione quaſdam docere videretur Auguſtinianas opiniones, & malignis cenſuris, editiſque Libellis furioſiſſime appetiverunt, & Conſtitutionis *Unigenitus* violatorem, fautoremque Baii, & Queſnelli inſimulare non dubitarunt. Vicit quidem, repreſſitque importunos accuſatores doctiſſimi Præſulis innocentia, & cauſæ bonitas; idem tamen duobus, aut ſummum tribus abhinc annis in Bibliotheca Ianſeniſtica, ſi tum quidem edenda foret aucta, ut tertio iam, vel quarto factum eſt, novis Ianſeniſtis, procul dubio compareret. Quidni? Accuſatus aliquando fuit: non omittendus idcirco ab iis qui recudendæ, augendæque Bibliothecæ curam ſuſciperent. I nunc, & viſo ne his quidem parci ſummis, & ſanctiſſimis viris dum vivunt, ſpera, ſi potes, tutum a periculo fore quemquam alium privatorum hominum, nacti cum fuerint hi malitioſi Ianſeniſtarum cenſores ſuarum partium Epiſcopum.

Poteſt etiam, quid cuiquam timendum ſit, ex eo cognoſci, quod non ita pridem accidit Berto Cl. Auguſtiniano Theologo. Noſti? Ne illi quidem, qui Romæ ſcribunt, quorumque ſcripta a Magiſtro Sacri Palatii, & ab iis, quibus ipſe mandat, doctiſſimis Theologis, probata fuere, tuti ſunt a calumnia. Et tamen non facile eduntur Romæ Libri, qui poſſint hæreſis merito accuſari, & miror, cum accuſantur, Romæ taceri. Sed de Berto dicam poſtea. Intellige modo quam parum pro ſano reſpondeat Epiſtolæ auctor, cum propoſitum Coloniæ fuiſſe dicit, non ſolum certos, ſed etiam ſuſpectos, & ſemel accuſatos Ianſeniſmi in ſua Bibliotheca recenſere: quaſi vero in tanta accuſandi licentia, quanta nequit verbis exponi, quantamque in dies videmus percrebeſcere, ferri æquo animo poſſet, eſſe unum, qui accuſationes monumentis mandaret litterarum; atque ita mandaret, ut accuſationes ſæpe probando, numquam refellendo, accuſatorum autem præiudicia, inſcitiam, malitiam, & partium ſtudia ſemper prætereundo, numquam innocens appareret qui ſemel fuerat accuſatus.

At non erat, inquit ille, Coloniæ expectandum Sedis Apoſtolicæ iudicium, ut quæ Noriſio, Genetto, aliiſque Scriptoribus contigerunt, narraret: quare nihil, ſi narravit, contra Sedem Apoſtolicam peccaſſe videtur. At ſi narrare tantum volebat, & rei litterariæ Hiſtoricum agere, cur in Bibliothecæ proœmio denunciavit id ſe præſtiturum, ut antidotum paret Chriſtianis, impuroſque fontes ac veneno illitos, qui iam multos infecerunt, commonſtret? Cur addidit, velle ſe omni perſonarum generi regulam exhibere qua triticum a zizaniis, & Evangelium Chriſti ab Evangelio diaboli ſecernant? Erat ne operæ pretium hæc præſtare volenti viros catholicos, & Scriptores innocentiſſimos cum Hæreticis confundere? Nonne ſic triticum cum zizaniis, Evangelium Chriſti cum Evangelio diaboli magis confunditur eo in Libro, in quo regula parabatur, qua facile ſecernerentur? Fuerunt, inquit Colonia, eiuſque vindex, illi quoque accuſati Ianſeniſmi, & propterea id quoque Lectoribus narrandum. At regulam præbere qui vult omni generi perſonarum, qua Evangelium Chriſti ſecernant ab Evangelio diaboli; non id attendere debet, utrum aliqui accuſati Ianſeniſmi fuerint, ſed magis utrum reipſa Ianſeniani ſint: nam ſi revera non ſunt, dum in eorum cenſum referuntur, ea propoſita regula, turpiter decipitur, cum vult doceri, populus Chriſtianus. Itaque cognoſce improbam fraudem, & compoſitum horum Scriptorum

rum

rum ad fallendum ingenium. Vidit Colonia, ſi Noriſium, alioſque viros catholicos in Bibliotheca ſua reponeret, futuros qui id vehementer reprehenderent, & violata eſſe dicerent Romanorum Pontificum decreta: quare velle ſe dixit, non ſolum eos qui ſunt, ſed eos etiam qui eſſe Ianſeniſtæ viſi ſunt, & in ſuſpicionem huius hæreſis aliquando adducti, in Bibliotheca Ianſeniſtica reponere. Quo facto duo conſequebatur: nam erat, quod reprehenſoribus reſponderet, ſe, quod Romani Pontifices non prohibuiſſent, narrare, eos Scriptores fuiſſe aliquando Ianſeniſmi ſuſpectos; unaque efficiebat, ut hæc in animis Lectorum perpetuo hæreret ſuſpicio, cum, declarato regulam ſe velle præbere, quam indicavimus, & Scriptores illos Ianſeniſtis adnumerando, ſignificaret, quidpiam ei regulæ, quam conſtituerat, abſuturum, ſi eos prætermitteret, eſſeque in iis aliqua zizania, & partem aliquam Evangelii diaboli. Hoc enim efficere Bibliotheca Ianſeniſtica debebat, ut qui ſemel accuſatus Ianſeniſmi fuerat, numquam innocens iudicaretur. Iam vero quis erit innocens, ſi ſemel accuſaſſe ſufficiat?

Vide parem in auctore Epiſtolæ improbitatem. Colonia, inquit, nihil aliud egit, quam quæ Noriſio contigerunt, referre. Idem paullo poſt, Sacræ Indicis Congregationis decretum conſiſtere non poſſe, & nauci fieri debere impudentiſſime blaterat: *Nam ſi decreto*, inquit, *huic ſtamus, ab omni Ianſeniſmi ſuſpicione vacat Noriſius, Serry, aliique id genus homines. Adfirmabunt alii a P. de Colonia iniuria Ianſenianis adnumerari Abbatem S. Cyrani, Arnaldum, Nicolium, Paſcalem, Iuveninum, ceteroſque ad unum omnes, Romamque hos quoque ab Ianſenii nota vindicaſſe, dum Bibliothecam illam legi vetuit*. Intelligis modo quo pertineant eorum, quæ Scriptoribus contigerunt, malitioſæ narrationes? Non enim obſcure loquitur. Velit nolit Pontifex, velint nolint Romanæ Inquiſitionis, & Indicis Congregationes, non vacat a Ianſeniſmi ſuſpicione Noriſius: neque magis eum poterit Roma vindicare, quam Sancyranum, Arnaldum, ceteroſque Ianſeniſtas. Sic eſt: ſi Pontificum opponis Decreta, reſpondent ſe, quæ in cauſa Noriſii acta ſunt referre. At ſi Romæ Bibliotheca damnatur, decretum nullum eſt: *Nam ſi huic ſtamus, ab omni Ianſeniſmi ſuſpicione vacat Noriſius*. Hæccine a Romanis Iudicibus diſſimulanda, ac ferenda?

Huic autem incredibili arrogantiæ, his molitionibus, non potentiæ Dominicanorum, non eorum in Ieſuitas livori debuerat maledicus Scriptor damnationem aſſignare Bibliothecæ Ianſeniſticæ. Neque enim tantus ſtupor, torpedo tanta ſapientiſſimos Cardinales occupavit, ut, cum ipſi habiti ſint a Colonia contemptui, vellent potius Dominicanorum, ſi quis eſſet, ſervire livori, quam ſui Ordinis dignitatem tueri. Nemo tamen non videt hæc ab homine profligatæ conſcientiæ, procacisque animi iactata impudenter fuiſſe ad conflandam Dominicanis invidiam. Sed ego Dominicanos omitto, qui, ſi putabunt e re, ac dignitate ſua eſſe obſcuro ineptoque Scriptori, eiuſque maledictis animum advertere, defendent ipſi ſe, defendent ſuos. Docebunt auctorem Epiſtolæ, quamobrem non Graveſonius, non Concina, non alii damnentur, & doceri ab eo volent, num quiſquam alterius Inſtituti, dignus qui damnaretur, accuſatus propterea a ſuis fuerit, veluti Serrius ab Agnano Dominicano Bibliothecæ Caſanatenſi olim præfecto. Non enim ſatis illis fuit Serrium, cum erravit, a Lucinio, & Vandendyckio item Dominicanis publice refelli; ſed viſum eſt præterea fore glorioſum ſibi, ſi accuſarent ipſi, & darent operam, ut damnaretur. Abundant illi huius erga veritatem, erga Eccleſiam amoris, vindictæque in ſuos pulcherrimis exemplis, quæ non facile apud eos invenias qui cum ſoli ſibi ſapere videantur, errantes ſodales ſuos etiam adverſus Apoſtolicæ Sedis iudicia magno Eccleſiæ ſcandalo pervicaciter, impudenterque defendunt. Hæc conſideranda prius fuerant Epiſtolæ ſcribillatori, quam compilatis ex proſcripto Theophili

Digitized by Google

phili Raynaudi Opuſculo (*n*) eos laceſſeret maledictis, rancidiſque cantilenis, quæ nemo ſtomachans non legit, ſciens a malevolo obtrectatore eſſe profecta. Si autem livoris eorum, nimiæque potentiæ alia non affert exempla, quæ numquam afferet; hoc certe damnatæ Bibliothecæ Ianſeniſticæ, & huius quodcumque ſimile numquam officiet gloriæ, & moderationi Dominicanorum, quorum opera ſane utili, fideli, & ſincera ſemper uſæ ſunt Romanæ Congregationes. Expectare autem a Dominicanis, ut minime malos ſuorum Libros propterea ſolum quod uni & alteri diſplicent, accuſent ipſi, aut, quantum in ipſis eſt, patiantur ab aliis accuſari, & prohiberi, iniuſtum eſt, ac plane ridiculum. Quandoquidem autem Concinæ vehementer iraſcitur, quæſivi quid rei eſſent Paradoxa, quæ illum tantopere urunt ac ſollicitum habent. Væ! non Concinæ, ſed iis, qui vellent eum damnari, ſi liber iſte ad Romanam deferatur Inquiſitionem. Intelliget Congregatio Eminentiſſimorum Iudicum qui ſint impudentiſſimi contemptores Decretorum ſuorum.

Multo etiam, meo iudicio, melius feciſſet, ſi Berti Auguſtiniani Theologiam ſilentio præteriiſſet, de qua magis incorrupte Romanos Cenſores iudicaſſe puto, quam ii iudicarint, qui eam Ianſeniſmi, & Baianiſmi inſimularunt. Bertus, ſcripta apologia, Commentarios ſuos ab omni criminatione ſtrenue vindicavit, oſtenditque ab omni Baii, Ianſeniique errore vacuos eſſe, perinde ac vacua cenſetur eſſe multorum Societatis Ieſu Theologorum, & Galliæ Epiſcoporum doctrina. Hanc Apologiam probavit Ricchinius, quem auctor Epiſtolæ contumelioſum fuiſſe arguit contra Archiepiſcopum Viennenſem, quem Libri contra Bertum ſcripti fuiſſe dicit auctorem. Id ſi verum ſit, neſcio plane quam apud eum, qui latere ſtuduerat, gratiam inire poſſit: eo præſertim quod ab tali viro Sedis Apoſtolicæ maxime ſtudioſo, & cum Chriſtianæ modeſtiæ, tum veritatis amantiſſimo credi non poterat ſcriptum cum Scholæ Auguſtinianæ, eiuſque Theologis, tum Romanis Cenſoribus tam iniurioſum eſſe profectum. Romæ certe ferebatur, atque etiamnum a pleriſque creditur eius Libri auctor Epiſcopi Rutenenſis Theologus Molinianus; neque poterat Ricchinius, contra quam omnibus fere erat perſuaſum, divinare, non huic, ſed Archiepiſcopo Viennenſi eſſe attribuendum. Poterat autem? Ne nunc quidem poteſt. Nam quæ prudentia eſt Anonymo Eccleſiæ Decretorum violatori fidem adhibere? Hoc etiam ad cetera mala deeſſet, ut revereri deberemus omnes Anonymos, qui ſcripto laceſſunt, eoſque Epiſcopos, aut Archiepiſcopos eſſe putare, quo liberior, & ſecurior campus pateret Molinianis ad optimum quemque iniuriis, contumeliiſque impune oppetendum. Fac tamen auctori Epiſtolæ fidem eſſe adhibendam. Quid amplius dixiſſe invenies & quidem parce Ricchinium quod Bertus ipſe uberius in ſua Apologia, luculenterque demonſtrat? Sed hæc ad cauſam non attinent. Illud tamen animadverte, quo reprehenſionem concludit Anonymus: *Ita ſcilicet Ordinem Epiſcopalem reveretur Ricchinius*. Næ dignam tali monitore ſententiam! An non tibi videtur ſatis idoneus ad docendos alios erga Ordinem Epiſcopalem reverentiam? qui Pontificem, qui Cardinales, qui Romanas Congregationes horrendum in modum contempſit, earum Adminiſtrum commonefacit, ut Ordinem Epiſcopalem revereatur. Quid facias tam lepido capiti?

Puto tamen Ricchinium qua eſt probitate, ac religione hunc Ordinem revereri. Atqui multo magis Decreta Innocentii XII. Clementis XI. itemque XII. digna erant, quæ auctor, quicumque ſit, Libri adverſus Bertum editi revereretur, neque contra quam illi ſanxerunt, Auguſtinianam Scholam inique traduceret, eiuſque præclaros Theologos Baii, Ianſeniique diſcipulos, & Auguſtini *Filios ſpurios* contumelioſe appellaret. Cupio vide-

(n.) *Diatriba de Immunitate Ciriacorum.*

Digitized by Google

videre licuiſſe Anonymo iuſſa Romanorum Pontificum procaciter contemnere; non licuiſſe Berto, non licuiſſe Ricchinio contra contemptorem mutire.

Unum reſtat, ut qualem fructum ex hac larvati Sorbonici Epiſtola percipiat Hæreſis Ianſeniana diligenter attendas. Equidem cœpta eſt hæc hæreſis, cum primum damnata fuit, plurimum a Catholicis iuvari. Nam quæ odio, ut par erat, habita ab omnibus fuiſſet, planeque concidiſſet, ſi in iis, in quibus erat, oppugnata fuiſſet; improborum opera in viros catholicos, & egregios Scriptores malitioſe translata exui quodammodo deformitate cœpit, & minus, quam reipſa eſt, pernicioſa iudicari. Veri Ianſeniſtæ, non hebetes illi quidem, ſed vafro, acutoque ingenio, quod viderunt quanti ſua intereſſet, hæreſim quam tuerentur, non modo ab ſe, ſed etiam a noſtris communem prędicari cum catholicis Scholis, ſibi non defuerunt, quin diligentiſſime efficerent, ut cauſæ ſuæ horum improborum malitia prodeſſet. Ergo viam, quæ illis commonſtrata a noſtris fuerat, ſecure inſiſtentes modo ſocietatem, coniunctionemque doctrinæ ſuæ cum Scholis catholicis prædicare; modo liberius iactare, phantaſma eſſe Ianſeniſmum; atque ipſius hæreſis, qua compuncti fuerant, nullum præſeferre pudorem: quæ res non iis male procedere videbantur. Nam qui poterant minus docti, imperitumque vulgus non facile putare, phantaſma eſſe Ianſeniſmum, cum perſpicerent eorum pleroſque, qui Ianſeniſmi a Scriptoribus Catholicis inſimulabantur, magnos eſſe in Eccleſia, ac ſummis etiam honoribus perfungi? Quem vero Arnaldi, Queſnellique fautorem pudere poterat Ianſeniſtam vocari, cum perpetuo audiret, eo nomine appellari Cardinales aliquos, Epiſcopos plures, doctiſſimos ſine numero variorum Ordinum viros? Quid quæris? Nequiſſimo conſilio ſubventum eſt Sectæ Ianſeniſtarum. Nam cum alia quavis hæreſi damnata, princeps ſemper cura fuerit quam plurimos eidem eripere, hac Ianſeniſtarum proſcripta, laboratum eſt maxime, quam plurimos in eam coniicere. Hoc autem tantum malum, quod optimo conſilio minuere pro viribus conati fuerant Annatus, Decampus, Sanfelicius, aliique Societatis Ieſu Patres, & Theologi doctiſſimi, maiorem in modum auxit Colonia, & perennari ſtuduit eo in libro, in quo omnium Ordinum multos, & magnos viros Ianſeniſtis annumerando, Sectam deterrimam multo maxime illuſtrem reddidit, effecitque, ut multo inſolentius, quam pridem feciſſent, iactare poſſent Ianſeniſtæ, ſe cum præclaris Thomæ, atque Auguſtini diſcipulis commune habere fatum, & cauſam. Hunc librum, quo bonæ cauſæ plurimum detrimenti afferebatur, damnavit non ita pridem ſacra Indicis Congregatio, effecitque Decreto ſuo, ut omnes intelligerent, nihil eam hæreſim habere commune cum Schola D. Thomæ, Divique Auguſtini, & horum pleroſque diſcipulos per ſummam iniuriam cum Ianſenianis fuiſſe conſcriptos. Hoc Romæ declarato, iacent homines Ianſeniani, deſtitutique magno præſidio, quod habebant in ſocietate illuſtrium Theologorum, non poſſunt amplius tegere ſe ſe, & ullam apud imperitos cum catholicis Scholis iactare coniunctionem. Sed ecce tibi audax Congregationis criminator, qui Colonia, quantum in ipſo eſt, vindicato, ac reſtituto, non patitur tantum beneficium eſſe diuturnum, neque veretur iterum Ianſeniſtas erigere, eodemque ſubſidio, quo eos Colonia firmarat, roborare. Non ille Ianſenianam veritatis zelo hæreſim odit, ſed iniquo fert animo in ea non eſſe Noriſium, non eſſe Bonam, non eſſe Genettum, non ceteros eſſe Scriptores noſtros, quos eſſe voluit Colonia: quaſi una ſit via ad Hæreſim Ianſenianam oppugnandam eam in optimos quoſque Eccleſiæ Romanæ transferre Theologos. Nam quod ipſe, damnata Bibliotheca Ianſeniſtica, Noriſioque, & aliis Catholicis viris a calumnia vindicatis, veretur ne res haud male Ianſenianis procedat, agnoſcis quam ſit non ſolum, ut demonſtravi, temerarium, ſed etiam inane, & longe petitum. Quid timet autem? Non defuturos, ait, qui, Noriſio vindicato, dicant Sancyranum etiam

ſiam, ceteroſque Porturegienſes iniuria a Colonia fuiſſe in Bibliotheca repoſitos, & hos quoque a Ianſeniſmi cenſura vindicatos. Non puto quemquam inveniri tam pingui, ſtolidoque ingenio, ut ei cadere in cogitationem poſſit, utrum, vindicato Noriſio, Arnaldus etiam, & Sancyranus vindicati cenſendi ſint a Ianſeniſmi cenſura. Fac tamen eſſe, qui ſic, ut ſomniat auctor Epiſtolæ, velit deſipere. Quale tandem peccatum erit reſpondere: Bibliothecam Ianſeniſticam non eſſe normam Catholicorum; non unum eſſe Coloniam, cui neglectis veris Magiſtris auſcultare debeat populus Chriſtianus, atque ex eo quæ vitanda ſunt diſcere vitare? Quale, ſi addamus, Romanos eſſe Pontifices, eſſe Cardinalium Congregationes, quæ, qui ſint veri Ianſeniſtæ, eorumque errores doceant, & commonſtrent; Coloniam denique privatum eſſe Scriptorem, nullius nominis Theologum, imperitum Catholicorum dogmatum, falſumque in recenſendis Ianſeniſtis eſſe? Ceterum tot iam ſunt a Sede Apoſtolica in veros Ianſeniſtas lata decreta, ut illi tergiverſari non poſſint, multoque minus, damnato Colonia, eniti latere. Quid igitur? Deſinent tandem aliquando deſipere Ianſeniani? Nihil minus. Contemnent magis, magiſque Romæ decreta, eoſque quemadmodum contemnere poſſint, docuit omnium optime Epiſtolæ auctor exemplo, dictoque, præſertim cum audeat effutire: *Catholicorum cum Ianſeniſtis controverſiam, eo demum verti, utrum quinque propoſitiones quo ab Eccleſia damnatæ ſunt ſenſu, revera extent in Ianſenii Libro*. Negant quidem extare Ianſeniani; non in eo tamen ſita eſt omnis eorum cum Catholicis controverſia. Quod eo dico, ut huius cenſoris agnoſcas inſcitiam. Arripient tamen, quod ille tribuit, Ianſeniani, & audito Romanum Pontificem idem ſæpe declaraſſe, audacius multo, quam antea reſpondebunt, extortum fraudibus, & inſidiis fuiſſe Ianſenii damnationis decretum; circumventum fuiſſe Pontificem, illuſum Cardinalibus. Num hæc, inquient illi, accidere Romæ poſſunt, cum damnatur Colonia; non item poſſunt, cum damnatur Ianſenius? Aut longe difficilius putatur eſſe, quid Colonia peccarit, atque utrum Pontificum decreta violarit, agnoſcere, quam Ianſenii ſenſum in eius Libris inveſtigare? En arma quæ parata Ianſeniſtis ſunt ab auctore Epiſtolæ: quibus ſi utantur, neſcio plane quid a noſtris reponi poſſit, niſi illud reſpondeatur, exiſſe, cum hæc ſcriptitaret, de iudicio, de mente Romanæ Congregationis criminatorem. Neque vero poteſt quin plane exierit, cum non animadverterit ſe ſe ita ſcribendo viciſſe temeritatem omnium Ianſeniſtarum, atque effeciſſe exemplo ſuo, ut deinceps omnem, ſi quis in eis ſupereſſet, abiicerent pudorem.

Ut autem nihil deeſſet ad ſummam impudentiam, neque ſolum Ianſenianos, ſed etiam omnes improbos incitaret, impelleretque ad Indicis Congregationis contemptum, Libroſque ab ea proſcriptos impune legendos, inſinuavit quoque illud Menagii: *Notabitur Romæ, legetur ergo*. Non deſunt, qui illud uſurpent, profligatæ conſcientiæ homines; & non deerunt deinceps multo plures, cum videant eſſe Theologos, qui illud ſuggerere, atque probare non dubitent. Horum, horum opera viſæ ſunt deterrimum in modum ſperni Romanæ Congregationes; & non ſolum legi, ſed etiam furtivis typis iterum edi in Italia, vulgarique Libri, quos illæ damnarunt. Sed hæc viderint illi, quorum intereſt ſalvam eſſe, nihilque ex improbitate malorum detrimenti capere Chriſtianam Rempublicam.

Nos, quando tam multi ſunt hæretici homines, qui hanc Apoſtolicam Sedem inique contemnunt, ac maledictis inſectantur, Deum precemur O. M. ut ei ſaltem omnes obſequantur, & pareant, qui Catholicorum nomine ac religione cenſentur, eiuſque ſanctiones, qua par eſt reverentia, excipiant ii cum primis, qui *cæca quadam obedientia ſe ſe amplecti* (o) prædicant *quidquid Roma decreverit*;

(o) *Apud Auctorem Epiſtolæ pag. 8. col. 2.*

verit ; unaque efficiat ut ad ſanitatem redeant refragatores, ſibique dictum accipiant a Spiritu Sancto: (*p*) *Non iudices contra Iudicem, quoniam ſecundum quod iuſtum eſt iudicat*. Tum illud intelligant: (*q*) *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*.

Dabam Romæ pridie Idus Martii MDCCL.

D E C R E T U M.

S*Acræ Indicis Congregationis Decreto damnata, & prohibita fuere Folia nonnulla ſine loco impreſſionis edita ſub hoc titulo* - Epiſtola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam - *latine, & gallice ſcripta, tamquam Libellus famoſus, continens propoſitiones falſas, temerarias, ſcandaloſas, ſeditioſas, atque Apoſtolicæ Sedi iniurioſas*.

Ea itaque Folia ubicumque, & quocumque idiomate impreſſa, ſeu (quod abſit) imprimenda, Sacra eadem Congregatio vetat, ne quis cuiuſcumque ſtatus, & conditionis apud ſe retinere, vel legere audeat, ſed ipſa Ordinariis Locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim a præſentis Decreti notitia tradat ſub pœnis in Indice Librorum contentis.

Quibus per me infraſcriptum Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PAPAE XIV. relatis, Sanctitas Sua Decretum approbavit, atque executioni mandari iuſſit. In quorum fidem &c.

Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali die VI. *Maii* 1750.

Io: Cardinalis Spinellus.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Th. Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. S. C. Secret.

Die, menſe, & anno, quibus ſupra, prænotatum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per Nicolaum Cappellum Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Beſani Magiſter Curſorum.

C A P U T XVI.

CONFIRMATIO, & INNOVATIO conſtitutionis incipientis, *Ex illa die*, a CLEMENTE PAPA XI.

In cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium editæ,

necnon

Revocatio, reſciſſio, abolitio, caſſatio, annullatio, ac damnatio Permiſſionum ſuper iiſdem Ritibus, ſeu Cæremoniis in quadam Paſtorali Epiſtola Caroli Ambroſii Mediobarbi Patriarchæ Alexandrini olim Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici in Sinarum Imperio contentarum,

Cum præſcriptione novæ formulæ Iuramenti per Miſſionarios illarum partium præſentes, & futuros præſtandi.

BENEDICTUS PAPA XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

I. EX quo ſingulari Dei providentia factum eſt, ut Orientalium, & Occidentalium Indiarum Regiones Europæ innoteſcerent, Apoſtolica Sancta Sedes, quæ ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Evangelicæ veritatis lumen ubique diffundere, & illud ab omni erroris umbra ſervare maximo ſtudio curavit, in his quoque noviſſimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones ſedulo miſit, ut Idololatria ibi late dominante funditus eradicata Chriſtianæ Fidei ſemen opportune ſpargerent, atque horrentes illos & incultos campos in fertiles florenteſque vineas uberrimos æternæ vitæ fructus daturas commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes præ ceteris ante oculos habuit, fuit profecto ampliſſimum Sinarum Imperium: in quo quidem negari non poteſt, quin Chriſtiana Fides progreſſus ingentes fecerit, longe etiam maiores factura, niſi coorta inter Operarios a Sancta Sede illuc miſſos diſſidia curſum intercidiſſent.

II. Occaſionem diſſidiis eiuſmodi dederunt Cæremoniæ quædam, & Ritus qui-

(p) *Eccleſiaſtici* VIII. 17. (q) I. *Reg.* XV. 23.

Digitized by Google

quibus Sinenſes ad Confucium Philoſophum, & Maiores ſuos honoribus proſequendos uti conſueverunt: cum nonnulli ex Miſſionariis contenderent, eas eſſe Cæremonias, & Ritus mere civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum cultu Chriſtianam Religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote ſuperſtitionem olentes, ſine gravi Religionis iniuria permitti nullo modo poſſe aſſererent. Quæ ſane controverſia multis annis Apoſtolicæ Sedis curam & ſollicitudinem ad ſe traxit; cum id maxime caveat, ne zizania in agro Dominico radices agant, aut, ſi forte egerint, eæ, quam cito fieri poteſt, evellantur.

III. Primo itaque ad Sanctæ Sedis Tribunal Cauſam hanc detulerunt ii, qui Cæremonias illas, & Ritus Sinicos ſuperſtitione imbutos ſuſpicabantur. Super illis dubia nonnulla propoſita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, quæ anno 1645. comprobavit reſponſa ac deciſiones Theologorum, qui Cæremonias & Ritus eoſdem ſuperſtitione revera infectos iudicarunt. Proinde Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis preces, omnibus & ſingulis Miſſionariis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſibi, ac Sanctæ Sedi reſervatæ, mandavit, ut reſponſa ac deciſiones prædictas omnino obſervarent, eaſque ad praxim deducerent, donec ſibi, & Apoſtolicæ Sedi aliter viſum non eſſet.

IV. Verum paulo poſt ab aliis eiuſdem Miſſionis Operariis alia dubia de iiſdem Ritibus & Cæremoniis ipſimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus Cæremoniæ ipſæ, Rituſque nullam in ſe ſuperſtitionem habere videbantur. Negotium itaque huiuſmodi ab Alexandro Papa VII. Sacræ Inquiſitionis Congregationi commiſſum fuit: quæ, prout varia diverſaque ratione fuerat ſibi de eiſdem Cæremoniis expoſitum, alias quidem tamquam mere civiles & politicas eſſe permittendas, alias vero minime tolerari poſſe indicavit: idemque Alexander Pontifex anno 1656. hanc ſententiam probavit, & confirmavit.

V. Sed ecce tertio ad Sanctam Sedem hæc eadem controverſia. Cum plura dubia Sacræ Inquiſitionis Congregationi propoſita fuiſſent, illud quoque ab ea quæſitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. præceptum, quo ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandabat obſervantiam reſponſionum, ac deciſionum, quæ a Congregatione de Propaganda anno 1645. ut ſupra dictum eſt, emanaverant. Præterea, an, ſtantibus recens expoſitis dubiis, earum praxis retinenda foret: cum præſertim obſtare videretur Decretum Sacræ Inquiſitionis, quod ab ea emanavit anno 1656. ſuper quæſitis nonnullis diverſa ratione, aliiſque circumſtantiis propoſitis ab Operariis Apoſtolicis in Sinarum Regno commorantibus. Reſpondit ad hæc Sacræ Inquiſitionis Congregatio anno 1669. præfatum Congregationis de Propaganda Fide Decretum adhuc vigere habita ratione rerum, quæ fuerunt in dubiis expoſitæ; neque illud fuiſſe circumſcriptum a Decreto Sacræ Inquiſitionis, quod anno 1656. emanavit; immo eſſe omnino obſervandum iuxta quæſita, circumſtantias, & omnia ea, quæ in antedictis dubiis continentur. Declaravit pariter eodem modo eſſe obſervandum prædictum Sacræ Congregationis Decretum anni 1656. iuxta quæſita, circumſtantias, & reliqua in ipſis expreſſa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

VI. Cum autem omnia præfata Decreta pro varia rerum expoſitarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Sinenſium controverſia finem obtineret, ut magis illa vires, & incrementum acquireret. Nam ſciſſis Evangelicis Operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum, ac ſententiarum contentionem. Atque hinc, non ſine gravi ſcandalo, magnoque Fidei damno, conſecuta eſt prædicatio non uniformis, & non eadem ubique Chriſtianorum illorum diſciplina ac inſtitutio. De his autem abſurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter, id muneris ſui omnino eſſe putavit, ut perniciofis adeo diſſidiis finis daretur; proinde exactam maxi-

ximeque accuratam totius huius controverſiæ diſcuſſionem Sacræ Inquiſitionis Congregationi commiſit. Cumque nihil intentatum reliquiſſet, quo ſinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato ſumma cum diligentia Quæſita, quæ per eamdem Sacram Congregationem reſolverentur.

VII. Quæſitorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI., qui ſucceſſit, Prædeceſſoris ſui zelo plenus, coram ſe quæſitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem poſt diuturnam, maturam, & accuratiſſimam rei diſcuſſionem, poſt auditas ex utraque parte rationes, quibus libere producendis unicuique locus ampliſſimus datus fuit, idem Clemens Papa XI. anno 1704. confirmavit, & Apoſtolica auctoritate comprobavit præmemoratæ Sacræ Congregationis reſponſiones ad omnia & ſingula quæſita propoſita, quibus Ritus Sinenſes, utpote ſuperſtitione imbuti, prohibebantur; mandavitque præfatas reſponſiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham, Commiſſarium, & in Sinarum Regno Viſitatorem Apoſtolicum tranſmitti; ut nimirum exactam earumdem obſervantiam omnibus & ſingulis Miſſionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis, præciperet.

VIII. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus deciſionem Apoſtolicam, addito Decreto, quo ab univerſis eius obſervantiam exigebat. Cum autem illam tentaſſent eludere, variiſque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenſes Ritus tamquam politicos, ac mere civiles propugnaverant, prædictus Pontifex Clemens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquiſitionis Congregationem emanavit anno 1710. præcepit omnimodam, & inviolabilem earumdem reſponſionum abs ſe Apoſtolica auctoritate confirmatarum obſervantiam, & alia quæ Decreto ipſo continentur, quod eſt tenoris ſequentis.

DECRETUM

Super omnimoda, ac inviolabili obſervatione Reſponſorum alias in Cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium a Sacra Congregatione datorum, & a Sanctiſſimo approbatorum, cum aliis Ordinationibus.

Feria v. *die* xxv. *Septembris MDCCX.*

IX. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clemente Divina Providentia Papa XI., ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter in Cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium, auditis tam in Congregationibus anno præterito non ſemel, quam in aliis, menſe & anno præſentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, præfatorum Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, qui rem mature, ac diligentiſſime diſcuſſerunt, ſententiis, decrevit, & declaravit, reſponſa alias in Cauſa huiuſmodi ab eadem Congregatione data, & a Sanctitate Sua die 20. Novembris 1704. confirmata & approbata, necnon Mandatum, ſeu Decretum ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in Imperio Sinarum die 25. Ianuarii 1707. hac de re editum, ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, inconcuſſe, & inviolabiliter, ſub cenſuris & pœnis in Mandato, ſeu Decreto huiuſmodi expreſſis, obſervanda eſſe, quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacumque appellatione a quibuſvis Perſonis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, etiam ſpecifica & individua mentione, & expreſſione dignis, ac quavis Eccleſia-

ſiaſtica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam propterea Sanctitas Sua reiiciendam eſſe decrevit, ac re ipſa reiecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in ſuo Mandato, ſeu Decreto ſupradicto Apoſtolicæ deciſioni die 20. Novembris 1704. latæ ſe expreſſe inhærere profeſſus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipſum Mandatum, ſeu Decretum una cum cenſuris in eo contentis ad normam eorumdem reſponſorum accipiendum eſſe, ita ut nihil per illud reſponſis præfatis additum, ſeu detractum fuiſſe cenſendum ſit, ac omnia, quæ in eis inſunt, etiam in Mandato, ſeu Decreto prædicto ineſſe intelligantur. Ceterum Sanctitas Sua, tametſi non ſine ingenti animi ſui mœrore acceperit, quod humani generis hoſtis multiplicia in dies zizania in latiſſimis illis Regionibus ſuperſeminare non ceſſat; non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ ſaluberrimum ac ſanctiſſimum opus ullatenus deſerere volens, ſed illud maiori, qua poteſt, animi contentione, ac ſtudio, iiſque potiſſimum diſſidiis, quibus inibi Chriſtianæ Fidei ſeges veluti ſpinis ſuffocatur, prorſus ſubmotis, ardentius, ſemper, & enixius promovere cupiens, congruam ſuper præmiſſis, aliiſque ad ea pertinentibus Inſtructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, ſin minus illi, qui eius loco deputatus fuerit, necnon Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis earumdem partium tranſmitti mandavit, qua non minus debitæ Apoſtolicorum Decretorum executioni, quam Miſſionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum ſaluti opportune conſulatur. Demum, ut nimiæ illi de his rebus ſcribendi licentiæ, quæ non ſine Fidelium ſcandalo inter Partes diuturna contentione exaſperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua diſtricte præcepit omnibus & ſingulis cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, aliiſque quibuſcumque ſæcularibus Perſonis tam Eccleſiaſticis, quam Laicis, cuiuſcumque tandem ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, ut in poſterum non audeant ſub quovis quæſito colore, vel prætextu imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theſes, Folia, ſeu Scripta quæcumque, in quibus ex profeſſo, vel incidenter de Ritibus Sinicis huiuſmodi, vel de controverſiis deſuper, ſeu illorum occaſione exortis quomodolibet tractetur, ſine expreſſa & ſpeciali licentia a Sanctitate Sua, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice in Congregatione ſupradictæ Sanctæ & Univerſalis Inquiſitionis obtinenda. Ut autem eiuſmodi prohibitio inviolabiliter obſervetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes quoſcumque excommunicationis latæ ſententiæ; Regulares vero etiam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnas ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis ſubiacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theſes, Folia, ac Scripta quæcumque, quæ in futurum contra præſentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, ſuper quibus opportune providebitur) pro expreſſe prohibitis haberi voluit, abſque alia declaratione, ſub pœnis & cenſuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impreſſores vero, præter Scriptorum ſic impreſſorum amiſſionem, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis, iuxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Ioſeph Bartolus Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

X. At vero nec Decretum huiuſmodi ad difficiles animos ſubiiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI. quo illos tandem aliquando frenaret, Conſtitutionem anno 1715. evulgavit, qua ſolemniter iterum confirmavit antedictas Sacræ Inquiſitionis reſponſiones, eaſque exacte & ad amuſſim obſervari mandavit, præcluſis omnibus iis effugiis, quibus perfectam earum obſervantiam

tiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuiſſent, & eſt tenoris, qui ſequitur.

CLEMENTIS PAPAE XI.

Præceptum ſuper omnimoda, abſoluta, integra, & inviolabili obſervatione eorum, quæ alias a Sanctitate Sua in Cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium decreta fuerunt: cum reiectione quarumcumque rationum, ſeu excuſationum ad eiuſmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac præſcriptione Formulæ Iuramenti per Miſſionarios illarum partium præſentes & futuros hac in re præſtandi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

XI. *Ex illa die, qua, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, Catholicæ Eccleſiæ gubernacula, hoc eſt, munus ſua amplitudine graviſſimum, ac temporum iniquitate moleſtiſſimum, Deo ſic diſponente, ſuſcepimus, nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones iampridem in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortas, ſemperque in dies magis invaleſcentes tam circa quaſdam voces Sinicas ad ſanctum & ineffabile Dei nomen exprimendum inibi uſurpatas, quam circa nonnullos earum gentium Ritus, veluti ſuperſtitioſos a quibuſdam ex Miſſionariis prædictis reprobatos; ab aliis vero, utpote eos civiles tantum aſſerentibus, permiſſos, Apoſtolici Iudicii cenſura opportune dirimere, ut, ſublatis diſſidiis, Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem idipſum dicerent in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui ſanctificati ſunt in Chriſto Ieſu.*

Hoc conſilio reſponſa illa, quæ ad varias quæſtiones ſuper eiuſmodi rebus excitatas, prævio diuturno examine, dudum, videlicet tempore fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri inchoato, ac deinde iuſſu noſtro per plures annos continuato, auditiſque utriuſque Partis rationibus, necnon complurium Theologorum, & Qualificatorum ſententiis a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum adverſus hæreticam pravitatem auctoritate Apoſtolica deputatorum data fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704. eadem auctoritate confirmavimus, & approbavimus.

Ea autem, quæ in reſponſis huiuſmodi decreta fuerunt, ſunt quæ ſequuntur. Cum Deus Optimus Maximus congrue apud Sinas vocabulis Europæis exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum ſignificandum, vocabulum *Tien Chù*, hoc eſt, Cæli Dominus, quod a Sinenſibus Miſſionariis, & Fidelibus longo ac probato uſu receptum eſſe dignoſcitur, admittendum eſſe: nomina vero *Tien* Cælum, & *Xang Ti* Supremus Imperator, penitus reiicienda.

Idcirco Tabellas cum inſcriptione Sinica *King Tien*, Cælum colito, in Eccleſiis Chriſtianorum appendi, ſeu iam appenſas in poſterum inibi retineri permittendum non eſſe.

Ad hæc nullatenus, nullaque de cauſa permittendum eſſe Chriſtifidelibus, quod præſint, miniſtrent, aut interſint ſolemnibus Sacrificiis, ſeu Oblationibus, quæ a Sinenſibus in utroque æquinoctio cuiuſcumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tamquam ſuperſtitione imbutis. Similiter nec eſſe permittendum, quod in AEdibus Confucii, quæ Sinico nomine *Miao* appellantur, iidem Chriſtifideles exerceant, ac peragant Cæremonias, Ritus, & Oblationes, quæ in honorem eiuſdem Confucii fiunt tum ſingulis menſibus in Novilunio & Plenilunio a Mandarinis, ſeu primariis Magiſtratibus, aliiſque Officialibus, & Litteratis; tum ab eiſdem Mandarinis, ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt eius poſſeſſionem adeptam; tum denique a Litteratis, qui poſtquam ad gradus ſunt admiſſi, e veſtigio

ad

ad Templum ; ſeu AEdem Confucii ſe conferunt.

Præterea non eſſe permittendum Chriſtianis in Templis, ſeu AEdibus Progenitoribus dicatis Oblationes minus ſolemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios Ritus, & Cæremonias peragere.

Item nec eſſe permittendum præfatis Chriſtianis Oblationes, Ritus, & Cæremonias huiuſmodi coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus, ſive in eorumdem Progenitorum Sepulcris, ſive antequam defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, una cum Gentilibus, vel ſeorſim ab illis peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe; immo prædicta omnia, utpote quæ, perpenſis hinc inde deductis, necnon diligenter, ac mature diſcuſſis omnibus, ita peragi comperta ſunt, ut a ſuperſtitione ſeparari nequeant, Chriſtianæ Legis cultoribus ne quidem permittenda eſſe, præmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione, ſe, non religioſo, ſed civili, ac politico tantum cultu erga defunctos illa præſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Non tamen per hæc cenſendam eſſe damnatam præſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam mere materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eiſdem ſuperſtitioſis actibus quandoque præſtari contingat a Chriſtianis, cum aliter odia & inimicitiæ vitari non poſſunt: facta tamen prius, ſi commode fieri poterit, Fidei proteſtatione, ac ceſſante periculo ſubverſionis.

Demum permittendum non eſſe Chriſtifidelibus Tabellas defunctorum Progenitorum in ſuis privatis domibus retinere, iuxta illarum partium morem, hoc eſt, cum inſcriptione Sinica, qua Thronus, ſeu Sedes Spiritus, vel Animæ N. ſignificetur; immo nec cum alia, qua Sedes, ſeu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta inſcriptione, deſignari videatur. Quo vero ad Tabellas ſolo defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quæ ſuperſtitionem redolent, & ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint, Tabellas huiuſmodi a Chriſtianis retineri ea mente, qua ipſi illas retinent; necnon adiecta inſuper declaratione ad latus ipſarum Tabellarum apponenda, qua & quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis Filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuntietur.

Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint, ab iis gentibus peragi conſueta, quæ vere ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præſeferant, ſed intra limites civilium & politicorum Rituum contineantur. Porro quænam hæc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore exiſtentis Commiſſarii & Viſitatoris Generalis Apoſtolici, ſeu eius vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium iudicio relinquendum eſſe: qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentia curare debebunt, ut Gentium Cæremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro defunctis pie præſcripſit.

Poſt hæc vero labente fere ſexennio; nempe die 25. Septembris 1710. auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem mature, ac diligentiſſime diſcuſſerunt, ſuffragiis, eadem reſponſa, necnon Mandatum, ſeu Decretum, quod illis expreſſe inhærendo, a piæ recordationis Carolo Thoma, dum vixit, eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in præfato Imperio Sinarum, die 25. Ianuarii 1707. editum fuit, ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectabat, inconcuſſe & inviolabiliter ſub cenſuris, & pœnis in Mandato, ſeu Decreto huiuſmodi expreſſis obſervanda eſſe decrevimus & declaravimus, quovis contrafacien-

ciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacumque appellatione a quibuſvis Perſonis ad Nos, & Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam propterea prorſus reiiciendam eſſe ſimiliter decrevimus, ac re ipſa reiecimus, prout in Decreto hac de re edito fuſius continetur.

Hæc omnia plene & abunde ſufficere debuiſſent, ut ea, quæ inimicus homo ſuperſeminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fideleſque omnes noſtris, & huius Sanctæ Sedis mandatis ea, qua par erat, humilitate & obedientia obſequerentur; præſertim cum in calce reſponſorum prædictorum a Nobis, ſicut præmittitur, confirmatorum & approbatorum, Cauſam iam finitam eſſe apertis, & perſpicuis verbis pronuntiatum fuerit.

Verum, cum, ſicuti ex eiſdem partibus non ſine intimo animi noſtri dolore ad noſtri pervenit Apoſtolatus auditum, tam enixe a Nobis præſcripta reſponſorum huiuſmodi executio male a pleriſque, ſive vano falſoque obtentu, quod illa a Nobis ſuſpenſa fuerint, vel minus legitime promulgata, ſive conditionum, ut perperam aſſeritur, in eis inſitarum, & ante executionem ipſam verificandarum, factorumve, ſuper quibus ipſa emanarunt, non iuſtificatorum ratione, ſive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, ſive gravium, quæ tam Miſſionariis, quam Miſſioni ipſi ex demandata executione obvenire poſſent, periculorum formidine, ſive demum Decreti dudum, nempe die 23. Martii 1656. ſuper eiuſmodi Ritibus, ſeu Cæremoniis Sinicis a præfata Congregatione Cardinalium editi, ac a recol. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædeceſſore noſtro approbati prætextu, necnon ſine gravi Pontificiæ noſtræ auctoritatis iniuria, Chriſtifidelium ſcandalo, ac ſalutis animarum detrimento, ſatis diu, multumque eludatur, aut ſaltem nimium retardetur:

Hinc eſt, quod Nos, ex commiſſæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, difficultates, tergiverſationes, ſubterfugia, & prætextus huiuſmodi penitus & omnino e medio tollere, ac reiicere, necnon Chriſtifidelium quieti, animarumque ſaluti, quantum Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, de eorumdem Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in ſupradicto Sinarum Imperio, aliiſque ei conterminis, ſive adiacentibus Regnis, ac Provinciis nunc & pro tempore quandocumque exiſtentibus ſub ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, eorum vero Officialibus, ac Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliiſque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apoſtolicis, qui Epiſcopi non ſint, eorumve Provicariis, necnon Miſſionariis tam ſæcularibus, quam cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Ieſu, Regularibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, tenore præſentium præcipimus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut reſponſa præinſerta, omniaque, & ſingula in eis contenta exacte, integre, abſolute, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervent; ac ab eis, quorum cura ad illos ſpectat, ſimiliter obſervari, quantum in ipſis eſt, curent, & faciant: neque illis, ſive ullo ex ſuperius expreſſis, ſive alio quovis titulo, cauſa, occaſione, colore, vel prætextu contravenire quoquo modo audeant, vel præſumant.

Præterea motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie ſtatuimus, & ſub eiſdem excommunicationis reſervatæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis ordinamus, ut omnes & ſinguli Eccleſiaſtici tam ſæculares, quam prædictorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Ieſu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, & Pro-

Digitized by Google

Provincias, ſive ab hac Sancta Sede, ſive etiam ab eorum Superioribus miſſi, & quandocumque in poſterum mittendi, cuiuſvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic exiſtant, vel in futurum extiterint, miſſi ſcilicet, ſtatim ac præſentes Litteræ eis innotuerint, mittendi vero, antequam ibidem aliquod Miſſionarii munus exercere incipiant, Iuramentum de fideliter, integre, ac inviolabiliter obſervando eiuſmodi Præcepto, ac Mandato noſtro, iuxta formulam in præſentium Litterarum calce annotandam, in manibus Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore exiſtentis, vel alterius ab illo deputati, ſive, eo deficiente, in manibus Epiſcoporum, vel Vicariorum Apoſtolicorum dictarum partium, in quorum reſpective iuriſdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, Regulares vero in manibus inſuper Superiorum ſuæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eiſdem partibus exiſtentium, præſtare omnino debeant, ac teneantur: ita ut ante præſtationem Iuramenti huiuſmodi, & ſubſcriptionem ſub eadem formula ab unoquoque, qui Iuramentum ipſum præſtiterint, propria manu faciendam, nullum Miſſionarii munus continuare, aut exercere, immo nec tamquam deputati ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis Locorum, aut tamquam ſimplices ſuæ Religionis Presbyteri, ſive alio quovis titulo, cauſa, ſeu privilegio, de quibus expreſſa, ſpecialis, & ſpecialiſſima eſſet facienda mentio, Chriſtifidelium Confeſſiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet adminiſtrare ullo modo valeant, nulliſque omnino facultatibus, ſive ſibi ſpeciatim, ſive ſuis reſpective Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Ieſu, huiuſmodi generaliter a Sede præfata conceſſis uti poſſint; ſed quoad eos, præter, & ultra ſuperius expreſſas pœnas, omnes & ſingulæ facultates prædictæ omnino ceſſent, nulliuſque roboris ſint, & eſſe cenſeantur.

Omnia autem Iuramenta huiuſmodi per quoſcumque Miſſionarios tam Sæculares, quam Regulares, in memoratorum ſive Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, ſicut præmittitur, præſtanda, poſtquam ſubſcriptione munita fuerint, vel ſaltem authentica illorum exempla per eoſdem Commiſſarium & Viſitatorem Apoſtolicum pro tempore exiſtentem, Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos, ad præfatam Congregationem Cardinalium, quanto citius fieri poterit, tranſmittantur.

Superiores vero Regulares cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Ieſu, illic nunc, & pro tempore exiſtentes, ſub eiſdem pœnis teneantur non ſolum idem Iuramentum in præfatorum ſive Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, iuxta modum ſupra præſcriptum, præſtare, eiuſque formulæ ſubſcribere; ſed etiam illius præſtationem a ſuis reſpective Subditis exigere, ac authentica ea ſuper re documenta quamprimum tranſmittere ad ſuos reſpective Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium ſtatim tradere debebunt.

Decernentes, eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari,

ri , infringi , invalidari , retractari , in controverſum vocari , aut ad terminos Iuris reduci , ſeu adverſus illas aperitionis oris , reſtitutionis in integrum , aliudve quodcumque Iuris , facti , vel gratiæ remedium intentari , vel impetrari , aut impetrato , ſeu etiam motu , ſcientia , & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo , vel emanato , quempiam in Iudicio , vel extra illud , uti , ſeu ſe iuvare ullo modo poſſe ; ſed ipſas præſentes Litteras ſemper firmas , validas , & efficaces exiſtere , & fore quibuſcumque Iuris , ſeu facti defectibus , qui adverſus illas , etiam quorumvis a Sede præfata conceſſorum privilegiorum prætextu , ad effectum impediendi , ſeu retardandi earum executionem , quovis modo , ſeu quavis ex cauſa opponi , ſeu obiici poſſent , minime refragantibus , ſuos plenarios , & integros effectus ſortiri , & obtinere ; eaſque propterea , omnibus & ſingulis quomodolibet allatis , ſeu afferendis impedimentis penitus & omnino reiectis , ac nequaquam attentis , ab illis , ad quos ſpectat , & pro tempore quandocumque ſpectabit , inviolabiliter & inconcuſſe obſervari ; ſicque , & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios , & Delegatos , etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , ac eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , etiam de Latere Legatos , & præfatæ Sedis Nuncios , alioſve quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes , & functuros , ſublata eis , & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi , & interpretandi facultate & auctoritate , iudicari , & definiri debere ; ac irritum & inane , ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis , & , quatenus opus ſit , noſtra , & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Iure quæſito non tollendo , aliiſque Apoſtolicis , ac in Univerſalibus , Provincialibuſque , & Synodalibus Conciliis editis generalibus , vel ſpecialibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus , necnon quorumcumque Ordinum , Congregationum , Inſtitutorum , & Societatum , etiam Ieſu , ac quarumvis Eccleſiarum , & aliis quibuslibet , etiam Iuramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis , Statutis , & conſuetudinibus , ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis , & immemorabilibus , Privilegiis quoque , Indultis , & Litteris Apoſtolicis , Ordinibus , Congregationibus , Inſtitutis , & Societatibus , etiam Ieſu , ac Eccleſiis prædictis , aliiſve quibuslibet perſonis , etiam quantumvis ſublimibus , & ſpecialiſſima mentione dignis a Sede prædicta ex quacumque cauſa , etiam per viam contractus , & remunerationis , ſub quibuſcumque verborum tenoribus , & formis , ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis , aliiſque efficacioribus , efficaciſſimis , & inſolitis clauſulis , irritantibuſque , & aliis decretis , etiam motu , ſcientia , & poteſtatis plenitudine ſimilibus , ſeu ad quarumcumque perſonarum , etiam Imperiali , Regali , aliave qualibet mundana , vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam , aut earum contemplatione , ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis , editis , factis , ac pluries iteratis , ac quantiſcumque vicibus approbatis , confirmatis , & innovatis . Quibus omnibus & ſingulis , etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis , eorumque totis tenoribus ſpecialis , ſpecifica , expreſſa , & individua , ac de verbo ad verbum , non autem per clauſulas generales idem importantes , mentio , ſeu quævis alia expreſſio habenda , aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret , tenores huiuſmodi , ac ſi de verbo ad verbum , nihil penitus omiſſo , & forma in illis tradita obſervata , exprimerentur , & inſererentur , præſentibus pro plene , & ſufficienter expreſſis , & inſertis habentes , illis alias in ſuo robore permanſuris , ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter , & expreſſe derogamus , & derogatum eſſe volumus , ceteriſque contrariis quibuſcumque .

Formula autem Iuramenti , ſicut præmittitur , præſtandi eſt , quæ ſequitur , videlicet : Ego N. Miſſionarius ad Sinas , vel ad Regnum N. , vel ad Provinciam N. a Sede Apoſtolica , vel a Su-

Digitized by Google

Superioribus meis, iuxta facultates eis a Sede Apoſtolica conceſſas, miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, & Cæremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. hac de re edita, qua præſentis Iuramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram eiuſdem Conſtitutionis lecturam optime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, abſolute, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictam Conſtitutionem impoſitis me ſubiectum agnoſco & declaro. Ita tactis Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & iuro. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

Ceterum volumus, & expreſse mandamus, ut eædem præſentes Litteræ, ſeu earum exempla, etiam impreſsa, notificentur, & intimentur omnibus & ſingulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Ieſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam ſuo, quam prædictorum eis reſpective Subditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas Litteras fideliter exequi & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis huiuſmodi in ſcriptis reddant: earum vero exempla prædicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos Subditos, ſeu inferiores in Sinis, aliiſque Regnis, & Provinciis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis eaſdem Litteras, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi. Quia vero difficile foret, Litteras huiuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem tam in Iudicio; quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Martii 1715. Pontificatus Noſtri Anno decimo quinto.

F. Oliverius.

XII. Per Conſtitutionem Apoſtolicam adeo ſolemnem, qua Clemens Papa XI. ſe huic controverſiæ finem dediſſe teſtatur, iuſtum & æquum videbatur, eos, qui Sanctæ Sedis auctoritatem ſe ſe quam maxime revereri profitentur, humili & obſequenti animo illius Iudicio ſemet omnino ſubiicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes & captioſi homines exactam eiuſdem Conſtitutionis obſervantiam ſe effugere poſſe putarunt, ea ratione, quod illa Præcepti titulum præfert, quaſi vero non indiſſolubilis Legis, ſed Præcepti mere Eccleſiaſtici vim haberet; tum etiam quod illam debilitatam exiſtimarent ex Permiſſionibus quibuſdam, quas ſuper iiſdem Sinenſibus Ritibus publicavit Carolus Ambroſius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commiſſarium & Viſitatorem Generalem Apoſtolicum in iis Regionibus ageret.

XIII. Nos igitur animadvertentes, prædictam Conſtitutionem Chriſtiani Cultus puritatem reſpicere, quem illa ab omni ſuperſtitionis labe immunem ſervare contendit, nullo modo ferre poſſumus, quemquam exiſtere, qui eidem repugnare temere audeat, aut contemnere, perinde ac ipſa ſupremam Apoſtolicæ Sedis deciſionem non contineret, & id, quo de agitur, non ad Religionem ſpectaret, ſed quid per ſe indifferens foret, aut quædam variabilis diſciplinæ ratio. Proinde auctoritate ab Omnipotenti Deo Nobis tradita uti volentes ad illam in ſuo robore omnino ſervandam, de auctoritatis eiuſdem plenitudine non modo eam approbamus & confirmamus, ſed etiam, quantum poſſumus, omnem vim & firmitatem ad illam magis, magiſque roborandam ac ſtabiliendam, adiicimus,

eam-

Digitized by Google

eamque in ſe plenam & omnimodam Apoſtolicæ Conſtitutionis auctoritatem habere dicimus & declaramus.

XIV. Permiſſiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Conſtitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a reſponſionibus quibuſdam, quas duo viri, qui iampridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæſita nonnulla dederunt, quæ ſuper eiuſdem Conſtitutionis Apoſtolicæ executione ac praxi Miſſionarii quidam propoſuerant. Reſponſiones itaque huiuſmodi una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis ſive approbantis, ſive aliquid de ſuo addentis indicio, transmiſſæ fuerunt ad præfatum Patriarcham Alexandrinum, eius animi inſtruendi cauſa, utque illis uteretur, prout circumſtantiæ rerum, ac temporis poſtularent: integro tamen remanente Apoſtolicæ Sedis Iure eas comprobandi, vel etiam revocandi, ſi quando conformes, aut repugnantes Conſtitutionis præfatæ decretis ullo modo compertæ forent.

XV. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingreſſus, in iis anguſtiis ſe poſitum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem reſponſiones, quas præmemorati duo Viri ad propoſita quæſita dederant, bene vero Permiſſiones octo, quæ ab illis fuerant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha in Paſtorali ſua Epiſtola inſertæ, cuius tenor eſt, uti ſequitur.

Carolus Ambroſius Mediobarbus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriacha Alexandrinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimiſque Regnis, & Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Generalis Apoſtolicus cum facultate Legati de Latere &c.

Omnibus Epiſcopis, Vicariis Apoſtolicis, ac Miſſionariis, qui in prædictis partibus degunt, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

XVI. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi a Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis omnibus, qui in hac Evangelica Vinea laborant, os ad os loqui. Deſideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos, ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ in invicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Verum, quia non ſapientiam huius ſæculi locuti fuimus, in timore & tremore multo fuimus apud vos, ſatiuſque duximus, ad ſedandam tempeſtatem adverſus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare proiicere, ut vos iactari ſinatis. Adiutor noſter nunc & erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam. Veritatem dicimus in Chriſto, non mentimur, teſtimonium Nobis perhibente conſcientia noſtra in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia Nobis magna eſt, & continuus dolor adhæret cordi noſtro, quod præſentes non potuerimus ſolari vos, ut fructum aliquem haberemus & in vobis, & in ceteris gentibus. At vero quod non licuit per præſentiam agere, ſaltem per epiſtolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo noſtro per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, qui Spiritu ſancto ferventes & fortes ſanctæ Sedis mandatis rationabile exhibetis miniſterium veſtrum iactantes cogitatum in eum, cui a Domino dictum eſt: Paſce oves meas: cui traditæ ſunt claves Domus David: ſi aperit, non eſt qui claudat: ſi claudit, non eſt qui aperiat. Quotquot eſtis macte animis, vigilate; ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, quia merces veſtra magna eſt in Cælis. Miniſterium veſtrum implete, attendite vobis, & doctrinæ. Lucernæ eſtote, non minus lucentes exemplo, ac zelo prædicationis ardentes. Si qui vero adhuc eſſent hæſitantes, & in opere non efficaces, obſecramus vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis perfecti in eodem ſenſu, &*

Digitized by Google

& in eadem ſententia. Non amplius invicem iudicemus. Unuſquiſque veſtrum pari humilitate, ac obedientia S. Sedis mandatis obſequatur, ut veſtra obedientia in omnem locum divulgetur. Non enim opus eſt, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ XI. mandata iam promulgata vobis innoteſcant, vimque habeant, ut abſque ulla tergiverſatione executioni mandentur. Nihil proinde innovamus: ſed relinquimus res, prout ſunt; hoc eſt, nullatenus Conſtitutionem ſuper Ritibus Sinicis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XI. die 19. Martii 1715. emanatam ſuſpendimus, aut, quæ in ea vetantur, permittimus. Ob aliqua tamen quibuſdam Miſſionariis circa quaſdam Cæremonias peragi conſuetas ſuborta dubia, ut quilibet in Vinea Domini ſtrenue, ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus, quæ permitti poterunt, quæ & ſeparatim unicuique ſecundum quæſita dediſſemus, niſi compertum Nobis eſſet, una cum incertis nuntiis iam diſſeminata proborum animos, & Chriſtifideles bonæ voluntatis non parum perturbaſſe. Omni igitur, quo poteritis, ſtudio ac diligentia curare debetis, ut gentium Cæremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtianis uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pie præſcripſit. Primo. Permittitur Chriſtianis Sinenſibus in ſuis privatis domibus uti Tabellis defunctorum inſcriptis ſolo nomine defuncti, appoſita ad latus declaratione debita, & omiſſa quacumque ſuperſtitione in earum conſtructione, nec non ſecluſo omni ſcandalo. *Secundo.* Permittuntur omnes Cæremoniæ Nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non ſint aut ſuperſtitioſæ, aut ſuſpectæ, ſed civiles. *Tertio.* Permittitur Confucii Cultus ille, qui civilis eſt, & etiam eiuſdem Tabellæ purgatæ & literis, & ſuperſtitioſa inſcriptione, & adiuncta declaratione debita, ſicuti permittitur ante eius Tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comeſtibilia &c. *Quarto.* Permittitur pro uſu, & expenſis funerum offerri candelas, odores, adiuncta in ſchedula debita declaratione. *Quinto.* Permittuntur reverentiæ genuflexionum, & proſtrationum erga Tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum. *Sexto.* Permittitur præparari menſas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis uſualibus circa, aut coram feretro, ubi ſit Tabella correcta, cum debita declaratione, & omiſſis ſuperſtitioſis, pro quadam honeſtate tantum, & pietate erga defunctos. *Septimo.* Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta *Ko teu* tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus. *Octavo.* Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, ſicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari poſſunt cibi, ut ſupra dictum eſt, adhibitis cautelis, ut in ſuperioribus. *Apoſtolici ergo viri Eccleſiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum ſuam ad aratrum, nec reſpiciant retro. Videte fratres vocationem veſtram: non enim auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur. Obſecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, ſolliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ne diutius agamus ſecundum poteſtatem, paterne vos commonere volumus per epiſtolam. Amabilem illum Patrem familias, qui exiit primo mane conducere Operarios in Vineam ſuam audite:* Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in Vineam meam. *Vocem Patris perpendite, & illam Iudicis timete. Ipſi vos probate: virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam miniſterio Verbi Dei functi recipietis mercedem, immarceſcibilem nimirum a Paſtorum Principe gloriæ coronam. Ne quis vos ſeducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci eius, qui miſit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, ſed unuſquiſque veſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Quicumque ſub diverſis prætextibus ceſſandum ſibi putat a miniſterio Miſſionarii, lædit animam ſuam, & de alienis æterno Iudici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima ſua, & pro alienis? Deus eſt vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, areſcent tamquam palmites; & collecti, & alligati in faſciculos ad com-*

Digitized by Google

comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Reſpicite Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſecus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit, niſi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te naſcantur fructus in ſempiternum. *Si aliqui palmites iamdiu converſi in amaritudinem, qui expectabantur, ut tandem facerent uvas, ſpinas ſuper ſpinas adiecifsent, væ, væ a die iræ, a die furoris, & indignationis Domini! Attendite ad verba, quæ mandat vobis per Servum ſuum Dominus adhuc miſericors. Revertimini ad Deum veſtrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit vos, & deſideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apoſtolico ſatisfeciſſe nos muneri iudicamus: non enim ſubterfugimus, quominus annuntiaremus omne conſilium Dei vobis, ut nullam excuſationem habeatis de peccatis veſtris. De cetero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.*

Cum vero ad promovendam in Neophitis debitam Decretis Apoſtolicis obedientiam, præſentium noſtrarum Litterarum notitiam iiſdem Neophitis minime neceſſariam eſſe, ſed ſatis eſſe eos in viam ſalutis dirigere iuxta Pontificiæ Conſtitutionis præſcripta, compertum ſit, ne quis eorum, ad quos præſentes Litteræ directæ ſunt, cuiuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis etiam Ieſu, præſentes Litteras, aut quæ in eis continentur (exceptis Permiſſionibus, quæ quidem caute, & ubi neceſſitas tantum, aut utilitas poſtulaverit, patefaciendæ erunt) ſive directe, ſive indirecte per ſe, vel per alium voce tenus, aut ſcripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui Miſſionarius non ſit, nota faciat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nonniſi a Nobis, aut a Summo Pontifice (præterquam in articulo mortis conſtitutus) abſolvi poſſit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis tenore præſentium vetamus, & in virtute ſanctæ obedientiæ prohibemus. Datum Macai in Palatio noſtræ Reſidentiæ die 4. Novembris anno 1721.

XVII. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in præallata Paſtorali mentem ſuam ſatis prudenter explicuiſſet, nimirum Paſtoralis huius ſuæ Epiſtolæ notitia opus non eſſe ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta venerationem, & obſervantiam, cum ſatis eſſet, ut iuxta Conſtitutionis Pontificiæ mandata in via ſalutis dirigerentur; præterea cum omnibus, & quibuſcumque interdictum voluiſſet, ſub pœna quoque excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis illam in Sinenſem, aut in Tartaricum ſermonem verteret, aut cuiquam, qui Miſſionarius non eſſet, eam palam faceret; de Permiſſionibus autem cum ſtatuiſſet, nonniſi caute, & ubi tantum utilitas, vel neceſſitas id poſtularet, eſſe evulgandas: profecto omnis, ad quem Paſtoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obſcure inferre debebat, quantis ille animi anguſtiis obſeſſus, & quam anceps, ac perplexus in Permiſſionibus huiuſmodi proponendis extitiſſet; adeo ut œconomia quadam uſus fuiſſet ad loci, & temporis circumſtantias prorſus neceſſaria: a qua putandum eſt eum receſſurum fuiſſe, ſi libertas ſibi data eſſet rem diſcutiendi cum Epiſcopis, aliiſque doctis Viris, qui nihil aliud, quam Chriſtiani cultus puritatem, & Apoſtolicæ Conſtitutionis obſervantiam ante oculos haberent. At Permiſſiones illæ contra expreſſam adeo Patriarchæ ipſius voluntatem evulgatæ; &, quod mirum, Pekini Epiſcopus per binas ſuas Paſtorales mandavit, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, univerſis Diœceſis ſuæ Miſſionariis, ut obſervarent, & obſervari præciperent Conſtitutionem, *Ex illa die*, iuxta Permiſſiones, quas ipſe contendebat, ad ea potiſſimum referri, quæ in præcitata Conſtitutione fuerant ſolemniter interdicta: præcepit inſuper, ut Chriſtifideles quater ſingulis annis in diebus omnium celeberrimis diſtincte inſtruerentur cum in iis, quæ Conſtitutione Apoſtolica prohibentur, tum in iis, quæ a Patriarchæ Alexandrini Paſtorali permittuntur.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Enimvero Clemens Papa XII. Prædeceſſor noſter tam audax Epiſcopi Pekinenſis factum æquo animo ferre haud potens, muneri ſuo maxime intereſſe iudicavit binas illas Epiſtolas damnare, ac penitus reprobare Apoſtolico Brevi, quod anno 1735. promulgavit: in quo ſibi, ac ſanctæ Sedi facultatem reſervavit declarandi Sinenſibus Chriſtianis mentem ſuam, & eiuſdem ſanctæ Sedis ſententiam in iis, aliiſque, quæ ad materiam huiuſmodi ſpectarent. Præfatum autem Breve eſt tenoris ſequentis.

CLEMENTIS PAPAE XII.

Revocatio, annullatio, & caſſatio duarum Epiſtolarum Paſtoralium bon. mem. Franciſci Epiſcopi Pekinen. nuper defuncti, die VI. Iulii, & die XXIII. Decembris MDCCXXXIII. circa Ritus Sinenſes editarum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apoſtolicæ ſollicitudinis Nobis divinitus commiſſæ ratio Nos admonet, ut ea, quæ Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationi, ac incrementis quacumque ratione obſiſtere poſſe dignoſcuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, recidere, ac e medio tollere ſtudeamus. Cum itaque, ſicut ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenit, occaſione binarum Epiſtolarum, quas Paſtorales vocant, bon. mem. Franciſci, dum viveret, Epiſcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6. Iulii, & 23. Decembris anni 1733. circa Ritus Sinenſes editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortæ fuerint diſſenſiones, quæ uberes fructus, quos Sancta Mater Eccleſia ex aſſiduo Operariorum in illam Agri Dominici partem miſſorum labore præſtolatur, impedire, aut morari poſſent; Nos, ut priſtina inter eos Miſſionarios pax, & animorum concordia, ſublatis quibuſvis diſſidiis, reſtituatur, de opportuno in præmiſſis remedio providere volentes, ac Epiſtolarum prædictarum tenores, & alia quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exacte ſpecificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, qui iuſſu noſtro Epiſtolas ipſas ſedulo ac diligenter examinarunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine binas memorati Franciſci Epiſcopi Pekinen. Epiſtolas Paſtorales præfatas, ac pœnas, & alia quæcumque in eis contenta, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, & irrita, nulliuſque prorſus roboris, & momenti eſſe, & perpetuo fore, tenore præſentium declaramus: & nihilominus ad maiorem cautelam, &, quatenus opus, illa omnia & ſingula motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie itidem perpetuo revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper haberi volumus: Nobis inſuper, & Apoſtolicæ Sedi reſervantes facultatem Chriſtifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi noſtram, & dictæ Sedis mentem poſt maturam itidem habitam deliberationem ſuper aliis rebus, quæ huiuſmodi materiam reſpiciunt: Decernentes ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, præſertim vero Archiepiſcopis, Epiſcopis, Vicariis, Pro-Vicariis, & Miſſionariis Apoſtolicis tam ſæcularibus, quam cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis etiam Ieſu, Regularibus in ſupradicto Sinarum Regno nunc, & pro tempore exiſtentibus, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſto-

ſto-

Digitized by Google

ſtolici Auditores, ac eiuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Septembris 1735. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

XIX. Id vero, quod idem Pontifex Clemens XII. ſibi, ac Sanctæ Sedi Chriſtianis Sinenſibus declarandum reſervavit, erat profecto materia Permiſſionum, de quibus certior iam factus fuerat, deque maxima inde ſecuta inter Miſſionarios diſſenſione, cum alii contenderent, Conſtitutionem, *Ex illa die*, omnem vim ſuam amittere, ſi Permiſſiones illæ in praxi conſiſtant; alii vero factis palam oſtenderent, Permiſſionum colore ſe ad prædictæ Conſtitutionis obſervantiam minime teneri, iuxta illa, quæ in ipſa Conſtitutione præſcribuntur. Itaque præfatus Prædeceſſor noſter, quo Chriſtianæ Religionis puritatem, quæ in iis Regionibus per exactam præmemoratæ Conſtitutionis obſervantiam ſervanda erat, aſſereret, & controverſiis iſtiuſmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permiſſionum negotium commiſit, ita ut a Theologis, tum etiam a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Sacræ Inquiſitioni Præpoſitis mature ſerioque diſcuteretur. Antequam vero ſupremam de illis ſententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes, & ſingulos, quotquot in Urbe exiſterent, Sinarum Miſſionarios, tum etiam complures Iuvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, & Chriſtianæ rei addiſcendæ cauſa venerant, ad examen ſuper his, ſervato iuris ordine, vocari iuſſit.

XX. Nos igitur Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inſiſtentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incenſi, ut tanti momenti opus, quod ipſe morte præoccupatus abſolvere minime potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permiſſiones illas, & quidem ſingulas, coram Nobis ſummo ſtudio, ac diligentia examinari curavimus: neque laborem noſtrum tantum, ſed Cardinalium quoque, & Sacræ Inquiſitionis Conſultorum doctrinam & conſilium exquiſivimus, ac tandem ſatis aperte compertum habemus, antedictas Permiſſiones numquam a Sancta Sede probatas, Apoſtolicæ Clementis Papæ XI. Conſtitutioni repugnare, atque adverſari, utpote quæ partim Cæremonias, Rituſque Sinenſes a prædicta Conſtitutione proſcriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant; partim regulis in ipſa traditis ad vitandum ſuperſtitionis periculum opponantur. Nolentes itaque, quemquam ad Conſtitutionem ipſam ſummo Chriſtianæ Religionis damno malitioſe evertendam Permiſſionibus eiuſmodi uti, definimus, ac declaramus, præfatas Permiſſiones ita eſſe habendas, ac ſi numquam extitiſſent, earumque praxim tamquam ſuperſtitioſam omnino damnamus & execramur. Itaque præſentis huius noſtræ Conſtitutionis perpetuo valituræ vi revocamus, reſcindimus, abrogamus, atque omni vigore & effectu vacuas eſſe volumus omnes illas, & ſingulas Permiſſiones; eaſque ſemper uti caſſas, irritas, invalidas, & nullius prorſus roboris, aut vigoris habendas eſſe dicimus ac pronuntiamus.

XXI. Præterea cum Clemens Papa XI. in Conſtitutione, *Ex illa die*, appoſuerit hæc verba: *Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint, quæ vere ſu-*

Digitized by Google

ſuperſtitioſa non ſint &c. Nos dicimus & declaramus ea verba, *Alia, ſi quæ ſint*, intelligenda eſſe de uſibus, & Cæremoniis diverſis ab illis, quas idem Pontifex Apoſtolica Conſtitutione iam interdixerat, & quas Nos pariter eadem auctoritate configimus, atque interdicimus, ne antedictis Permiſſionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus in poſterum locus pateat.

XXII. Diſtricte itaque prohibemus ne quis Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apoſtolicus, aut Miſſionarius tam Sæcularis, quam Regularis, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, etiam Societatis Ieſu, aliorumque, de quibus expreſſa, & individua mentio fieri debeat, Permiſſionibus prædictis ullo pacto uti valeat ſive publice, ſive privatim, ſive palam, ſive clam; neque audeat, vel præſumat Conſtitutionis paulo ante citata verba aliter, ac Nos ſupra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, motu quoque proprio, ac certa ſcientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, Conſtitutionis præſentis tenore, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & expreſſe mandamus omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Sinarum Imperio, aliiſque Regnis, & Provinciis ſive finitimis, ſive adiacentibus, nunc exiſtentibus, aut olim pro tempore futuris, ſub pœnis ſuſpenſionis a Pontificalium exercitio, & ab Eccleſiæ ingreſſu Interdicti; eorum vero Officialibus, & Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliiſque eorumdem Locorum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apoſtolicis, qui Epiſcopi non ſunt, tum etiam eorum Provicariis, & inſuper Miſſionariis univerſis tam Sæcularibus, quam Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, etiam Societatis Ieſu, ſub pœnis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, & ſuſpenſionis ab exercitio curæ animarum, tum etiam ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ abſque alia declaratione, demum excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non poſſint niſi a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolvi, præterquam in articulo mortis conſtituti, addita quoad Regulares etiam vocis activæ, & paſſivæ privationis pœna, præcipimus, & diſtricte mandamus, ut omnia & ſingula, quæ in hac noſtra Conſtitutione continentur, exacte, integre, abſolute, inviolabiliter, atque immobiliter non modo ipſi obſervent, ſed etiam omni conatu, ac ſtudio ea ipſa obſervari curent a ſingulis, & univerſis, qui quoquo modo ad eorum curam, & regimen ſpectant; nec colore, cauſa, occaſione, ſeu prætextu aliquo huic noſtræ Conſtitutioni ulla in parte contraire, aut adverſari audeant, vel præſumant. Præterea quoad Miſſionarios Regulares cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, ac Societatis quoque Ieſu, ſi quis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, abſolutam, inviolabilem, ſtrictamque obedientiam denegaverit iis, quæ a Nobis præſentis huius Conſtitutionis tenore ſtatuuntur, ac præcipiuntur; eorum Superioribus tam Provincialibus, quam Generalibus in virtute ſanctæ obedientiæ expreſſe mandamus, ut homines huiuſmodi contumaces, perditos, ac refractarios a Miſſionibus abſque ulla mora dimoveant, eoſque in Europam ſtatim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod ſi prædicti Superiores Provinciales, aut Generales huic noſtro præcepto minus obtemperaverint, aut in eo deſides fuerint, Nos contra ipſos quoque procedere non recuſabimus; atque inter cetera mittendi aliquem ex ipſorum Ordine in earum Regionum Miſſiones privilegio, ſeu facultate eos perpetuo privabimus.

XXIII. Poſtremo, ut hæc noſtra Conſtitutio in ſuo robore ſemper integra, ac firma maneat, volumus quoque, ut ad Formulam Iuramenti a Clemente Papa XI. in ſua Conſtitutione præſcriptam nonnulla adiiciantur, quæ maxime neceſſaria putavimus. Idcirco omnes, qui præfatæ Conſtitutionis vigore ſub pœnis in ea contentis Iuramentum præſtare debebunt,

bunt, in poſterum ſequenti Formula utentur, videlicet: *Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apoſtolica, vel a Superioribus meis, iuxta facultates eis a Sede Apoſtolica conceſſas, miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, ac Cæremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita, qua præſentis Iuramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram eiuſdem Conſtitutionis lecturam apprime noto, plene, ac fideliter parebo, illudque exacte, abſolute, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a Chriſtianis Sinenſibus, quorum ſpiritualem directionem quoquo modo me habere contigerit, ſimilis obedientia eidem præſtetur. Ac inſuper quantum in me eſt, numquam patiar, ut Ritus, & Cæremoniæ Sinenſes in Litteris Paſtoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die 4. Novembris 1721. permiſſæ, ac a Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PAPA XIV. damnatæ, ab eiſdem Chriſtianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictas Conſtitutiones impoſitis me ſubiectum agnoſco, & declaro. Ita tactis Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & iuro. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

XXIV. Confidimus igitur fore, ut Princeps Paſtorum Ieſus Chriſtus laboribus a Nobis, qui eius vices in terris gerimus, in hoc graviſſimo negotio diu impenſis benedicat, ut in ampliſſimis illis Regionibus Evangelica lux clare, nitideque effulgeat, ac præpotenti manu ſua ſic pia noſtra conſilia promoveat, ut Regionum earumdem Paſtores intelligant, planeque ſibi perſuadeant obligationem, qua ipſi tenentur vocem noſtram audire, & ſequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum ſublatum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum Decretorum obſervantiam infidelium converſio retardetur, Nam hæc a Divina Gratia ſperari potiſſimum debet, quæ quidem ab eorum miniſterio longe non aberit, ſi Chriſtianæ Religionis veritatem impavide prædicaverint, atque ea puritate, qua ipſis ab Apoſtolica hac ſancta Sede tradita eſt, parati quoque ad eam propugnandam ſanguinem effundere, exemplo Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Chriſtianæ Fidei Clariſſimorum Propugnatorum, quorum ſanguis tantum abſuit, ut Evangelii curſum interciperet, aut retarderet, ut potius Vineam Domini florentem magis, & fidelium animarum copioſiorem effecerit. Nos quidem pro viribus noſtris Deum obſecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem, & Apoſtolici zeli robur concedat. Verum ad eorum memoriam deducimus, ut, quando ad Sacras Miſſiones deſtinantur, ſe tamquam veros Ieſu Chriſti diſcipulos cogitent, & ab eodem ſe miſſos fuiſſe, non ad gaudia temporalia, ſed ad magna certamina, non ad honores, ſed ad deſpectiones, non ad otium, ſed ad labores, non ad requiem, ſed ad afferendum fructum multum in patientia.

Volumus autem ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus Litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, innovationis, revocationis, reſciſſionis, abolitionis, caſſationis, annullationis, damnationis, ac ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem quinto Idus Iulii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

P.Card.Pro-Datar. D.Card.Paſſioneus.

Viſa de Curia N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno

Digitized by Google

Anno à Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, die vero nono Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini BENEDICTI Divina Providentia PAPAE XIV. Anno ſecundo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Amadeum Apoſt. Curſ.

Nicolaus Capelli Mag. Curſ.

CAPUT XVII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI BENEDICTI PAPAE XIV. CONSTITUTIO

Super Ritibus, Cæremoniis, Uſibus, & Conſuetudinibus in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Indiarum Orientalium obſervandis, ſeu vitandis, permittendis, aut abolendis,

Cum opportunis Declarationibus, Ordinationibus, & Præceptis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

I. OMnium ſollicitudinum, quæ demandatum Nobis, Divino prorſus conſilio, nulloque merito noſtro, ſupremi, univerſaliſque Paſtoris munus graviſſimum præter modum, formidandumque conſtituunt, potiſſima ſane, quæque magis animum noſtrum exſtimulat, Noſque perpetuo trepidantes, & anxios habet, ea eſt, ut concreditum Nobis Fidei depoſitum, integrum, illibatumque ſervemus; ideoque omne ſtudium noſtrum, operamque in id conſeramus, ut late diffluentes ſuper faciem Terræ cæleſtis doctrinæ latices nullo aut corruptelæ luto, aut erroris inficiantur veneno, dumque Evangelica lux undequaque diffunditur, nulla forte Gentilitatis ſuperſtitione obumbretur; atque ut ii, quos e poteſtate tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen ſuum vocavit miſericors Deus, in ſpemque evexit æternæ ſalutis, & hereditatis, corde credentes ad iuſtitiam, operibuſque quod credunt comprobantes, & myſtici Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, digna ſe membra exhibentes, id ipſum dicant, ut Apoſtolus exoptabat ardenter, & ſint perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Hinc cum primum Altiſſimo placuit humilitatem noſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem evehere, nulli umquam labori parcere decrevimus, quem non ſolum ad propagandam in omnem Terram Fidei, & ſalutis ſcientiam, ſed etiam ad unitatem ſpiritus, & doctrinæ inter Fideles ubique fovendam, & confirmandam, vel, ſicubi opus eſſet, reconciliandam, & ſtabiliendam, opitulante Deo, proficuum, & neceſſarium fore deprehenderemus.

II. Verum quum eam ob cauſam ad extremas uſque Orbis Terræ Plagas mentis noſtræ obtutus dirigeremus, eoſque peculiariter figeremus in novella illa germina Chriſtianitatis, quæ, Divina irrorante gratia, in novis Eccleſiis Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dudum pullularunt, non parvam Nobis inde laborum, atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenſeremus quantum, & quam diu Apoſtolica Prædeceſſorum Noſtrum deſudaſſet induſtria, ut ex recens coaleſcentibus prædictorum Regnorum Eccleſiis, vanarum obſervationum, rituumque a Chriſtiana Religione abhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controverſias inter ſacros ipſos Regionum illarum Operarios in re tam gravi exortas, &, quod magis dolen- dum

dum erat, inimici hominis opera, noſtris adhuc temporibus perſtantes, componerent, atque eliminarent. Attamen fiduciam noſtram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter, ſuaviterque inflectit; potiſſimum vero quum, delatis ad Nos argumentis filialis obedientiæ, qua plerique illarum Partium Miſſionarii ſuprema huius Apoſtolicæ Sedis Decreta ſe excipere profeſſi ſunt, Nobis expoſitum fuit, ad omnes demum iis de rebus controverſias ſedandas, ac prædictarum Eccleſiarum ſtatum componendum, atque firmandum, nil aliud jam reliquum eſſe, quam ut ad nonnulla poſtulata, quæ ex parte aliquorum Operariorum huiuſmodi Nobis proponebantur, congruæ reſolutiones, & reſponſiones Apoſtolica auctoritate prodirent; magnam in ſpem erecti ſumus, fore ut, ſublatis per opportuna reſcripta propoſitis dubitationibus, ac finitivis demum noſtris, & huius Apoſtolicæ Sedis mandatis, atque præceptis editis, ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis, moleſtiſque diſſenſionibus, quæ Prædicationis Evangelicæ in prædictis Regnis olim diſſeminatæ fructum late inficientes, ipſaſque novarum Eccleſiarum ſoboles vehementi diſcordiarum turbine agitantes, eo rem adduxerant, ut tot Verbi Dei præcones eximii ſine cauſa adhuc laboraſſe, largoſque ſudores, & ſanguinem ipſum fruſtra effudiſſe viderentur.

III. Ut enim multa prætereamus, quæ retroactis temporibus hac in re acciderunt; graviores, quas innuimus, controverſiæ hoc ipſo ineunte ſæculo erupperunt, ſeu potius renovatæ fuerunt, quum a fel. record. Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. miſſus, ad Oram Coromandeli appulit bo. me. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus, cum poteſtate Legati a Latere in Indiis Orientalibus Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus, deinde huius S.R.E. Cardinalis Turnonius nuncupatus. Is enim, eo, cum appuliſſet, ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab aliquibus Miſſionariis obſervabantur, vel permittebantur, ab aliis vero tamquam Chriſtianæ pietatis ſpiritui minime conformes reiiciebantur, unde diſcordiarum, & funeſtiſſimarum diſputationum ſemina, exploratis ea qua par erat diligentia factis, & circumſtantiis, e re Chriſtiana eſſe, ſuique Officii partes exigere iudicavit, plures huiuſmodi cæremonias gravi interdicto proſcribere, atque damnare, latoque Edicto, ſeu Decreto certam Miſſionariis normam præſcribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti ſervarent, ut Divini Verbi ſemen, præciſis lolio, & vepribus, altas agere radices, & feliciſſime poſſet propagari. Quod quidem a ſe editum Decretum a Miſſionum illarum Provincialibus, & Superioribus ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, a ceteris vero Subditis Miſſionariis ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ, inviolabiliter obſervari, & executioni mandari præcepit, donec aliter Apoſtolica Sedes provideret. Exemplum autem Decreti eiuſmodi eſt, videlicet.

IV. *Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctiſſimi D. N. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Prælatus Domeſticus, eius Pontificio Solio Aſſiſtens, necnon Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem Conſultor, ac in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finitimiſque Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus cum facultate Legati de Latere &c.*

Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apoſtolici Viſitatoris munere nobis, licet tanto oneri imparibus, iniuncto, ea ſane eſt præcipua, cum nos huc miſſos eſſe conſideramus ad expurgandum Dominicum agrum a zizaniis novella Chriſti germina ſuffocantibus, & de alienis peccatis rationem eſſe reddituros, qui æternam Dei ultionem pro noſtris numquam ſatis expiandis iure formidamus. Quamobrem ſtatim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis noſtræ oculos per vaſtiſſimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum, Miſſionum neceſſitates undique inquirere curavimus, ut iiſdem pro viri-

viribus de opportuno remedio proſpiceremus. Et quidem merito inter primas noſtræ ſollicitudini occurrerunt novæ Domini vineæ in Regnis Madurenſi, & Mayſſur, recentiuſque Carnatenſi iiſdem fere legibus, parique labore ab Evangelicis Societatis Ieſu Operariis Luſitanis, & Gallis plantatæ, ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium perſecutiones, ac inter tot vitæ aſperitates virentes germinant Evangelii palmites, aſſiduis Miſſionariorum ſudoribus irrigati, illuc ſane fuiſſemus, non minus laboris, quam gaudii in Chriſto Ieſu participes eſſe vehementer cupientes, niſi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuiſſet. Quod autem per nos ipſos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos, & S. Sedem Apoſtolicam obſequium a Patribus Venant o Bouchet Carnatenſis Miſſionis Superiore, & Carolo Michaele Bartoldo Madurenſe Miſſionario, viris doctrina, & propagandæ Fidei zelo præſtantibus, opportune ſuppeditavit. Enim vero cum ab illis in moribus, lingua, & Religione iſtarum Regionum ex longa in his vitæ conſuetudine apprime verſatis plura certius cognoverimus, quæ eoſdem palmites enerves reddant, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam viti, quæ eſt Chriſtus; in multo experimento tribulationis abundantia gaudii noſtri fuit. Rebus itaque maturo examini ſuppoſitis, dictiſque Patribus oretenus, ac in ſcriptis fuſe auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, ſpiritualique Chriſtianorum proventui ſalubriter in Domino conſulamus, utque fiat oblatio Gentilium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto, ad præſens Decretum auctoritate Apoſtolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

Et a Sacramentorum adminiſtratione exordium ſumentes, diſtricte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis cuiuſcumque ſexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſufflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, ac ob recondita in his ſacris cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis myſteria, ſancte, & inviolabiliter cuſtodivit; Decreto Sanctæ Univerſalis Romanæ Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diverſas rationes, & circumſtantias, minime obſtante.

Item præcipimus, ut iuxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſemper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano deſcripti, omnino interdictis nominibus Idolorum, vel falſæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti ipſi antea appellari conſueverant, antequam eſſent per Baptiſmum Divinæ Gratiæ renati. Nec Parochis, ſeu Miſſionariis ſub quovis prætextu liceat, Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per tranſlata immutare, nec ea alio idiomate explicare, niſi Latino, vel ſaltem Indico, quatenus voces Indicæ Religionis latinæ ſignificationi liquido, & ad amuſſim reſpondeant.

Et quia audivimus, Baptiſmum Infantium ex Chriſtianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria ſæpe ſæpius diu protrahi, non ſine maximo dictorum infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri poſſit, attentis circumſtantiis, Genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant ſacro fonte abluendos.

Præterea cum moris huius regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriori ætate ex Genitorum conſenſu, matrimonium indiſſolubile de præſenti contrahant per impoſitionem Tally, ſeu aureæ teſſeræ nuptialis, uxoris collo penſilis; Miſſionariis mandamus, ne huiuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant, nec Sponſos ſic coniunctos cohabitare ſinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum conſenſu, in faciem Eccleſiæ, iuxta formam a Sacro Concilio Tridentino præſcriptam, verum, & Canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Tally præſefert imaginem, licet informem Pulleyaris, *ſive* Pyllaiaris *Idoli nuptialibus cæ-*

Digitized by Google

remoniis præpoſiti: cumque dedeceat Chriſtianas mulieres talem effigiem collo deferre in ſignum matrimonii; diſtricte prohibemus, ne in poſterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Tally vel Sanctiſſimæ Crucis, vel Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quavis religioſa imagine ornato: & cum ſuperſtitione non careat funiculus centum & octo filis compoſitus, & croceo ſucco delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt; prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

Cæremoniæ etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot ſunt, tantaque ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non poſſet, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe ſcateant, & difficillimum ſit eas a ſuperſtitioſis expurgare. At vero ut faciliori converſionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri poteſt, in Domino indulgeamus, Miſſionariis & præcipue Miſſionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo ſuperſtitioſa omnia a dictis cæremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat, & ſignanter præter eas, quas audivimus iam ſtatutas in hac materia ab iiſdem Miſſionariis reformationes, ramus arboris Areſciomara omnino auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi præſcripta qualitas, varietur: circuli ſuper caput ſponſorum ad tollenda maleficia, omittantur; & quod de ferculis diximus, de luteis vaſis ibidem adhiberi ſolitis a nobis dictum & prohibitum intelligatur: fructus etiam vulgo dictus Cocco*, ex cuius fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Chriſtianorum nuptiis reiiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab huiuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt alieni.*

Nullus rite, & ſufficienter diſpoſitus arceatur a Sacramento pœnitentiæ, ad peccatorum remiſſionem, tamquam inſtrumento divinæ Miſericordiæ, a Chriſto Domino inſtituto, & ſignanter mulieres menſtruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis iuxta morem Gentilium, cum hæc Sacramentalis vera animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda a Chriſtifidelibus, eorumque Paſtoribus; quibus præterea non liceat nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec per alios quoſcumque, dictis mulieribus prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium, durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore. Dedecet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtatem prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, ac inverecunde publicare, iiſque, Ethnicorum more, & ritu, in eius domum collectis, ſuper re tam ſordida feſtum inſtituere. Quocirca huiuſmodi celebritates, & ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, & abolemus; Miſſionariiſque iniungimus, ut non ſolum eas, verum etiam Genitores moneant, quam diſſona ſit Virginei pudoris legibus huiuſmodi obſcæna conſuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

Ferre pariter non poſſumus, quod a Medicis ſpiritualibus pro animarum ſalute ea caritatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles, nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ, pro corporis ſalute præſtare non dedignantur Infirmis etiam abiectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareas*. Quapropter diſtricte mandamus Miſſionariis, ut quantum in ipſis erit, nemini e Chriſtianis ægrotis, quantumvis* Pareas*, & vilioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda relinquatur in infirmitate copia Confeſſarii; & ne, ingraveſcentibus morbis, cum graviſſimo vitæ temporalis periculo, æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne Infirmos huiuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultius domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitæ diſcrimi-*

ne

Digitized by Google

ne conſtitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, abſque perſonarum, aut ſexus acceptione, expreſſe damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus etiam, Chriſtianos tympanorum pulſatores, Tibicines, aut alterius cuiuſcumque muſici inſtrumenti ſonatores ad Idolorum feſtivitates, & ſacrificia accerſiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſervitutis ſpeciem erga publicum ab ipſis contractæ per huiuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſionariis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere: quocirca conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi huiuſmodi Chriſtifideles a dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne impoſterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occaſione Sacrificiorum, tum quarumcumque ſolemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum, ſonare, aut canere, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis Belial inſervire. Ideoque Miſſionarii non ſolum eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem: Romanæ Sedis Antiſtes: *ad petitionem Patrum Societatis Ieſu editam, qua indigenis Chriſti-fidelibus lavacra non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & a naturalibus ſordibus mundandi, ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi ſolent, æque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ad effectum, ut exiſtimentur Sanias, ſeu Brachmanes, præ ceteris dediti huiuſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim ſtatutis eorum horis, & ante, vel immediate poſt quamcumque ſacram functionem.*

Cineres itidem ex Vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam a Rutren inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere, ſive alia quæcumque ſigna albi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus. Mandantes, ut Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſe ſerventur tempore, ac modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet feria quarta Cinerum, & non alias.

Et demum quia ex librorum de falſa religione, & de rebus obſcænis, ſuperſtitioſiſque tractantium lectura venenum ut plurimum ſerpere ſolet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, pro Indorum Chriſtifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſtitutione compoſuerunt; iiſdem Chriſtifidelibus expreſſe interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, niſi prius habita licentia Parochi, ſeu Miſſionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros (ſi qui forte ſunt) noxia ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Chriſtianorum uſu ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

Ea igitur univerſa, & ſingula auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis damnamus, ac diſtrictiori, quo poſſumus, modo prohibemus. Mandantes Patri Provinciali Provinciæ Malabaricæ, ceteriſque Superioribus Societatis Ieſu in Indiis Orientalibus, ut hoc noſtrum Decretum notificent ſingulis Miſſionariis, ſive aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus ſibi ſubiectis, illudque perpetuo, & inviolabiliter exequi faciant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoad Pro-

vinciales, & Superiores, & ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ quoad Subditos contrafacientes, ſeu aliter permittentes. Atque ita decernimus, & mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apoſtolica Sede, vel a nobis eiuſdem auctoritate proviſum, inviolabiliter ſervari, non obſtantibus quibuſcumque.

Et ne ex his, quæ expreſſe præcepta, vel prohibita a nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari ſolitis in iſtis Miſſionibus, noſtrum aſſenſum, ſeu approbationem; (cum plura forſan reformatione digna noſtram cognitionem effugerint, & alia maturius examen poſtulantia indeciſa remanſerint) hanc interpretationem omnino reiicimus, & menti noſtræ eſſe contrariam declaramus. Volumus autem iuſtis de cauſis, ut hoc noſtrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur poſt illius traditionem a noſtro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis Ieſu in Indiis, cui propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ onus iniungimus, quatuor ſimilia exemplaria tranſmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Malabaricæ, ac ad Patres Superiores Miſſionum Madurenſis, & Mayſſur, & Carnatenſis, quibus poſt bimeſtre, & reliquis Miſſionariis poſt trimeſtre a die conſignationis faciendæ dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur. Datum Pudicherii in Sancta Viſitatione Apoſtolica hac die 23. Iunii 1704., & publicatum die 8. Iulii eiuſdem anni 1704. per traditionem factam coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino per me Cancellarium infraſcriptum Rev. Patri Guidoni Tachard Patrum Gallorum Societatis Ieſu in Indiis Orientalibus Superiori, præſentibus RR. Patribus Franciſco Laines, Superiore Miſſionis Madurenſis, ac Venantio Bouchet Superiore Miſſionis Carnatenſis.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Viſitator Apoſtolicus.

Andreas Candela S. Viſitationis Apoſtolicæ Cancellarius.

V. Quoniam autem de re maxima, eaque graviſſima agebatur, idem Antiochenus Patriarcha Litteris ſuis totam rei geſtæ ſeriem Apoſtolicæ Sedi exactiſſime renuntiavit, latumque ab ſe Decretum ſupremo illius iudicio ſubiecit. Quibus ad Urbem allatis Litteris, idem Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI. ſupradictum Vicarii Apoſtolici Decretum rite perpenſum, atque etiam in Congregatione S. Officii diligenti examini ſubiectum, in omnibus ſervandum, & exequendum eſſe ſtatuit, ea tamen addita clauſula: *Donec aliter a Sede Apoſtolica proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in huiuſmodi Decreto afferendum habuerint.* Ea Pontificis in Congregatione Sancti Officii reſolutio ſequentis eſt tenoris, videlicet:

Feria V. Die VII. Ianuarii 1706.

VI. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. Clemente divina Providentia Papa XI., ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter relato tenore Decreti, editi Pudicherii die 23. Iunii 1704. a D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico in Imperio Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon litterarum indeſcriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempe die 9. Iulii dicti anni 1704. ad præfatos Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales, ac die 10. eiuſdem menſis ad R. P. D. Aſſeſſorem, diſerte ſuper iiſdem de more locutus fuit. Auditis deinde Votis præfatorum DD. Cardinalium, dixit, reſcribendum eſſe D. Patriarchæ, commendando illius prudentiam, ac zelum, & quod exacte obſervari debeant ea omnia, quæ in Decreto ſupradicto fuerunt ab ipſo præſcripta, donec aliter a Sede Apoſtolica proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in huiuſmodi Decreto afferendum habuerint.

Iuſ-

Digitized by Google

Iuſſit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Conſultorem Ioannem Damaſcenum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium reaſſumantur ea omnia, quæ circa nonnullos ritus, ut aſſeritur, ſuperſtitioſos Chriſtianis Malabaris in Indiis Orientalibus a quibuſdam Miſſionariis, ut prætenditur, permiſſos, iampridem ad eamdem Apoſtolicam Sedem delata fuerunt a Fratre Franciſco Maria Turonenſi Ordinis Minorum eiuſdem Sancti Franciſci Cappuccinorum Miſſionario illarum partium, ad hoc, ut idem P. Conſultor de iis, quæ ſive a ſan. mem. Gregorio XV. in ſuis litteris die 31. Ianuarii 1623. in forma Brevis deſuper expeditis, ſive ab eodem Domino Patriarcha in ſuo Decreto prædicto expreſſe damnata, vel prohibita non fuerint, conficiat Summarium, ſuper quo diſcuti, ac decerni valeat quid ſit agendum.

Quo vero ad quæſtionem de quibuſdam ignobilibus, ac infimæ ſortis hominibus, qui in eiſdem Regionibus vocantur Pareas, *& a Nobilibus tamquam infames, & damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod ſeparatim examinari debeat.*

VII. Verum hanc providentiam, uberesque, quos inde ſpes erat proventuros, fructus fruſtratus eſt falſus rumor, qui paucos poſt annos per Indias increbuit, ipſum nempe Clementem XI. Prædeceſſorem, & relatum Patriarchæ Decretum revocaviſſe, & nonnullas ex iis cæremoniis adprobaſſe, quas ille tamquam ſuperſtitioſas, minimeque ferendas proſcripſerat. Cui falſo rumori curſum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI., utque omnibus manifeſta redderet animi ſui ſenſa, atque impugnatoribus Decretorum a Patriarcha prædicto editorum omne penitus effugium adimeret, quo a præſtanda eiſdem Decretis debita obedientia ſe ſubtrahere quoquo modo poſſent, die prima Septembris anni MDCCXII. extrahi ex Tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod prædicta die VII. Ianuarii anni MDCCVI. emanaverat, & ſuperius tranſcriptum eſt, illudque Epiſcopo Meliapurenſi tranſmitti iuſſit, ut ex eo & is probe noſceret, & aliis etiam Epiſcopis, & Miſſionariis earum Regionum palam faceret, quid eo uſque de Patriarchæ Antiocheni Decreto Apoſtolica Sede iudicaſſet. Ac ne ullo modo Pontificiæ mentis Oraculum in dubium poſſet revocari, Decreti exemplo iungendas, alligandaſque voluit Litteras Apoſtolicas in forma Brevis, ut ſequitur.

VIII. *Venerabilis Frater &c. Non ſine gravi animi noſtri moleſtia iſtis in partibus evulgatum fuiſſe audivimus, quod præſcripta in quodam Decreto die 23. Iunii 1704. Pudicherii edito a bon. mem. Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinenſis Imperii oras traſmigraturus acceſſit, a nobis reſciſſa, & abrogata, ac ſimul Cæremoniæ, & Ritus, qui eodem Decreto ſuperſtitionis labe infecti declarantur, vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac permiſſi fuerint. Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti momenti non modo Fraternitati tuæ, verum etiam, te curante, ceteris iſtarum Partium Antiſtitibus, ac Miſſionariis aperte veritas innoteſcat; tibi coniuncta folia a Notario Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſubſcripta, ac eiuſdem Inquiſitionis ſigno roborata, mittenda duximus, ex quibus abunde, ac luculenter intelliges, quænam eiuſmodi in rebus hactenus fuerit, & adhuc ſit noſtra mens, donec a Nobis, & Apoſtolica Sede aliter decernatur. Quod ſupereſt, Paſtorum Principem enixe rogamus, ut in arduis Paſtoralis Officii curis cæleſti ope ſua tibi iugiter adeſſe velit. Et Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 17. Septembris anni 1712. Pontificatus noſtri anno duodecimo.*

IX. Quoniam autem unus, & alter annus elapſus iam erat, nec dum conſtiterat, S. Officii Decretum, Pontificiaſque Litteras Meliapurenſi Epiſcopo redditas fuiſſe, idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpoſitorum novum Decreti, Litterarumque exemplum Epiſcopo Claudiopolitano in Cucichenſi Provincia Apoſtolico Vicario die XXIV. Iulii anno MDCCXIV. tranſmitti curavit, ipſique

Pontificio nomine mandavit, ut ſi forte priores Litteræ deperiiſſent, aliave de cauſa Decreti promulgatio ſecuta non eſſet, caveret ipſe diligenter, ut poſteriores hæ ſaltem Meliapurenſi Epiſcopo iuridice redderentur, eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præſtare aut reluctante, aut differente, idem ipſe Claudiopolitanus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis iudicium, nulla interpoſita mora, executioni mandaret.

X. Cum tamen Patriarchæ Antiocheni Viſitatoris, & Commiſſarii Decretum confirmatum quidem fuiſſet, ſed ea addita reſervatione : *Donec aliter a Sede Apoſtolica proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in huiuſmodi Decreto afferendum habuerint :* haud difficilem ſe præbuit Clemens XI. audiendis Miſſionariis, qui poſt Decreti confirmationem, aliiſque temporibus, Romam venerant, eorumque preces benigne excepit, quibus enixe petebant, ut cenſurarum, quæ in eo Decreto continebantur, ſuſpenſionem, unaque ſimul moderationem, aut ipſiuſmet Decreti interpretationem concederet: utque res maturius expediretur, auditis iam non ſemel Miſſionariis prædictis, Nobis in minoribus agentibus, Sanctæque Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris munus obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitus cognoſceremus, atque collectis, quæ ex utraque Parte afferebantur, rationum momentis, de illa ad S. Officii Congregationem pleniſſime referremus. Hinc productis ex una Parte a Decreti impugnatoribus facti, iuriſque non exiguæ molis voluminibus, proditiſque antiquis, & recentibus documentis, quibus vetitas Decreto obſervantias ſuperſtitione vacare, omnique labe carere conabantur oſtendere : exhibitiſque ex alia, quæ Decreto favebant, rationibus multiplicibus; plenam inde hauſimus cauſæ totius cognitionem, eoque res, quod ad Nos attinebat, adducta erat, ut poſſemus iam de ea exacte referre. Verum Clemente XI. vita functo, eius Succeſſor fel. pariter record. Innocentius Papa XIII. huic cauſæ cognoſcendæ peculiarem Congregationem ex lectiſſimis conflatam Viris non minus integritate, quam prudentia, doctrinaque præſtantibus (quos inter Nos etiam, etſi prædictis qualitatibus minime prædi- ti, adſcripti fuimus) deputavit. Qui ſelecti Viri ſæpius, per duos, & amplius annos, inter ſe convenientes, communicatis conſiliis, longa rerum indagine, & exquiſita adhibita diligentia, articulatim rem totam diſcuſſerunt, Partibus tam voce, quam ſcripto iterum, ac ſæpius auditis. Cum autem eo res perveniſſet, Innocentio XIII. e vivis ſublato, ad Petri Cathedram evectus eſt ſan. mem. Benedictus Papa XIII., qui eorum omnium, quæ in hac cauſa geſta fuerant, certior apprime factus, nec minori flagrans deſiderio eam ad optatum finem perducendi, ſupradictam Congregationem pro eiuſdem cauſæ recto, expeditoque curſu ab Innocentio Deceſſore inſtitutam confirmavit, atque inceptum examen perſequi iuſſit; eaque non multo poſt examini finem impoſuit.

XI. His ita peractis, idem prælaudatus Pontifex Benedictus XIII. cauſa ad ſe avocata, Apoſtolicas Litteras in forma Brevis, anno MDCCXXVII. exeunte ad univerſos Epiſcopos, & Miſſionarios Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dedit, quibus prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Turnonii Decretum confirmavit, obſervandumque præcepit. Litteræ ſunt huiuſmodi, videlicet.

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

XII. *Ad aures noſtras pervenit, vocationem Gentium, Eccleſiæque incrementa, propter ſubortas inter Operarios Evangelicæ Meſſis controverſias, magnis iſtbic difficultatibus laborare. Quæ quidem eo gravio-*

Digitized by Google

volorem nobis dolorem attulerunt, quo remedia ſalubriter alias adhibita diutius a nonnullis repudiari intelleximus. Iam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum poteſtate Legati de latere Apoſtolicum Viſitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem, pleraque ad gliſcentes lites componendas, explicandaſque difficultates ſapienter præſcripta fuerant, decreto condito Pudicherii in Sacra Viſitatione Apoſtolica die 23. menſis Iunii anni MDCCIV. die vero octava Iulii eiuſdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquieſcentibus, de mente fel. record. Clementis XI. prædeceſſoris noſtri diverſa opinantibus, & evulgantibus, idem Prædeceſſor noſter, datis ad Ven. fratrem Epiſcopum Meliapurenſem litteris die XVII. *menſis Septembris anni MDCCXII. ſuam de ſervandis decretis mentem opportune declaravit. Ut igitur noſtræ quoque ſollicitudinis partes ad controverſias avertendas, & ſalutem gentium concordibus ſtudiis facilius a Vobis procurandam adhibeamus; præſertim ne quis ex ſilentio noſtro detractum aliquid eſſe ſuſpicetur mandatis, & declarationibus antedictis; laudati Anteceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, decreta eiuſdem Patriarchæ Antiocheni noſtra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam, & obſervantiam ſimiliter mandamus, & requirimus. Decretum quoque de Sacramentis adminiſtrandis moribundis hominibus infimæ conditionis, quos* Pareas *appellant, ulteriori dilatione remota, pariter ſervari, & impleri præcipimus. Veſtrum autem erit, ut mandata per Anteceſſorem noſtrum, & per Nos ipſos Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, in omnibus confirmata, impigre, & obſequenter facientes opus Dei, quod tanta cum animi alacritate ſuſcepiſtis, rite, unanimiter, ſtudioſeque perficiatis. Ac vobis, venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.*

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. *Decembris MDCCXXVII. Pontificatus noſtri anno* IV.

XIII. Tantum vero abfuit, ut qui pro Ritibus eo Decreto damnatis pugnabant, huic novæ eiuſdem Decreti confirmationi acquieſcerent, quin potius anno MDCCXXXII. Prædeceſſori noſtro Clementi Papæ XII. in Benedicti locum ſubrogato declaraverint, ſe nihil de nova confirmatione audiviſſe, neque aliquid, quod ad eam ſpectaret, Epiſcopis, & Miſſionariis Indiarum fuiſſe legitime denuntiatum; ideoque enixis precibus ab eo poſtulaverint, ut, non obſtante Benedicti XIII. diſpoſitione, dignaretur hanc eamdem cauſam denuo S. Officii Congregationis examini, & cognitioni ſubiicere. Et quamquam, aliis earum Partium Miſſionariis cauſam finitam eſſe, & in rem iudicatam abiiſſe reputantibus, ſeu excipientibus, non deeſſent, qui poſtulatis haud annuendum eſſe crederent, iiſque adverſarentur; attamen idem Pontifex Clemens XII., ſupremum tandem acerrimis, pernicioſiſque diſſidiis finem fieri peroptans, ſupradictorum preces admittendas exiſtimavit, declaravitque in cauſa poſſe procedi. Quare totius materiæ inſtaurata diſceptatione, & per duos fere annos continuata, documentis certis, & neceſſariis ex utraque Parte productis, factaque præſertim Decreti impugnatoribus ampliſſima facultate afferendi quidquid in controverſum quemque Articulum deducendum, allegandumque e re ſua iudicarent; poſt plures Congregationes habitas in Conventu Sanctæ Mariæ ſupra Minervam a S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquiſitoribus per univerſam Chriſtianam Rempublicam deputatis, hi tandem quid ipſorum iudicio in controverſis Articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum eſſet, aperuerunt; eorumque reſolutiones probavit confirmavitque prælaudatus Clemens Papa XII., illaſque inferendas decrevit Apoſtolicis litteris in forma Brevis, quibus Madurenſibus, Mayſſurenſibus, & Carnatenſibus Epiſcopis, ac Miſſionariis Apoſtolica auctoritate mandavit, iniunxitque, ut lata ab ſe decreta tum religiose ipſi obſervarent, tum ab aliis omnibus ſumma fide ac diligentia obſervari curarent. Litteræ in forma Brevis ſunt ſequentis tenoris.

Ve-

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Compertum, exploratumque Vobis eſſe non ambigimus, Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum poteſtate Legati a latere Apoſtolicum Commiſſarium, & Viſitatotorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem de Tournon a Prædeceſſore noſtro fel. record. Clemente XI. ad Sinas anno 1702. miſſum, ubi primum ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus, & urgentibus Miſſionum in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi ſaluberrime dirigendarum neceſſitatibus opportune proſpiceret, condidiſſe die 23. menſis Iunii anni 1704. Decreta nonnulla, quæ die 8. menſis Iulii eiuſdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus, & Dilectis Filiis, Epiſcopis, & ſacris Indiarum Orientalium Operariis, quibuſdam in iiſdem Decretis contentis minime acquieſcentes, reclamaſſent, laudatus Prædeceſſor noſter Clemens XI. Litteris in forma Brevis ad Epiſcopum Meliapurenſem die 17. menſis Septembris an. 1712. datis, eorumdem Decretorum obedientiam, & obſervantiam tandiu requiſivit, ac mandavit, donec Apoſtolica hæc Sedes Cauſæ momentis fideliter relatis, & accuratius inſpectis, quas noviſſet Iuſtitiæ magis conſentaneas, & propagandæ Chriſtianæ Fidei magis idoneas providentiæ ſuæ vias, ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII. fel. record. itidem Prædeceſſor noſter provide Clementis XI. mandatis, declarationibus, atque veſtigiis inhærens, Litteris quoque in forma Brevis die 12. menſis Novembris anni 1727. datis memorata Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore ſimiliter munivit. Nos vero, qui plane immerentes ipſis Summis Pontificibus in Apoſtolica ſervitute ſucceſſimus, nihil optamus impenſius, quam ut Sacroſancta Ieſu Chriſti Fides amplius in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut ſi qua forte magnis eiuſdem incrementis, & propagationi occurrant impedimenta, (Deo votis noſtris obſecundante) penitus auferantur. Itaque poſtquam neceſſaria, & certiora habuimus documenta, Theologorum, ac præſertim Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium per univerſam Chriſtianam Rempublicam Generalium Inquiſitorum ſuffragia exquiſivimus, quæque iidem Venerabiles Fratres noſtri Cardinales confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis remittenda Nobis conſulere decreverunt, ex ſequentibus Dubiis hic inſertis plane vos dignoſcetis.

„ *Dubia pro Miſſionibus Madurenſi, „ Mayſſurenſi, & Carnatenſi exorta occa„ ſione Decreti clar. mem. R. P. D. Ca„ roli Thomæ Maillart de Tournon Pa„ triarchæ Antiocheni, poſtea S. R. E. „ Cardinalis, editi Pudicherii die 23. Iu„ nii 1704., propoſita in Congregationi„ bus Generalibus S. Officii, habitis in „ Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Miner„ vam coram Eminentiſſimis, & Reve„ rendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus „ Generalibus Inquiſitoribus, præſentibus „ DD. Conſultoribus, infraſcriptis diebus: „ ſuper quibus Dubiis iidem Eminentiſ„ ſimi ſuam protulerunt ſententiam, prout „ infra, videlicet.*

Feria 4. die 21. Ianuarii 1733.

Primum dubium: „ An, & quomodo „ Decretum clar. mem. Eminentiſſimi Car„ dinalis de Tournon ſit exequendum in „ ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Di„ ſtricte prohibemus, ne in baptizandis „ tam Pueris, quam Adultis cuiuſcum„ que ſexus, & conditionis, omittantur „ Sacramentalia, ſed omnia palam adhi„ beantur, & ſignanter Saliva, Sal, & „ Inſufflatio, quæ ex Apoſtolica Tradi„ tione Catholica Eccleſia recepit, & ob „ recondita in iis ſacris Cæremoniis Di„ vinæ erga nos bonitatis Myſteria, ſan„ cte, & inviolabiliter cuſtodivit, De„ creto Sanctæ, & Univerſalis Inquiſitio„ nis de anno 1656. pro Sinis facto, ob „ diverſas rationes, & circumſtantias, „ minime obſtante.

Emi-

Digitized by Google

Eminentiſſimi dixerunt : „ *Confirmandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon , ſed conſulendum Sanctiſſimo , quod Miſſionariis Regnorum Madurenſis , Mayſſurenſis , & Carnatenſis Diſpenſationem concedat ad Decennium duraturam , omittendi in collatione Baptiſmi Salivam , & occulte utendi inſufflationibus , in caſibus tamen particularibus , & in quibus gravis , & proportionata neceſſitas urgeat , ſuper qua conſcientia Miſſionariorum oneratur : dummodo non laborent errore habendi Salivam , & anhelitum , tamquam materiam ineptam , vel incapacem ad inſerviendum pro Sacramentalibus Cæremoniis in Baptiſmo , utpote omnino incapaces Baptiſmi : eiſque Miſſionariis iniungendum , ut debitam inſtructionem , aliaſque omnes poſſibiles diligentias adhibeant , ut averſio Populorum a Saliva , & Inſufflatione amoveatur , & de inſtructione , aliiſque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus Decennii certiorent .*

„ *Inſuper monendos eſſe Miſſionarios ſuper gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda facultate diſpenſandi , & male ſe geſſiſſe Epiſcopos concedendo huiuſmodi Diſpenſationem , inconſulata Apoſtolica Sede .*

Secundum Dubium : „ *An , & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte , quæ eſt tenoris ſequentis : Item præcipimus , ut , iuxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem , ſemper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano deſcripti , omnino interdictis Nominibus Idolorum , vel falſæ Religionis Pœnitentium , quibus Gentiles utuntur , & Neophiti hactenus appellari conſueverunt , antequam per Baptiſmum eſſent Divinæ Gratiæ renati .*

Eminentiſſimi dixerunt : „ *Moderandum eſſe Decretum , deleto verbo* : Præcipimus : *cum clauſula* : Curent quantum fieri poteſt ; *firma remanente Interdictione , quoad nomina Idolorum , & falſæ Religionis Pœnitentium .*

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

Tertium Dubium : „ *An , & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte , quæ eſt tenoris ſequentis : Nec Parochis , ſeu Miſſionariis ſub quovis prætextu liceat Sanctiſſimæ Crucis , Sanctorum , & rerum ſacrarum nomina per tranſlata immutare , nec ea alio Idiomate explicare , niſi Latino , vel ſaltem Indico , quatenus voces Indicæ Regionis Latinæ ſignificationi liquido , & adamuſſim reſpondeant .*

Eminentiſſimi dixerunt : „ *Quod ſervetur Decretum Eminentiſſimi de Tournon , & declaretur , non habere locum in vocibus , & nominibus iam ab Inſtitutione Miſſionis communiter receptis , quæ tamen per hanc declarationem nec approbantur , neque reprobantur .*

Quartum Dubium : „ *An , & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte , quæ eſt tenoris ſequentis : Et quia audivimus , Baptiſmum Infantium ex Chriſtianis Parentibus ortorum , eorumdem incuria , ſæpe ſæpius diu protrahi , non ſine maximo dictorum Infantium ſalutis diſcrimine , monemus Evangelicos Operarios , ut ſacrorum Canonum memores , terminum breviorem , quam fieri poſſit , attentis circumſtantiis , Genitoribus præfigant , graviter conſcientiam eorum onerantes , niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant Sacro Fonte abluendos .*

Eminentiſſimi dixerunt : „ *Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon .*

Quintum Dubium : „ *An , & quomodo prædictum Decretum ſit exequendum in ea parte , quæ eſt tenoris ſequentis : Præterea cum moris huiuſmodi Regionis ſit , ut Infantes ſex , vel ſeptem annorum , interdum etiam in teneriori ætate , ex Genitorum conſenſu , matrimonium indiſſolubile de præſenti contrahant per impoſitionem Taly , ſeu aureæ Teſſeræ Nuptialis Uxoris collo penſilis , Miſſionariis mandamus , ne huiuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant , nec Sponſos ſic coniunctos cohabitare ſinant , donec completa legitima ætate , & explorato eorum conſenſu , in „ fa-*

„ *faciem Eccleſiæ, iuxta formam a Sac.* „ *Concilio Tridentino præſcriptam, verum, & Canonicum Matrimonium contraxerint.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Exequendum* „ *eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon; cum declaratione tamen, ſervandam eſſe formam pro Matrimoniis a* „ *Sacr. Concilio Tridentino præſcriptam* „ *in locis, in quibus Decretum dicti Concilii in cap. primo ſeſſ.* xxiv. *de Reform. Matrim. publicatum eſt, & impoſterum publicabitur, neque eius obſervantia ſit impoſſibilis; & Miſſionarii* „ *curent, quantum fieri poteſt, ut in omnibus locis Miſſionum illarum Partium* „ *dictum Decretum Concilii publicetur.*

Sextum Dubium: „ *An, & quomodo* „ *dictum Decretum ſit exequendum in ea* „ *parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Et* „ *quoniam apud Peritiores impiæ illius* „ *Religionis Sectatores Taly præſefert Imaginem, licet informem, Pulleyaris, ſeu* „ *Pylleiaris Idoli nuptialibus Cæremoniis* „ *præpoſiti; cumque dedeceat Chriſtianas* „ *Mulieres talem effigiem collo deferre in* „ *ſignum Matrimonii; diſtricte prohibemus,* „ *ne impoſterum audeant Taly cum hac* „ *effigie collo appendere; & ne Uxores* „ *innuptæ videantur, poterunt uti alio* „ *Taly, vel Sanctiſſimæ Crucis, vel Sanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel* „ *Beatæ Virginis, vel alia quavis Religioſa Imagine ornato.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Servandum* „ *eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon, quamvis Miſſionarii aſſerant, numquam permiſiſſe geſtationem dicti Taly.*

Septimum Dubium: „ *An, & quomodo prædictum Decretum ſit exequendum* „ *in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* „ *Et cum ſuperſtitione non careat Funiculus centum & octo filis compoſitum,* „ *& croceo ſucco delinitus, quo plerique* „ *dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filiorum numerum, &* „ *unctionem.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Servandum* „ *eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon.*

Octavum Dubium: „ *An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in* „ *ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Cæremoniæ etiam Nuptiales iuxta harum* „ *Regionum morem tot ſunt, tantaque* „ *ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non poſſit, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe ſcateant, & difficillimum* „ *ſit eas a ſuperſtitioſis expurgare. At* „ *vero, ut faciliori converſionum viæ, &* „ *Neophitorum commodo, quantum fieri* „ *poteſt, in Domino indulgeamus, Miſſionariis, & præcipue Miſſionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo, ſuperſtitioſa omnia a dictis Cæremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur,* „ *quod Chriſtianam pietatem offendat, &* „ *Gentilium ſuperſtitionem redoleat, &* „ *ſignanter, præter eas, quas audivimus* „ *iam ſtatutas in hac materia ab iiſdem* „ *Miſſionariis reformationes, ramus arboris Areſciomara omnino auferatur, ferculorum numerus non minus, ac cibi* „ *præſcripta qualitas varietur: Circuli* „ *ſuper caput Sponſorum ad tollenda maleficia omittantur: & quod de ferculis* „ *diximus, de luteis Vaſis ibidem adhiberi ſolitis a nobis dictum, & prohibitum intelligatur.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Servandum* „ *eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis* „ *de Tournon.*

Feria 4. Die 23. Iulii 1733.

Nonum Dubium: „ *An, & quomodo* „ *dictum Decretum ſit exequendum in ea* „ *parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt,* „ *vel omnino a Chriſtianorum Nuptiis* „ *reiiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto,* „ *& extra ſolemnitatem aperiatur ab iis,* „ *qui Evangelica luce edocti, ab huiuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt immunes.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Dilata.* *

Decimum Dubium: „ *An, & quomo-* „ *do*

* Vide infr. poſt Dub. XI.

Digitized by Google

„ do dictum Decretum ſit exequendum in „ ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Nullus rite, & ſufficienter diſpoſitus arceatur a Sacramento Pœnitentiæ, & ſignanter Mulieres menſtruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis iuxta morem Gentilium; cum hæc Sacramentalis vera Animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda a Chriſtifidelibus, eorumque Paſtoribus; quibus præterea non liceat nec per ſeipſos, nec per Cathechiſtas, nec per alios quoſcumque, dictis Mulieribus prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium durante dicta infirmitate, & dictæ purificationis tempore.

Eminentiſſimi dixerunt: „ Servandum „ eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis „ de Tournon.

Undecimum Dubium: „ An, & quomodo exequendum ſit dictum Decretum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Dedecet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtati prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, & inverecunde publicare, iiſque Ethnicorum more, & ritu in eius domum collectis, ſuper re tam ſordida feſtum inſtituere. Quocirca huiuſmodi ſolemnitates, & ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, & abolemus, Miſſionariiſque iniungimus, ut non ſolum eas, verum etiam Genitores moneant, quam diſſona ſit virginei pudoris legibus eiuſmodi obſcæna conſuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, labefactata Puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

Eminentiſſimi dixerunt: „ Quod curent „ Miſſionarii abolere feſtum ſub titulo Menſtrui, ſed ſub titulo Nuptiarum tantum permittant.

Feria 4. die 9. Septembris 1733.

Nonum Dubium ſupradicta die 22. Iulii propoſitum, ſed non reſolutum: „ An, & „ quomodo prædictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Chriſtianorum nuptiis reiiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab huiuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt immunes.

Eminentiſſimi dixerunt: „ Servandum „ eſſe Decretum prædicti Eminentiſſimi „ Cardinalis de Tournon.

Decimum ſecundum Dubium: „ An, & „ quomodo Decretum prædicti Em. Card. de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Ferre pariter non poſſumus, quod a Medicis Spiritualibus pro Animarum ſalute ea caritatis Officia denegentur, quæ Medici Gentiles Nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ, pro Corporis ſalute præſtare non dedignantur Infirmis, licet abiectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareas. Quapropter diſtricte mandamus Miſſionariis, ut, quantum in ipſis erit, nemini e Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vilioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda relinquatur in Infirmitate copia Confeſſarii; & ne, ingraveſcentibus morbis, cum graviſſimo vitæ corporalis periculo, æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne Infirmos huiuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultius Domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, abſque Perſonarum aut ſexus acceptione, expreſſe damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

Eminentiſſimi dixerunt: „ Servandum „ eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon: præterea monendos Miſſionarios, quod neque ad Baptiſmum admittant Indos, qui in ea ſunt opinione, Pareas a Deo eſſe reprobatos, & ideo nullam poſſe ſperare ſalutem, niſi eam opinionem depoſuerint.

Decimum tertium Dubium: „ An, & „ quomodo dictum Decretum exequendum „ ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:

Digitized by Google

„ *tis: Non ſine maximo anini noſtri mœrore accepimus etiam, Chriſtianos Tympanorum pulſatores, Tibicines, vel alterius cuiuſcumque Muſici Inſtrumenti Sonatores ad Idolorum Feſtivitates, & Sacrificia accerſiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſervitutis ſpeciem erga Publicum ab ipſis contractæ per huiuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſionariis, eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere. Quocirca conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi huiuſmodi Chriſtifideles a dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne impoſterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occaſione Sacrificiorum, tum quarumcumque Solemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum, ſonare, aut canere, ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis Belial inſervire; ideoque Miſſionarii non ſolum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.*

Decimum quartum Dubium: „ *An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV. incipien.* Romanæ Sedis Antiſtes, *ad petitionem PP. Societatis Ieſu editam, qua indigenis Chriſtifidelibus lavacra, non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & a naturalibus ſordibus mundandi, ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi ſolent, æque afficere Evangelicos Operarios: quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ad effectum, ut exiſtimentur Sanias, ſeu Brachmanes, præ ceteris dediti huiuſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim ſtatutis eorum horis, & ante, vel immediate poſt quamcumque Sacram functionem.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.*

Feria 4. die 16. Septembris 1733.

Decimum quintum Dubium: „ *An, & quomodo dictum Decretum Cardinalis de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Cineres itidem ex Vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium Pœnitentiam a Rutren inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere, ſive quæcumque alia ſigna alibi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſe ſerventur tempore, ac modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet Feria ria 4. Cinerum, & non alias.*

Eminentiſſimi dixerunt: „ *Confirmandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon, ſervata in omnibus Conſtitutione Gregorii XV. edita die 31. Ianuarii 1623. quæ incipit:* Romanæ Sedis Antiſtes.

Præterea Eminentiſſimi dixerunt: „ *Quod fiat Decretum, quo imponatur Miſſionariis cuiuſcumque Ordinis, etiam Societatis Ieſu, in Partibus Infidelium degentibus, ne audeant permittere Ritus, vel Conſuetudines proprias Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbitrio vertere in Ritus, vel Conſuetudines Chriſtianæ Religionis, inconſulta S. Sede; & Miſſionarii meminerint præceptionis Alexandri VII. in ſua Conſtitutione incipien.* Sacroſanct. *la 46. ſequentibus verbis expreſſ. Ne ob inſtructionis defectum, qui Sacro Baptiſmate initiantur, immaculatam Chriſti legem profanis, ac gentilitiis inſtitutis ex ignorantia fœdent, ac Idololatriam cum Orthodoxa Fide confundant, ut ſæpe inibi evenire nunciatum eſt; caveant ii, qui iiſ-*

Digitized by Google

„ dem inſtruendis incumbunt, ne impoſterum ullus ad Baptiſma admittatur, qui „ gentilitios mores prorſus non exuerit, „ & in fide non ſit ſufficienter inſtructus.

Decimum ſextum, & ultimum Dubium: „ An, & quomodo dictum „ Decretum exequendum ſit in ea parte, „ quæ eſt tenoris ſequentis: Et demum „ quia ex librorum de falſa Religione, „ & de rebus obſcænis, & ſuperſtitioſis „ tractantium lectura, venenum, ut plurimum, ſerpere ſolet ad cor Fidelium, „ quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac ſtudium „ Miſſionariorum, qui libros Sacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque „ Sacrarum monumenta continentes pro Indorum Chriſtifidelium eruditione in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam „ tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſtitutione compoſuerunt, „ iiſdem Chriſtifidelibus expreſſe interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque „ legere, & retinere prohibemus ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, „ niſi prius habita licentia Parochi, ſeu „ Miſſionarii curam Animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros (ſi qui forte ſunt) noxia ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Chriſtianorum uſu „ ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

Eminentiſſimi dixerunt: „ Servandum „ eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis „ de Tournon.

Quibus dubiis, & eorum reſolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Damiatæ, Congregationis Sancti Officii Aſſeſſorem relatis, Reſolutiones ipſas plene approbantes, cuncta ea, quæ iuxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda viſa ſunt, reſpective confirmavimus, moderavimus, declaravimus, & in nonnullis remiſimus. Quocirca, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vobis iniungimus, & mandamus, ut pro ſingulari veſtra in Nos, atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quæcumque per haſce noſtras Litteras de Apoſtolicæ Auctoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut præſcripta ſunt, ſanctiſſime cuſtodiatis, atque ab omnibus ſervanda ſtudioſiſſime curetis: obſecrantes Vos in Domino per Viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, ut Controverſiis iam remotis, & omnino evulſis, alacres, atque animi noſtri ſenſibus concordes, ſtudia, & labores veſtros in Animarum ſalutem, quæ præſtantiſſimus veſtræ vocationis eſt finis, pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Auguſti MDCCXXXIV. Pontificatus noſtri anno quinto.

XIV. Poſt diutinam, accuratamque factorum, atque rationum in utramque Partem diſceptationem, poſt tam ſolemne denique cauſæ iudicium, in magnam ſpem venerat Apoſtolica Sedes, non ſecus ac Romæ litigiis finis erat impoſitus, ita & in Indiis tandem aliquando a diſcordiis, abuſibuſque ceſſatum iri; cum præſertim ii, qui Decretum impugnaverant, ſive illius æquitate cognita, ſeu moderationibus, declarationibus; & relaxationibus iam impetratis ſatis ſibi factum exiſtimantes, non ſolum æquo animo illud recepiſſent, ſed fidem quoque ſuam obligaſſent, ſe omnino operam daturos, ut quæcumque in Litteris Apoſtolicis eſſent præſcripta, integre executioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apoſtolicæ Sedi non fama ſolum, ſed certis, graviſſimiſque teſtimoniis allatum erat, publicatas iam fuiſſe Pontificias Litteras, & ſubſcriptas ab omnibus Miſſionariis, & mutuum inter Partes perfectæ communionis, atque concordiæ vinculum redintegratum, quod multis annis non ſine ingenti Miſſionum damno inter illas fuerat interruptum.

XV. At tam felicibus initiis conceptum gaudium ſtatim evanuit: triſtiſſimus ſiquidem nuntius quam citiſſime Sedi Apoſtolicæ allatus eſt, Miſſionarios ſcilicet, qui Cardinalis Turnonii Decretum impugnaverant, non obſtantibus Clementis XII. Litteris Apoſtolicis ſolemni formula

mula ab iis acceptatis, publicatiſque, damnatos tamen ritus, ac cæremonias iuxta earumdem Litterarum præſcriptum minime aboleri poſſe cauſantes, tantum ſibi licentiæ ſumere, ut eos, eaſque adhuc uſu permittere, & retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama increbeſceret, præfatus Clemens Papa XII., ut debitum Pontificiis mandatis obſequium, & obſervantiam vindicaret, certamque redderet in poſterum eorum, quæ in prædictis Pontificiis Litteris mandabantur, executionem, alteris in ſimili forma Brevis datis die XIII. Maii anni MDCCXXXIX. Apoſtolicis Litteris, earum Regionum Epiſcopis, & Miſſionariis præceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impoſitis, ut ne dum exactiſſime ſervarent, quæ in ſuis præmiſſis Litteris mandabantur, ſublata cuilibet ſecus interpretandi facultate; verum ad id illicoſe adſtringerent ſolemni iureiurando interpoſito, iuxta formulas reſpective eiſdem præſcriptas. Litteræ in forma Brevis ſequentis ſunt tenoris.

XVI. *Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurenſi, Maſſurenſi, & Carnatenſi.*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Concredita Nobis Dominici Gregis cura continuo Nos urget in id præcipue, & tota ſollicitudine incumbere, ut ab iis maxime, qui ſortiti ſunt partem Miniſterii huius, & in lucem Gentium ſunt miſſi, erga S. Sedem ac Apoſtolica mandata filiale obſequium exhibeatur, atque Fidei dogmata, ſacroſque Eccleſiæ ritus & ipſi intemerate retineant, & alios edoceant, ut quos locorum immenſa ſpatia a Petri Sede longe disiungunt, eos tamen Fides eadem in unitate ſpiritus, & doctrinæ congiungat. Alias itaque per ſimiles Litteras noſtras ſub datum 24. Auguſti 1734. incipientes, Compertum, exploratumque, *Fraternitates Veſtras, omneſque Miſſionarios eo maiori, quo potuimus, paterno caritatis affectu requiſivimus, & declaravimus, quam impenſe exoptaremus, ut qui in Regnis iſtis Chriſti Fidei veritatem agnoſcentes convertuntur, ſuperſtitioſos Gentilium ritus omnino abiicerent, atque averſarentur, ne habeantur & ipſi ad inſtar eorum, qui* cum Dominum colerent, Diis quoque ſerviebant iuxta conſuetudines Gentium: *utque in re tanti momenti nulla eſſet offendiculi occaſio, auditis Theologorum, ac præſertim Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium per univerſam Chriſtianam Rempublicam Generalium Inquiſitorum ſuffragiis, plura, iuxta dubia tunc propoſita, provide ſtatuimus, & a Miſſionariis obſervanda præſcripſimus. Quorum omnium in Nos obſervantia, ac ſtudium amplificandæ Fidei in certam ſpem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare ſatagant, nec ullus erit, qui deteſtabili indulgentia aliter fieri poſſe cogitet, & veluti infideles filii* peccare eos faciant peccatum magnum. *Sane etſi hiſce mediis muneri Noſtro ſatisfeciſſe, ac fine ſollicitudine eſſe ſuaderent; attamen res momentum, a qua Fidei puritas, atque integritas pendet, numquam hanc in nobis curam delebit, niſi ad magnitudinem negotii opportuniora ſemper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Veſtris, & Miſſionariis omnibus, quibus prædictas Noſtras Litteras direximus, ſive Sæculares, ſive Regulares cuiuſcumque Religionis, Congregationis, Inſtituti, Societatis etiam Ieſu, fueritis, demandamus, & præcipimus, ut omnia, & ſingula, quæ in dictis noſtris Litteris continentur, integre, exacte, ac inviolabiliter obſervetis, atque ab eis, quorum cura ad vos ſpectat, remota penitus quavis aliter interpretandi poteſtate, adamuſſim obſervari faciatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & reſpective excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nemo Veſtrum a quoquam, præterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, excepto tantum mortis articulo, abſolvi poſſitis; & quoad Regulares inſuper privationis vocis activæ, & paſſivæ*

etiam

Digitized by Google

etiam ipſo facto, & ſine ulla alia declaratione incurrendæ. Itidem ſub iiſdem pœnis, & cenſuris pari auctoritate præcipimus & mandamus, ut omnes, & ſinguli, qui ab hac Sancta Sede, ſive ab eorum reſpective Superioribus, ad iſta Regna ſacris obeundis Miſſionibus miſſi eritis, ſtatim ac de hiſce Litteris noſtris certiores facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habueritis, iuramentum præſtetis, integre, exacte, ac omnimode implere, quæ provide a Nobis in iiſdem Litteris conſtituta fuerunt, neque illis ulla in parte quovis ſub prætextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus ſuſcepturi erunt, mandamus, ac præcipimus ſub iiſdem omnibus cenſuris, & pœnis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, niſi antea & ipſi iuramentum prædictum præſtiterint, quin nec tamquam Presbyteri Sæculares ab Ordinariis Locorum deputati, ſeu veluti ſimplices Religioſi, vel quovis alio titulo, & nomine, Chriſtifidelium Confeſſiones excipere, Conciones habere, aut Sacramenta miniſtrare, ſed omni prorſus careant poteſtate, derogando quibuſvis privilegiis, ſibi ipſis, aut veſtræ reſpective Religioni, Ordini, Congregationi, & Societati, etiam Ieſu, ſpecialiter, aut generaliter a Nobis, & a Prædeceſſoribus noſtris quacumque ex cauſa conceſſis. Iuramenta prædicta ſæculares Miſſionarios coram Locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apoſtolicis Vicariis præſtare demandamus, Vicarios vero ipſos, & Superiores in manibus Epiſcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, ſed ſcripto iuxta formam per Nos præſcriptam, & infra adnotandam, aut propria manu ſubſignare teneamini ſub iiſdem Cenſuris, & pœnis. Hoc etiam iuramentum præſtandum fore mandamus, ac requirimus ab illis, qui ad Epiſcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipſomet die, quo in manibus Epiſcoporum ſolemnem emiſſuri erunt Fidei profeſſionem, vel in actu eorum conſecrationis. Quorum iuramentorum ſubſignata exemplaria, relicta iſthic in Archiviis authentica copia, ad Congregationem de Propaganda Fide, per Epiſcopos, & Superiores Regulares reſpective tranſmitti volumus, a qua ad illam S. Officii remittantur, ut ſint obſequii erga Nos, noſtraſque iuſſiones, puritatis, integritatiſque Fidei veſtræ monumenta. Ne vero tam Litterarum noſtrarum ſub prædicta die 24. Auguſti 1734. quam præſentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates veſtras, ac in Domino obteſtamur, ut quo primum illas, atque præſentes receperitis, ſtatim publicare faciatis, ac ad ſingulos Miſſionarios, ſive Sæculares, ſive Regulares fuerint, ſub veſtra reſpective Iuriſdictione degentes, eaſdem tranſmittatis. Hoc ipſum præcipimus Apoſtolicis Vicariis, aliiſque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipſo facto pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; Regulares autem Excommunicationis latæ ſententiæ, privationis Officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ.

Formula autem iuramenti, ſicut præmittitur, a Miſſionariis præſtandi eſt, quæ ſequitur, videlicet: „ Ego N. Ordinis N. „ ſeu Societatis Ieſu Miſſionarius ad Regnum N. vel ad Provinciam N. in „ Indiis Orientalibus a Sede Apoſtolica, „ vel a meis Superioribus, iuxta facultates eis a Sede Apoſtolica conceſſas miſſus, vel deſtinatus, parendo præcepto „ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Clementis XII. per Litteras Apoſtolicas in „ forma Brevis datas die 13. Maii anno „ 1739. iniuncto omnibus Miſſionariis in „ dictis Miſſionibus, præſtandi iuramentum „ fideliter ſervandi diſpoſitionem Apoſtolicam circa ritus Malabaricos ad formam „ Litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri „ die 24. Auguſti 1734. incipien. Compertum exploratumque: *mihi per integram eiuſdem Brevis lecturam optime „ noto, promitto, me plene, & fideliter „ pariturum, illudque exacte integre, abſolute, & inviolabiliter obſervaturum, „ & abſque ulla tergiverſatione adimpleturum, nec non ad formam dicti Brevis inſtructurum Chriſtianos mihi commiſſos tam in Concionibus, quam in privatis inſtructionibus, ac præſertim Ca-*

„ thecumenos , antequam , baptizentur ;
„ & niſi promittant obſervantiam dicti
„ Brevis eiuſque diſpoſitionum, & probi-
„ tionum , me ipſos non baptizaturum ;
„ prout quoque curaturum omni ſtudio ,
„ quo potero, ac omni diligentia, ut ſub-
„ latis Gentium cæremoniis, illi a Chri-
„ ſtianis ſuſcipiantur, & retineantur ri-
„ tus , quos Catholica Eccleſia pie præ-
„ ſcripſit. Si autem (quod Deus avertat)
„ in toto , vel in parte contravenerint ,
„ toties pœnis a Sanctiſſimo Domino No-
„ ſtro impoſitis in Decreto , ſeu Litteris
„ Apoſtolicis, ut ſupra , ſuper præſtatio-
„ ne huius iuramenti , mihi pariter per
„ integram lecturam notis , me ſubiectum
„ agnoſco, & declaro . Ita tactis SS. E-
„ vangeliis promitto , voveo, & iuro. Sic
„ me Deus adiuvet , & hæc SS. Dei E-
„ vangelia.
„ Ego N. manu propria.

Formula vero iuramenti, ut ſupra, præſtandi ab Epiſcopis , eſt , quæ ſequitur , videlicet: „ Ego N. Epiſcopus Civitatis N.
„ memor iuramenti a me præſtiti in actu
„ meæ ſolemnis Conſecrationis , quo Ro-
„ mano Pontifici fidem, ſubiectionem, &
„ obedientiam promiſi , tum inſuper eo-
„ rum, quæ provide ſanxit Clemens XII.
„ Pontifex Maximus circa ritus Malaba-
„ ricos in Litteris Apoſtolicis in forma
„ Brevis, Epiſcopis & Miſſionariis uſque
„ ſub die 24. Auguſti 1734. tranſmiſſis ,
„ parendo mandatis Sanctitatis Suæ per
„ alias ſimiles Litteras die 13. Maii an-
„ no 1739. iniunctis , ut in argumentum
„ meæ erga Apoſtolicam Sedem obedien-
„ tiæ non minus , quam filialis obſequii
„ me iuriſiurandi Religione obſtringam ,
„ iuro, & promitto, me plene , & fide-
„ liter eaſdem Litteras Apoſtolicas ſub
„ dicta die 24. Auguſti 1734. executu-
„ rum, atque ea, quæ in illis præſcripta
„ ſunt, exacte, integre, abſolute , ac in-
„ violabiliter obſervaturum , curaturum
„ pariter, quantum in me erit , ut ii o-
„ mnes , qui mea in Diœceſi Miſſiona-
„ rii , & Sacerdotes ſunt , vel fu-
„ turi erunt, illas eodem prorſus modo in
„ omnibus ſervent, atque exequantur, &
„ contra inobedientes, ſi qui fuerint, me
„ proceſſurum ad formam Brevis ſub die
„ 13. Maii anno 1739. ut tandem ſubla-
„ tis Gentium cæremoniis, illi a Chriſtia-
„ nis recipiantur ritus , quos Catholica
„ Eccleſia pie præſcripſit , ac iugiter ſer-
„ vat. Utque de hac mea voluntate, iu-
„ ramento, filialique obſequio erga Roma-
„ num Pontificem , eiuſque mandata pe-
„ renne exiſtat monumentum, propria ma-
„ nu me ſubſcribo.
„ Ego N. Epiſcopus N.

Ceterum etſi magna Nobis ſpes ſit, Fraternitates Veſtras , & Miſſionarios omnes noſtras voces, & monita excipere diligenter, ac filiali obſequio exequi, curam inſuper ſolicitudinemque plurimam gerere , ut tam Orthodoxæ Religionis puritati, integritatique, quam Gentium ſaluti adiumento ſitis , omneſque in hanc unicam rem, maximam utique, labores , ſudoreſque conferre, ut tandem, qui Chriſtiam-plectuntur Fidem , ſuperſtitioſos averſentur ritus , eoſque tantum ſuſcipiant , & retineant, quos Catholica Eccleſia pie præſcripſit , ac iugiter ſervat ; attamen pro Paſtoralis Officii debito, ac Paternæ Caritatis ſtimulo , iterum , iterumque commonere non deſiſtimus ; ne a Paſtorum Principe in cuſtodia Gregis ſui minus vigilaſſe diiudicemur : & Vobis interim in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem impertimur . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die XIII. Maii MDCCXXXIX. Pontificatus noſtri anno nono.

XVII. Haſce Clementis XII. Litteras aliæ ſubſecutæ ſunt prænominatis earum Regionum Epiſcopis peculiariter inſcriptæ , quibus idem Pontifex & conceptum animo intimum dolorem, ob nondum ſibi delatam certam exoptatamque notitiam de præſtita Apoſtolicis mandatis debita obſervantia , gravibus verbis patefecit , & eorumdem Epiſcoporum zelum, ac religionem excitare curavit, ut ipſi exemplo ac diligentia ſua præeuntes, ceterorum obedientiam ſollicite promoverent. Harum Litterarum huiuſmodi exemplum eſt:

XVIII. *Venerabilibus Fratribus Epiſcopis in Regnis Indiarum Orientalium Madurenſi , Mayſſurenſi, & Carnatenſi.*

CLE-

Digitized by Google

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Continere labia noſtra non poſſumus, quin vos Venerabiles Fratres Apoſtolica voce iterum alloquamur: moleſte Nos, imo graviter ferre, uſque adhuc certam denunciationem minime accepiſſe, qui tandem exitus contigerit Noſtris Litteris, quas die 24. Auguſti 1734. Vobis, & Miſſionariis iſthic commorantibus dedimus. Sane taciturnitas hæc curarum, & anguſtiæ noſtro paterno erga vos amori cauſa eſt, tum, & maxime quia, incertæ licet, ſparſæ hic ſunt voces, eaſdem Noſtras Litteras, & Decreta in publicum ab omnibus minime poſita fuiſſe, nec exacte, prout oportet, adimpleri, quin non deeſſe aliquos, qui diverſa opinantes, ac loquentes, adducunt diſcipulos poſt ſe. Quare primum Fraternitates Veſtras ex animo requirimus, ut quomodo iſthic res ſe habeat, quamprimum renuncietis, ne longior tarditas acerbiorem Nobis afferat moleſtiam; deinde firma ſpe ducimur, zelo Dei vos impellente, in doctrina ſana nobiſcum exſurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, cui ſe addixerunt, ſedulo caveant, ac diligenter proſpiciant, ne culpa eorum, Gentes iſtæ ſint timentes Dominum, ſed nihilominus & Idolis ſuis ſervientes. *Hac de cauſa alteras miſimus Litteras Fraternitatibus Veſtris, atque Miſſionariis, quibus gravioribus ſub pœnis demandamus, ut noſtræ voluntatis ſenſibus, & Decretis obediant, & opere compleant. Ne vero, ut hactenus, unus alterum incuſet, & Nos qui licet præſentes iſthic ſpiritu, corpore tamen abſentes, ſuſpenſos incerti nuncii diu retineant, Iuramentum ab unoquoque ex Miſſionariis propria manu ſubſignandum, expetere duximus, quo quiſque profiteatur Noſtris iuſſionibus promptam, atque exactam præſtare obedientiam, prout latius in iiſdem Litteris continetur. Hoc etſi tuto Nobis polliceamur pro omnium pietate, & religione; attamen plurimum collatura erit Fraternitatum Veſtrarum exempli auctoritas, quoties idem Iuriſiurandi ſacramentum, in certum erga S. Sedem, & in Nos obſequii veſtri teſtimonium præſtitiſſe, atque Nobis miſiſſe, vos intelligant, prout in Domino etiam, atque etiam obteſtamur. Porro hanc unam eſſe detegendæ veritatis viam, unum præſidium ad obſtruendum os loquentium iniqua, voſmet facile cognoſcere non dubitamus: quare Pontificiam voluntatem, ceteroquin in vos propenſam, magis, magiſque Vobis devincietis, ſi induſtriæ, cogitationi, ſtudio denique veſtro vim addatis exemplo; nec ſane veremur, quin eam reverentiam, quam, ſuſcipientes Epiſcopale munus, huic S. Sedi, & Apoſtolicis mandatis ſpopondiſtis, hac tam opportuna occaſione explicaturi luculentius eritis, ut quos ad Iuramentum proferendum vos adire obſtringimus, ex facto etiam veſtro obedire præceptis Noſtris arctius impellantur; ac Vobis Venerabiles Fratres in perpetuum amoris Noſtri pignus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die* XIII. *Maii MDCCXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno nono.*

XIX. Neque vero his, quamvis adeo enucleate præſcriptis, plane contentus idem Clemens Papa XII., Superiores quoque Generales Miſſionariorum in Orientalibus Indiis degentium, eorum præſertim, qui, ut Apoſtolicæ Sedi relatum erat, detrectabant adhuc obſequentis animi erga eiuſdem Sedis mandata, certa argumenta exhibere, adſtrinxit, eoſque ſub pęnis ſuſpenſionis a Divinis, privationis vocis activæ & paſſivæ, aliiſque gravioribus arbitrio ſuo reſervatis, Apoſtolicæ etiam Sedis indignationis, formali præcepto, eoque iuridice indicto, adegit ad tranſmittenda ſuis reſpective Religioſis exempla Apôſtolicarum Litterarum a ſe tunc editarum, atque ad earum publicationem, & exactam, integram, inviolabilemque obſervantiam pro viribus præcipiendam, ea lege addita, ut ſi aliquis eſſet e Miſſionariis, qui mandatis reluctaretur, aut contra facere auderet, ſolemni ſtatim præcepto per Superiorem Generalem cogeretur, relictis Miſſioni-

Digitized by Google

bus, e Provincia decedere, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, terminum annorum trium conſtituit, intra quem Superiores Generales prædicti tenerentur certis, authenticiſque documentis Sedis Apoſtolicæ plenam atque integram Decretorum Litterarumque obſervantiam indubitate probare, atque præſertim exempla iuriſiurandi, ut præfertur, præſtandi, propria uniuſcuiuſque Miſſionarii manu, cuiuſcumque fuerit Inſtituti, ſubſcripta, exhibere.

XX. His ita conſtitutis, atque mandatis obtemperantes omnes Epiſcopi & Miſſionarii Apoſtolici Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis Tournonii Decretum ſteterant, fide data, ſacramentoque interpoſito, exactam, integram, abſolutam, inviolabilemque obſervantiam Litterarum, quarum ſuperius exemplum inſertum eſt, quodque incipit *Compertum exploratumque*, promiſerunt ſecundum formulas aliis in Litteris Pontificiis expreſſas, quæ pariter enunciatæ iam ſunt, quæque incipiunt *Concredita Nobis Dominici Gregis*. Utque ſuum Nobis ad Pontificatus apicem evectis, Sanctæque Sedi fidele obſequium, & ſubmiſſionem certo probarent argumento, ad manus noſtras exempla reddi curarunt ſolemnis iuriſiurandi, quod ſinguli præſtiterunt.

XXI. Hunc igitur fructum ex prudenti conſtantique, quam hactenus recenſuimus, Prædeceſſorum Noſtrorum agendi ratione Nobis colligere datum eſt: neque iam temere videmur hanc animo ſpem concepiſſe, ut quæcumque dubia ſuper executione eorum, quæ ab iiſdem Prædeceſſoribus præſcripta memoravimus, adhuc reliqua ſunt, reſolutis, ut infra, propoſitis quæſtionibus, penitus ſubmoveantur; omneſque demum inter ſacros iſtarum Regionum Operarios diſſenſiones & controverſiæ compoſitæ conticeſcant; atque Apoſtolica mandata & Decreta, quæ, gravi præmiſſa ponderatione, ac de conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum in tota Republica Chriſtiana in negotiis Fidei Generalium Inquiſitorum ſpecialiter deputatorum, aliorumque Virorum pietate ac doctrina præſtantium, harum ſerie edituri ſumus, pari obedientiæ alacritate ab omnibus iſtarum Partium Miſſionariis excipiantur, ac debitæ executioni demandentur.

XXII. Nonnulli ſiquidem, poſtquam Litteris ſuis profeſſi ſunt ſervatas a ſe fuiſſe Apoſtolicas Litteras *Compertum exploratumque*, ſeque accuſatos idcirco perperam fuiſſe tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas, atque extremas animi anguſtias ſe eſſe coniectos, ob Iuriſiurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliaſque graviſſimas pœnas, quibus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu obligati ſunt, atque obnoxii; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris & periculi ſocietate verſantur, ad ſublevandas ſuas, ut aiunt, oneratas, trepidanteſque conſcientias, atque ad plurimorum Chriſtianorum ſalutem, qui recenter converſi perſecutionum procellis aſſidue conflictantur, in tuto collocandam, tria a Nobis flagitarunt.

XXIII. Primum illud eſt, ut onere ſubleventur (quod quidem onus graviſſimum, intolerandumque appellant) tot iuramentorum, cenſurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conſcientiæ vinciuntur, quibuſve fit, ut propriæ amittendæ ſalutis periculo expoſiti, de aliena procuranda cogitationem prope omnem deponere cogantur.

XXIV. Alterum, ut diſpenſatio alias conceſſa ſuper inſufflationum, atque ſalivæ ritu, in Sacramento Baptiſmatis miniſtrando, prorogetur, eo vel maxime, quod non tali lege ſit huiuſmodi ritus inductus, in qua diſpenſatio locum habere non poſſit; imo, ut ea concedatur neceſſarium eſſe aiunt, ad conſervandam prorogandamque diſſeminatam iam, ac diffuſam Fidem in vaſtiſſimis illis Regionibus, quarum Incolæ ingenito veluti horrore, ſeu potius inveterato, & communi præiudicio, ita ſalivam averſantur, ut de eo evellendo prope iam ſit ab eis deſperatum.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio præcepti a Cardinali Tournonio Miſſionariis graviſſime iniuncti, atque ab Apoſtolica Sede confirmati, eiſque inculcati, ut abiectiſſimum hominum genus, vulgo *Pareas*, minime deferant, ſed cum domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos inviſant, eiſque, cum opus fuerit, Sacramenta miniſtrent, omnibuſque erga eos caritatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, ſine aliqua præfati Decreti declaratione, perniciem eis, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, imminere prorſus arbitrantur, Gentiliumque ad Fidem converſionem impoſſibilem penitus evaſuram. Itaque eorumdem Parearum ſaluti providendum eſſe rentur, non adigendo Sacros Operarios ad ingrediendum eorum domos, quod certe, ut aſſerunt, exitio Miſſionibus foret, ſed alia ratione; atque ea potiſſimum, quam ipſi primo induxerunt, quaque uſi ſunt poſt Apoſtolicas etiam Litteras promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque*, obtentu verbalis cuiuſdam declarationis, quam ipſis ſuus Miſſionum Procurator ſignificaverat.

XXVI. Rumore itaque ad Nos allato de huiuſmodi vocali declaratione, quæ Clementi Papæ XII. Prædeceſſori noſtro tribuebatur, & cuius etiam exemplum monumentumque in Actis, & Tabulario Sanctæ Inquiſitionis relatum fuiſſe atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve huiuſmodi diligentiſſime exquiri mandavimus. Cumque illud nuſquam inventum ſit, longa licet atque exactiſſima indagine inveſtigatum; cum etiam Adminiſtri, quorum cuſtodiæ mandandum fuerat, ea de re per Noſmetipſos interrogati, nihil huiuſmodi a ſe viſum, nihil auditum fuiſſe, & numquam ad ſe perveniſſe prædictam declarationem, proptereaque & in Actis, & in Archivo deſiderari conſtanter, & indubitate affirmaverint: cum denique ipſius Noſtri Prædeceſſoris ea de re mentem, atque ſententiam in Apoſtolicis eius Litteris ſupra relatis luce ipſa clarius expreſſam, exploratamque haberemus; totum hoc graviſſimum & inveteratum negotium, cum approbatione & conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, ut ſupra, deputatorum, tandem diiudicare ac definire deliberavimus. Auditiſque propterea tum eorumdem Venerabilium Fratrum Noſtrorum, tum etiam Conſultorum ſententiis, ac rurſus ad trutinam revocatis, & coram Nobis multum, diuque perpenſis atque diſcuſſis moderationibus illis, quas poſtularunt a Nobis illi, qui duram atque difficilem Decretorum toties enunciatorum integram abſolutamque obſervantiam exiſtimarunt, in hunc, qui ſequitur, modum, ſtatuimus, atque decrevimus.

XXVII. Ac primo quidem, animadvertentes impoſitam Iuriſiurandi legem eſſe veluti ſaluberrimum antidotum extinguendo gliſcentium litium, diſcordiarumque veneno, aptiſſimumque ad cohibendam licentiam, libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi & periculoſa frænum exiſtere; Cenſuras quoque a prædicto Clemente XII. Prædeceſſore Noſtro in enunciatis Litteris, incipientibus *Concredita Nobis* conſtitutas, ad ſolos dumtaxat pertinere Apoſtolicæ legis præceptorum violatores, eaſdemque in huiuſmodi tantum refractarios, quorum animos neque Eccleſiaſticæ manſuetudinis officia, neque paternæ admonitionis caritas vincere, aut inflectere ullo modo poſſent, iuſtiſſimam pœnam eſſe & fore reputantes; non ſolum inopportunum cenſuimus Iuſiurandum aliqua in parte remittere, aut moderari Cenſuras; quod primo fuit ab illis propoſitum; verum etiam de prædicto conſilio & aſſenſu, ac de plenitudine Poteſtatis a Deo Nobis concreditæ, illud, illaſque probamus, confirmamus, & innovamus, illudque, & illas omne robur & firmamentum, omnemque vim & efficaciam in poſterum ſemper habere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari decernimus & iubemus.

Digitized by Google

XXVIII. Quod autem attinet ad ſecundam poſtulationem de proroganda ſupradicta diſpenſatione, quam Prædeceſſor Noſter in decennium conceſſit, ut ſcilicet per id temporis, in Sacramento Baptiſmatis conferendo, ſalivæ uſu abſtinere, & ſacras inſufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indiſtincte, ſed ubi gravis aliqua, & certa neceſſitas poſtularet, ut luculentius in eiuſdem Litteris Apoſtolicis, quarum initium *Compertum exploratumque* expreſſum eſt; Nos declarare ſatis non poſſumus, quam ægre feramus, quod nullis adhuc certis indiciis, aut argumentis cognoſcere potuerimus, utrum Miſſionarii per id decennii tempus, quod iam elapſum eſſe dignoſcitur, ad Apoſtolicarum Litterarum præſcriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque ea, qua par erat, fide, ac diligentia, omne ſuum ſtudium, operamque adhibuerint, ut vanus ille horror, & parum æqua averſatio prædictorum Sacramentalium, quæ Gentium illarum animis inſidere fertur, ſenſim emendata, demum ab eiſdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat, Sacramentalium, de quibus agitur, uſum, ſive inſtitutionis antiquitas, ex qua Ritus illi in Eccleſiam derivati ſunt, ſive multiplex myſteriorum ſignificatio, quæ in illis continetur, ſive demum Romanæ Eccleſiæ omnium Magiſtræ ſpectetur auctoritas, quæ eoſdem in ſuis Ritualibus receptos inviolabiliter obſervari præcepit, iure, ac merito venerandum eſſe, præcipuoque ſemper in honore habendum, & conſequenter incapacem prorſus recipiendæ Baptiſmatis Gratiæ eum eſſe, qui falſo ſibi perſuaſerit, inſufflationes, atque ſalivam aptam haud eſſe materiam ſacramentalium cæremoniarum, graviſſimique piaculi expertem non futurum, qui ſic opinanti conferre illud auderet.

XXIX. Et quamquam exploratum eſſet, Gentes illas hoc pravo errore minime detineri, ſed ob id tantum a prædictorum Sacramentalium uſu abhorrere, quod ingenita quadam, ut ferunt, averſione ſalivam, anhelitumque abominentur, non minori tamen induſtria Sacris Miniſtris adnitendum eſt, ut ex earum animis perperam conceptum horrorem, ineptamque averſionem eliminent, atque ablegent: aliter timendum merito eſſet, ne illarum Regionum Neophiti, confirmata in ipſorum mentibus huiuſmodi abominatione, eo uſque deſipiant, ut eamdem etiam transferant ad miracula, quæ per ſalivam Chriſtus Redemptor Noſter edidit, ipſumque propterea miraculorum, & ſalutis noſtræ Auctorem, quo nihil profecto magis impium excogitari poteſt, averſentur. Utque alia prætereamus, illud tandem non diutius eſt differendum, ut in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Baptiſmi Sacramentum rite, ſancteque miniſtretur, iiſdem adhibitis Sacramentalibus, & cæremoniis, quibus Romana utitur Eccleſia, ex qua ad Gentes illas Fidei lux propagata eſt, dediſcantque tandem novelli Regionum illarum Fideles id horrere, quod Deus dignatus eſt facere.

XXX. Verumtamen, ut memorata Sacramentalium prædictorum abominatio ſuaviter, leviterque ex eorum animis divelli poſſit, neve huiuſmodi lex, quæ Sacramentalium uſum præſcribit, ad nimiam in ſpeciem ſeveritatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quæ ex illa, tamquam e fonte, in Eccleſias, atque Miſſiones dimanaturæ denunciantur, Nos enarratis de cauſis diſpenſationem, quam Prædeceſſor Noſter in Litteris iam relatis conceſſit, iterum concedendam, prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod a die datæ præſentis Noſtræ Apoſtolicæ Conſtitutionis eſt inchoandum.

XXXI. Ex quo fas eſt intelligere, non eam eſſe, aut fuiſſe noſtram, & Apoſtolicæ Sedis ſententiam, quod ſcilicet nullus diſpenſationi locus eſſe poſſit in huiuſmodi Sacrorum Rituum, & Sacramentalium materia, nec ulla diſpenſandi neceſſitas, aut ſufficiens cauſa umquam valeat allegari. Verum, quum ex rationibus ſuperius allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeo Ritus, ac traditum a Patribus, ſancteque

que

Digitized by Google

que ab Eccleſia ſervatum huiuſmodi Sacramentalium uſum, penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel iam conceptis amplius confirmandis, occaſionem præberi; idcirco omnibus dictorum Regnorum Miſſionariis diſtricte præcipimus, ut hac diſpenſatione benigne a Nobis indulta, nonniſi certis in caſibus, & cum gravis id neceſſitas poſtulabit, de quo eorum conſcientiam oneramus, utantur, nec niſi in prædictis caſibus ſalivæ uſum in adminiſtratione Baptiſmatis poſſint omittere, & occultas adhibere inſufflationes; modo ii, qui ſe baptizandos offerunt, in ea non ſint opinione, ut credant ſalivam, atque inſufflationes huiuſmodi ineptam eſſe, atque indecentem Sacramentalis Ritus materiam: qui enim adeo falſa, atque diſtorta perſuaſione imbuti eſſent, tamquam indigni, & incapaces Sacramenti Baptiſmatis licite ſuſcipiendi, ab eo repellendi eſſent. Volumus autem, atque omnibus, & ſingulis prædictorum Regnorum Epiſcopis, & Miſſionariis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & expreſſe iubemus, ut & communibus ſtudiis, atque conſiliis, & ſinguli pro virili parte, intra præfinitum decennii tempus, omnibus viribus, nerviſque contendant, & quemadmodum fuerat eiſdem a ſa. me. Prædeceſſore Noſtro imperatum, non intermiſſis laboribus aſſidue curent, ut ex illarum Gentium animis errorum tenebræ, maleſanæque opiniones, quibus obcæcantur, & miſerrime detinentur, penitus diſcuſſæ, ac radicitus evulſæ eliminentur. Ut vero indultum, prorogatumque a Nobis tempus Sanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ cæremoniis prædictis, quæ tamdiu a Sede Apoſtolica commendatæ, atque inculcatæ fuerunt, facilius apud Nationes illas inſinuandis vere conducat, utque ulterior huiuſmodi Rituum prætermiſſio (quam tamen extra veræ neceſſitatis caſus, ut ſupra, nullatenus conceſſam, aut licitam eſſe, iterum declaramus), alendis Populorum erroribus, atque difficultatibus augendis, confirmandiſque anſam non præbeat; univerſis Gentium illarum Epiſcopis, & Miſſionariis prædictis notum eſſe volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quæ porrigi, proferrique umquam poſſent, aliam denuo prorogationem conceſſum iri.

XXXII. Ad tertium denique quod pertinet poſtulatum, ut nempe apertius, atque diſtinctius declaretur Decreti articulus, quo laudatus bo. me. Carolus Thomas Cardinalis Tournonius ſancivit, ut Miſſionarii ad Pareas ægrotantes accedant, ut Sacramenta deſiderantibus etiam domi adminiſtrent, ut denique illis omnia præſtent ſpiritualia ſubſidia, quæ Caritas, Religio, & Officii ratio Evangelicis Operariis nullo diſcrimine, nulloque reſpectu, Fidelibus univerſis, adverſa præſertim valetudine conflictatis, adminiſtranda præſcribunt: nemo profecto non videt, quantumvis maximæ proponantur difficultates, in quas incurrere Miſſionarii ſe poſſe dicunt, ſi huic præcepto tam iuſto, tam ſancto parere velint, ferendum tamen nullo modo eſſe, quod caſas humiliorum huiuſmodi hominum ex morbo decumbentium ſubire recuſent, atque illos in ſummo etiam vitæ diſcrimine, aut Sacramentis omnino carere ſinant, aut ſaltem eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum eſt perſonarum acceptio; nec ullum deſpicere fas eſt eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem ſibi coniunctos, non confunditur Fratres vocare; quin immo *elegit Deus pauperes in hoc Mundo, divites in Fide, & heredes Regni, quod repromiſit diligentibus ſe*. Quæ qui contemnunt, exhonorantes pauperem, & Fratrem humilem confundentes in humilitate ſua, hi porro longe nimis diſcedunt a doctrina, & exemplo Chriſti Domini Salvatoris Noſtri, qui Nos non Divina tantum voce, ſed magnis etiam, atque illuſtribus factis edocuit, quanti apud Nos eſſe debeant, qui pauperes, atque abiecti per Mundi inſaniam vocantur. *Ecce enim*, aiebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad Filium Reguli, & tamen*

men venire paratus eſt ad ſalutem Servi. Certe ſi nos cuiuſpiam Servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis noſtra ſuperbia in cogitatione tacita reſponderet dicens: Non eas, quia temetipſum degeneras, honor tuus deſpicitur, locus vileſcit. Ecce de Cælo venit, qui Servo in Terram occurrere non deſpicit.

XXXIII. Quare ut graviſſimo huic malo remedium afferrent Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices Gregorius XV., Alexander VII., & Clemens IX. in ſuis Apoſtolicis Litteris die XXXI. Ianuarii anni MDCXXIII., die XVIII. Ianuarii anni MDCLVIII., & die XIII. Septembris anni MDCLXIX. reſpective datis, omni animorum contentione, atque zelo obtinere curarunt (quod & Nos eorum veſtigiis inhærentes ſummopere optamus, & quantum in Domino poſſumus, diſtricte præcipimus, & mandamus), ut Nobiles cum Plebeis in unam, eamdemque Eccleſiam convenientes, una ſimul Divini verbi pabulo reficerentur, & Eccleſiæ Sacramenta reciperent, utque Miſſionarii Regnorum, provinciarumque Orientalium Indiarum, ſui officii memores, ita animo eſſent comparati, atque diſpoſiti, ut non ſecus ac Nobilibus, abiectis quoque, & infimæ ſortis hominibus, in iis, quæ ad ſpiritualem eorum profectum pertinent, præſto eſſent, illiſque in propriis etiam domibus, etſi humillimis, ac ſordidis, Sacrum Viaticum miniſtrare minime recuſarent. At, quod maxime Nos angit, ſive ob immodicum illum horrorem, quo claro genere nati infimæ Plebis homines, ut fertur, ita averſantur, ut vel illorum contactu ſe commaculari, nobilitateque, & gradu cadere ſibi perſuadeant (qui tamen horror cum ſit Chriſti lege damnatus, e Chriſtianorum animis omnino eſt eliminandus); ſive ob patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, quibus Chriſtiani in iis Regionibus ſubiecti ſunt, aliave tandem de cauſa id evenerit; fruſtra certe fuerunt Prædeceſſorum noſtrorum conſilia, paternæ exhortationes, præcepta demum, queis uſi ſunt, ut infimi huius generis hominum converſioni, ac ſaluti procurandæ, quantum optaverant, plene conſulerent, atque providerent.

XXXIV. Cum vero & Nos, Chriſti Domini documentis, Prædeceſſorumque Noſtrorum exemplo excitati, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem reipſa conſequi poſſemus, quod eiſdem Prædeceſſoribus Noſtris tantopere cordi fuit; opportune accidit, ut Societatis Ieſu Miſſionarii, quorum villicationi Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis Miſſiones potiſſimum concreditæ ſunt, poſtquam declarari a Nobis articulum de Pareis poſtularunt, paratos ſe Nobis obtulerint, pollicitique ſint, modo id Nos ipſi probaremus, certos aliquos delegare Miſſionarios, qui Pareis convertendis, dirigendiſque præcipue dent operam. Quod quidem eorum conſilium, quo Parearum converſioni, & ſaluti ſatis bene conſultum fore confidimus, paterno gaudio ſuſcipientes, pro temporum circumſtantiis probandum, commendandumque eſſe duximus, oblationiſque Nobis factæ, ac religioſi promiſſi exemplum ab eorum Præpoſito Generali ſubſcriptum in huius Romanæ, atque Univerſalis Inquiſitionis Tabularium referri, perpetuoque aſſervari mandavimus.

XXXV. Præmonemus itaque in primis Partium illarum Miſſionarios univerſos, ut quæ Apoſtolici eorum miniſterii erga Fideles omnes ex Divina inſtitutione potiſſimæ partes ſunt, minime obliviſcantur; ac ſerio perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei ſunt, per Fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu, iuxta doctrinam Apoſtoli, iam non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque femina, ſed omnes unum ſunt in Chriſto Ieſu; quod ipſe quoque Salvator noſter a Deo Patre ſuo poſtulaverat pro omnibus, qui crediturі erant per verbum Diſcipulorum in ipſum, rogans nimirum — *Ut omnes unum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipſi in Nobis unum ſint, ut credat Mundus, quia tu me miſiſti* —; novos credentes inſtruant, oportere illos eo mutuæ caritatis vinculo inter ſe ſe colliga-

ri,

ri, ex qua veluti teſſera, & Divini Filii ab æterno Patre miſſionem, & Chriſtianæ Religionis veritatem facile Gentiles agnoſcant.

XXXVI. Deinde vero tot ſtatim pro Pareis Miſſionarios deputari volumus, & præcipimus, quot neceſſarii, & reipſa ſufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura ſingulis in locis exercenda; qui peculiari ſtudio eorumdem domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eoſque demum in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos ſancto infirmorum Oleo deliniendos, abſque Perſonarum, aut ſexus exceptione. Ubi vero contigerit præfatos Miſſionarios ad Parearum curam præcipue deputatos, aut eorum aliquem, e vivis excedere, vel alio abire, alterum alterius loco continuo ſubrogari mandamus; & intra ſpatium quinquennii a die datæ præſentium certiſſima, atque authentica documenta de mandatorum noſtrorum executione Apoſtolicæ Sedi reddi debere præcipimus. Quod ſi intra quinquennii ſpatium huiuſmodi documenta reddita minime fuerint, vel iis redditis minime conſtiterit alios Miſſionarios ad præcipuam illam Parearum curam exercendam ſubrogatos fuiſſe in eorum locum, quos vel obiiſſe, vel alia de cauſa officio deeſſe contigerit: tum etiam, ſi intra ſpatium annorum decem omnes non fuiſſent adhibitæ diligentiæ, quæ tam a Prædeceſſoribus noſtris, quam a Nobis ipſis ſuperius præſcriptæ ſunt, ad evincendum, expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum inſufflationes, atque ſalivam in Sacramenti Baptiſmatis adminiſtratione, & ſusceptione, averſari dicuntur; de quo tamen minime dubitare Nos ſinit filialis obedientia, quam ii præ ceteris Miſſionarii in Apoſtolicam Sedem ſe profiteri gloriantur; aut denique ſi omnes adhibitæ diligentiæ fruſtra ceſſiſſent: quod ſecus fore confidimus, dum mentis noſtræ oculos ad Miſericordiarum Patrem, totiuſque conſolationis Deum, cuius agitur cauſa, convertimus; in quemcumque eventum, ne Miſſiones illas tot Virorum laboribus, ac ſanguine fundatas deſeramus, a quo ſane longiſſime abſumus; decernimus, & mandamus, ut alii Miſſionarii ſive ſæculares, ſive Regulares ex alio cœtu, vel inſtituto, in ea Regna mittantur, ut experiamur num Deus, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia, in aliorum Operariorum villicationem divitias miſericordiæ ſuæ effundere decreverit, eorumque labore, atque induſtria illos fructus in præfatis Regionibus, & Gentibus producere, quos Miſſionariorum nunc ibi laborantium ſudoribus, nulla licet ipſorum culpa, vel omiſſione, conſequi non potuerimus.

XXXVII. Et quamquam confidimus prædictos Miſſionarios nunc & pro tempore ibi exiſtentes, pro ſuo erga Apoſtolicam Sedem obſequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum iuſſionibus Noſtris obſtaculum, aut impedimentum allaturos, ſi dum ipſi in iis Regionibus commorantur, eo novi Miſſionarii accederent, ibique verſarentur; tamen quoniam Apoſtolici muneris id a Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quæ Chriſtianæ caritati offendiculo eſſe poſſent; hinc eſt, quod Societatis Ieſu Miſſionariis, qui in Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Regnis tunc erunt, virtute ſanctæ obedientiæ iubemus, atque præcipimus, ut quicumque caſus ex ſupradictis evenerit, quo vel omnia, vel aliqua ex his, quæ per præſentes Litteras Noſtras circa præmiſſa decrevimus, & obſervari mandavimus, intra præfinitum reſpective tempus, integre exacteque, ut par eſt, impleta non fuerint, ſive id ex eorum facto, ſive ex omiſſione, ſive ex prava, & contra litteralem earumdem præſentium ſenſum diſtorta mentis, & voluntatis noſtræ interpretatione, ſive demum ex qualibet alia cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, id contigerit; ſtatim, relictis prædictarum Regionum Miſſionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, & quocumque titulo, etiam deputatorum ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis Locorum, aut ſimplicium ſuæ Religio-

gionis Presbyterorum, ſeu quolibet alio colore proſequendarum, iure omni, officio, & facultate ex eo tempore in poſterum iam nunc eos a Nobis privatos, & imminutos declaramus, atque ex nunc prout ex tunc, & e contra, auctoritate Apoſtolica, & earumdem præſentium tenore privamus, & imminuimus, illico, non expectata alia noſtra, & Sedis Apoſtolicæ declaratione, iuſſione, aut ſententia, in Europam revertantur, uberiores, ut ſperamus, in hiſce Partibus fructus relaturi.

XXXVIII. Demum, etſi ii Miſſionarii, qui moderandas cenſuras, diſpenſandum ſuper inſufflationum, & Salivæ Ritu in Sacramento Baptiſmatis adminiſtrando, atque articulum de Pareis declarandum poſtulaverunt, nil difficultatis præſetulerint circa alia capita Decreti prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Tournonii, & Apoſtolicarum Litterarum Clementis Papæ XII. quarum initium *Compertum exploratumque*; ex aliorum nihilominus Litteris ingenti Noſtro dolore accepimus, ex Miſſionariis alios eſſe, qui nulla habita interdicti a præfato Cardinali Tournonio lati, ampliſſimeque a Prædeceſſore noſtro confirmati ratione, eo uſque progrediuntur, ut Chriſtianis Mulieribus geſtare permittant monile collo ſuſpenſum, contracti teſſeram Matrimonii, quod Regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quamdam habet informem Idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis præſidere fertur; ipſiſque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis nuptiæ celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auſpicia vel fauſta, vel infauſta deſumant: Mulieribus demum, cum menſibus detinentur, Templi acceſſu, & ſalutari Pœnitentiæ Sacramento interdicant. Quamobrem Nos animo reputantes, quam ſit execrandum, Mulieres illas, quæ ſub Crucis vexillo militant, ornatas incedere huiuſmodi inſignibus, quæ aut idololatriam importent, aut de Gentilitatis ſuperſtitione ſuſpecta ſint, prout dubio procul eſt memoratum *Taly*, neceſſario proinde damnatum: quamque Chriſtifideles dedeceat, ritus, cæremoniaſque ſequi, vel imitari, ethnicam ſuperſtitionem redolentes, qua certe non vacat illa nuptiarum tempore in prædictis Regionibus uſitata præfati *Cocco* diffractio, quæ idcirco iure & merito pariter reprobata dignoſcitur; quam denique iuſtum ſit menſium tempore minime arcere Templis, & ſalutari Pœnitentiæ Sacramento fideles Mulieres, quas laudabili praxi admittit Eccleſia, Redemptoris veſtigiis inſiſtens, qui ſanguinis fluxu laborantem non abiecit: *Si enim*, ut olim ſcripſit laudatus S. Gregorius Magnus, *in ſanguinis fluxu poſita laudabiliter potuit Domini veſtimenta tangere, cur quæ menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini Eccleſiam intrare?*

Hæc, inquam, reputantes, ac relatis & minime ferendis abuſibus pro Apoſtolici muneris ratione remedium adhibere quammaxime cupientes, mandamus, & virtute ſanctæ obedientiæ tenore præſentis noſtræ Conſtitutionis perpetuæ legis vim habituræ iubemus, atque diſtricte præcipimus univerſis Epiſcopis, atque omnibus & ſingulis tam Sæcularibus, quam Regularibus ex quocumque ſint Ordine, Congregatione, Inſtituto, nominatimque ex Societate etiam Ieſu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi exiſtentibus Apoſtolicis Miſſionariis, ut omnia & ſingula, quæ in ſupra inſertis Clementis Papæ XII. Litteris, quarum initium *Compertum exploratumque*, quas etiam auctoritate noſtra, quatenus opus ſit, in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus, contenta ſunt, tam quæ ſupradicta capita reſpiciunt, quam alia quæcumque per eaſdem Litteras præſcripta, & definita, ad eorum normam, quæ idem Prædeceſſor Noſter alteris pariter ſuperius inſertis Apoſtolicis Litteris, incipientibus *Concredita Nobis*, conſtituit & ſanxit, non ſolum ipſi pro virili parte integre, exacte, abſolute, inviolabiliter, perpetuoque obſervent, atque adimpleant, verum etiam, quantum in ipſis eſt, ut ab univerſis Fidelibus, qui co-

eorum curæ ſunt concrediti, exacte ſerventur, & impleantur, omni ſtudio, ac viribus curent, atque contendant.

Denique eoſdem Epiſcopos, & Miſſionarios omnes rogamus, & obſecramus per Dominum Ieſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud ſapientes, præter id, quod a Nobis, & a Prædeceſſoribus Noſtris conſtitutum fuit, ſalutare Dei, quod per eorum miniſterium Regionum iſtarum Gentibus miſſum eſt, pari zelo ac puritate propagare non intermittant; omnique ſtudio dent operam, ut nedum in novellis Chriſtifidelibus veteris hominis veſtigia penitus expungantur, deleanturque, verum etiam quæcumque vel ſymbola, vel imagines, aut figuræ, atque omnis demum ſpecies mala, ipſaque veluti umbra, & odor ethnicæ ſuperſtitionis ab ipſis eliminentur; illud cogitantes, eiuſmodi cæremoniis, vaniſque obſervationibus, quæ Idololatriæ reliquiæ ſunt, earum Gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetuſtos ali, confirmarique errores, quibus miſere detinebantur. Quod ſi aliquos Regionum illarum Fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut perſecutiones, propter Eccleſiæ præceptorum, & Rituum obſervantiam, formidare conſpexerint; illud ipſis illuſtre monitum, quod Sanctus Auguſtinus Eccleſiæ Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non deſinant: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur*; quodque ad ipſos Evangelii præcones præcipue dictum eſſe dignoſcitur: *Si quæritis unde ad vitam vocentur; deſerite ſolemnitates eorum, deſerite nugas ipſorum.*

Volumus autem, atque decernimus, eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Miſſionarii, eorumque Procuratores, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanaverint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; ſed ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, quibuſcumque iuris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis a Sede præfata conceſſorum Privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſa opponi, ſeu obiici poſſent, minime refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; eaſque propterea, omnibus, & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus, & omnino reiectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam eiuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam qua-

quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de iure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Ieſu, & quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Ieſu, ac Eccleſiis prædictis, aliiſve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus & ſpecialiſſima mentione dignis, a Sede prædicta ex quacumque cauſa, etiam per viam contractus, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque Perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Quia vero difficile foret, Litteras huiuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Inſuper volumus, & expreſſe mandamus, ut eædem præſentes Litteræ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus, & ſingulis memoratorum Miſſionariorum, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Ieſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam ſuo, quam prædictorum eis reſpective Subditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas Litteras fideliter exequi, & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis huiuſmodi in ſcriptis reddant; earum vero exempla prædicta, præter ea, quæ a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, ad Epiſcopos prædictorum Regnorum, legitime publicanda, de mandato pariter noſtro, tranſmittentur, iidem Superiores, aut Procuratores Generales pluribus viis, quanto citius fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos Subditos, ſeu Inferiores in Regnis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis eaſdem Litteras, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi.

Et nihilominus, quocumque modo earumdem præſentium exempla in prædi-

cti

Digitized by Google

ctis Regnis legitime publicata fuerint, & promulgata, volumus, ut ſtatim poſt huiuſmodi publicationem, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, præceptorum, mandati, ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, pridie Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno quinto.

D. Card. Paſſioneus.

I. Datarius.

VISA
De Curia I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi.

Anno a Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo quagrageſimo quarto, Indictione ſeptima, die vero 7. menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV. anno quinto, ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum, Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Maioris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis in locis ſolitis, & conſuetis per me Nicolaum Capelli Apoſtolicum Curſorem.

Bandinus Cheti Magiſter Curſorum.

CAPUT XVIII.

PLURES ALIAE CONSTITUTIONES BENEDICTI PAPAE XIV.

Ad morum Theologiam reformandam attinentes.

CONSTITUTIO

Contra Clericos Sæcularibus Negotiis ſe immiſcentes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servum ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Apoſtolicæ ſervitutis commiſſum Nobis divinitus officium aſſidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate ſuborientia mala, quantum in nobis eſt, provida ſollicitudine coercentes, Dominici Ovilis gregem, ſuperna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura conſtringit de iis, qui Eccleſiaſtico Ordini aſcripti, & ad ſanctioris vitæ genus electi aliis in via ſalutis actuum ſuorum claritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac ſollicíti ſumus, ne ceteros Chriſtifideles, quos pro gradus ſui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent, morum ſuorum pravitate a cæleſtium rerum amore ad terrena deſideria avertant.

Cum itaque, ut non ſine gravi animi noſtri mærore accepimus, veſana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaſerit animos, ut illicitam Eccleſiaſticis negotiationem ad evitandas pœnas adverſus illam exercentes a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus ſancitas ſub alieni nominis velamine, Dei timore, Eccleſiaſtici nominis decore, & æterno ſuarum animarum periculo poſthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; & quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæſitis deinde coloribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant, quaſi vel Dei oculos, qui & illuminabit

bit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, latere, vel Supremi Iudicis, qui non fallitur, examen effugere poſſint: nos attendentes quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cæleſtia deſpicere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator ex inope dives, & ex ignobili glorioſus tamquam peſtis, ut B. Hieronymus docet, fugiendus eſt, ad exitioſam huiuſmodi labem ab Eccleſiaſtico Cœtu eliminandam, & ut Sancto Eccleſiæ Dei famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes ſtudeant bene agere, & divites fieri in bonis operibus, theſaurizantes ſibi fundamentum bonum in futurum, omnes, & ſingulas Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum prædictorum Conſtitutiones, illarumque quamlibet contra quoſcumque Clericos illicitos negotiatores deſuper, quomodolibet reſpective cum omnibus, & ſingulis pœnis contra eoſdem Clericos illicite negotiantes editas, quas Conſtitutiones huiuſmodi ac earum quamlibet præſentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omiſſo pro inſertis haberi volumus, motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine noſtris innovamus, confirmamus, & approbamus, eiſque, & earum cuilibet novum Apoſtolicæ firmitatis, & inviolabilis obſervantiæ robur adiicimus, illaſque ſic innovatas, confirmatas, & approbatas cum omnibus, & ſingulis pœnis in eis, & earum qualibet adverſus Clericos illicitos negotiatores huiuſmodi contentis ad Clericos illicite ſub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac ſi per ſe ipſos, ac proprio eorum nomine negotia ipſa illicita exercerent, omneſque, & ſingulæ Conſtitutiones, earumque quælibet adverſus eos deſuper editæ fuiſſent, & in eis, & earum qualibet expreſſi, & denominati reperirentur, motu, & poteſtatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus; illorumque omnia, & ſingula bona ſic ab eis alieno nomine illicite acquiſita ſub inevitabili ſpolii pœna ad formam Conſtitutionis fel. recordat. Pii Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit *Decens eſſe*, ſubiicimus, & ſubiecta eſſe volumus, & declaramus.

Inſuper ut in ſortem Domini vocati depoſitis quocumque mundanarum curarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis, Chriſtum Dominum, qui propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus, per calcatas mundi opes liberius, & expeditius ſequantur, memores ſalutaris illius B. Apoſtoli moniti qui clamat, & dicit: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus; ut ei placeat, cui ſe probavit: per eaſdem noſtras præſentes perpetuo valituras motu, & poteſtatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod ſi aliquod negotium Eccleſiaſticis illicitum perſonis, licet ab eis minime inſtitutum, ſed a laica perſona inchoatum, & ad eoſdem Clericos ſive hereditario iure, aut quocumque alio titulo, ſive ſingulariter, ſive communiter, ſive ſeparatim, ſive coniunctim cum aliis bonis, & aliis coheredibus, aut ſocios proſequuti ſint, illud ſtatim dimittere teneantur. Si vero negotio huiuſmodi ſine ipſius Clerici temporali detrimento ſtatim dimitti nequeat, tunc ſi intra Italiam, Inſulaſque adiacentes exiſtat Clericus, a Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium decretorum Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, ſi vero extra Italiam ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi; proviſo interim, quod negotium huiuſmodi a laico adminiſtretur, impetrare teneatur: dictaque Congregatio, aut Ordinarius loci, perpenſis ſingulorum caſuum circumſtantiis, licentiam impertiatur, tempuſque in eo ad idem negotium dimittendum præſcribat; & ſi Clericus negotium præfatum, licet a laico, ut præfertur, inſtitutum abſque licentia huiuſmodi gratis ſemper ſibi impertienda, aut illud ultra tempus ſibi permiſſum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per ſe ipſum adminiſtraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, & ſingulis etiam ſpolii pœnis præfatis ſubiectum eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe motu, & poteſtatis plenitudine dictis perpetuo volumus, & definimus.

Ac demum eo, quod fel. rec. Prædeceſſor Noſter Pius Papa IV. per ſuas litteras, quarum initium eſt, *Romanus Pontifex*, declaravit præfata Conſtitutione ſuper ſpoliis Clericorum ob illicitam negotiationem a ſe edita Prælatos, Officiales, ac alios Sæculares, & cuiuſvis Ordinis Regulares Clericos, alioſque cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ in Urbe, & Curia, eiuſque diſtrictu decedentes, teſtandi tamen, codicillandi, & alias de bonis ſuis quibuſcumque quomodolibet diſponendi, vel ad ipſorum proximiores, decedentibus illis ab inteſtato, tranſmittendi facultatem ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto, vel ſuorum Officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes nullatenus comprehendi; & quod Paulus Papa V. pariter Prædeceſſor Noſter per ſuas litteras, quæ incipiunt, *In eminenti*, Clericos Cives, & Curiales ſive Incolas huius noſtræ Almæ Urbis, tunc ſuæ, exemit a ſpolio, quoad bona in eadem Urbe, eiuſque diſtrictu intra decem milliaria conſiſtentia, etiam ex redditibus Eccleſiaſticis per eos acquiſita, unde dubitari contigit, an ſuffragetur quoque ad evitandum ſpolium Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: nos Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum noſtrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione huiuſmodi a Civibus, & Curialibus, ſive Incolis Clericis cuiuſcumque Ordinis, ac Dignitatis quibuſcumque indultis, ac privilegiis munitis comparata, & in Urbe, eiuſque diſtrictu præfatis, & ubicumque exiſtentia minime ad præmiſſorum effectum ſuffragari; ſed illa ſic provenientia Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ vero iure ſpolii deberi, perinde ac ſi Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum huiuſmodi ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum impediendum minime emanatæ fuiſſent, motu ſimili pariter declaramus, & ſtatuimus, dictaſque Pii, & Pauli Prædeceſſorum Conſtitutiones quoad præmiſſorum effectum ſortiendum plenarie abrogamus, & abolemus.

Decernentes ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque iudices, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabili Fratri noſtro Annibali S. R. E. Cardinali Epiſcopo Sabinen. Albani nuncupato Camerario noſtro, & eius in Camerariatus Officio Succeſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſpolia ipſa ex bonis ex illicita negotiatione provenientibus, uti vere ſpolia prout alia ipſius Cameræ iura exigi, & recuperari, ac præſentes noſtras litteras inviolabiliter obſervari faciat, nec permittat Cameram ipſam, vel pro ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, perturbari, ac inquietari, contra ductores quoſlibet & rebelles per cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus prædictis Pii, & Pauli prædeceſſorum, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis facultatibus teſtandi, aliiſque privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis conceſſis, approbatis & innovatis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; etiam ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem. Et quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis manu notarii publici ſubſcriptis, & alicuius Prælati ſigillo munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præ-

Digitized by Google

præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Kalendas Martii Pontificatus noſtri anno primo.

D. Card. Paſſioneus,

X. Sub Datarius

Viſa de Curia
N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi. I. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo, Indictione quarta, die vero octava Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV. anno primo, ſupradictæ Conſtitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Ioſephum Maſſimilianum Apoſt. Curſ.

Antonius Pellicia Mag. Curſ.

IX. DECRETUM IUSSU SANCTISS. DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIV. EDITUM

Circam Celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis.

Die ſeptima Ianuarii MDCCXLI.

CUM duo nobiles coniuges Diœceſis Marſicen. obtinuiſſent a Sede Apoſtolica Indultum pro Celebratione Miſſæ in privato ſuæ Domo Oratorio ſic conceptum: Dilecte fili, & dilecta in Chriſto filia Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, voſque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & veſtrum ſingulares perſonas a quibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, & pœnis a iure, vel ab homine quovis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendarum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, qui (ut aſſeritis) locorum Gallichii, & Meſſanelli Marſicen. ſeu alterius Diœceſis iuriſdictionem temporalem in illis, ſeu eorum altero exercentes, Baro, & Baroniſſa reſpective exiſtitis, ut in privatis Domorum Veſtræ habitationis in Civitate, & Diœceſi Marſicen. exiſtentibus Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, ſeu extruendis, & ornandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis per Ordinarium loci prius viſitandis, & approbandis, ac de ipſius Ordinarii licentia eius arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eiſdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem approbatum ſæcula-

larem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque iurium Parochialium præiudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in veſtra, ac natorum, conſanguineorum, & affinium in eadem Domo vobiſcum in ſimul habitantium, familiæque, & quoad Oratoria ruri exiſtentia, etiam in hoſpitum nobilium, veſtrorumque præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis, ac veſtrum quilibet poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod familiares ſervitiis veſtris tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſarii ibidem Miſſæ huiuſmodi intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Februarii 1739.

Cumque exorta eſſet dubitatio, an ex vi huiuſmodi Indulti liceret Miſſam celebrari in privato Oratorio, etiam ſine præſentia alterutrius ex dictis coniugibus, in quos Indulti conceſſio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa reſpective ſententia inter ſe certantium, Sacra Congregatio Concilii, ad quam huius quæſtionis reſolutio delata fuit die 3. Decembris 1740. cenſuit: Non licere: deinde vero Sanctiſſimus Dominus Noſter, reprobata contraria Doctorum ſententia, prædictam Sacræ Congregationis reſolutionem nedum approbavit, verum etiam præſenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non poſſe vigore ſimilis Indulti celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, quando eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum conceſſum eſt: Indultum vero principaliter conceſſum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur nimirum perſonis illis, quæ a tergo eiuſdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut ſine præſentia alicuius ex dictis perſonis minime liceat Miſſæ Sacrificium peragi, etiamſi præſens ſit aliquis ſive ex filiis, ſive ex conſanguineis, ſive ex affinibus, ſive ex familiaribus, ſive demum ex hoſpitibus nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per eiuſmodi Brevia conceditur, quam quod unuſquiſque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares iuxta clauſulam in iiſdem Brevibus inſertam, non ſit ex illis actu non neceſſariis) aſſiſtens Miſſæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præſentia alicuius ex perſonis a tergo brevis proprio nomine nuncupatis, ſatisfaciat obligationi audiendi Miſſam diebus feſtis de præcepto. Sublata igitur, & proſcripta quacumque minus germana interpretatione eiuſmodi brevium, & indultorum in contrarium hactenus facta SANCTITAS SUA ita declaravit, & ſervari omnino mandavit, diſtricte præcipiens, ut omnes Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apoſtolica delegati executioni, & obſervantiæ huius Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio conſtituendas.

A Card. Gentili Præfectus.

C. A. Archiepiſcopus Philippen. Secret.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam. & communionem Sedis Apolicæ habentibus.

B E N E D I C T U S

P A P A XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NON ambigimus, Venerabiles fratres, quin univerſis Catholicæ Re-

ligionis cultoribus notum ſit, a tota per Chriſtianum Orbem Eccleſia inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita perpetuo annumeratum retineri Quadrageſimale ieiunium, quod olim in lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipſius Domini Noſtri Ieſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſuo primordio retentum, & obſervatum eſt. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ conſtituto remedio, per conſortium Crucis Chriſti, nos etiam aliquid in eo, quod ipſe propter nos præſtitit, agimus; ſimulque ad recolenda ſacratiora redemptionis noſtræ myſteria, quæ per Dominicæ Paſſionis, ac Reſurrectionis memoriam, Quadrageſimali potiſſimum tempore ſolemnius celebrantur, purificatis ieiunio corporibus, & animis dignius paramur. Hoc veluti noſtræ militiæ teſſera ab inimicis Crucis Chriſti ſecernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, & cæleſti præſidio in dies adverſus Principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſtifidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitatem, rebuſque publicis, & privatis cladem, exitiumque importatum eſſe conſtat. Ab hac vero inſita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque diebus ieiunio conſecratis perſuaſione, & reverentia quam aliena, quam diſcors, quam abſona ſit hodierna ieiunantium conſuetudo, quantum ab ipſa ieiuniorum inſtitutione, & ſervata ſemper, ubique, & ab omnibus diſciplina quam longiſſime diſtet; Vos Venerabiles Fratres qui populorum curæ veſtræ commiſſorum mores, & uſus probe noſtis, pro ſingulari ſapientia veſtra præ ceteris clarius intelligitis. Nos ſane, quibus, in hac ſublimi Apoſtolicæ procurationis ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis deplorare non poſſumus, auguſtiſſimam Quadrageſimalis ieiunii obſervantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus cauſis ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem plane ſublatam eſſe; itaut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito quærantur; hæreſum vero ſectatores illudant, & exultent. Pernicioſæ huic corruptelæ plurimorum inſuper licentiam adiunctam eſſe dolemus; quæ uſque adeo invaluit, ut nulla Apoſtolici Inſtituti, ſacratiſſimique præcepti habita ratione, ieiuniorum tempore palam, & impune ab iiſdem agitentur convivia, & epulæ interdictæ promiſcue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, ſollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Veſtris communicamus; ita facere non poſſumus, quin pro iniuncto nobis ſupremo ſacroſancti Apoſtolatus officio, & ardentiſſimum Fraternitatum Veſtrarum zelum ad opportunum hiſce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes huiuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium, & corona noſtra, nobiſcum conſiderantes nihil Deo acceptius, nihil paſtorali miniſterio noſtro dignius, nihil gregibus curæ noſtræ commiſſis utilius, quam ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſtifideles ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius ſuſcipiendam conſtantiſſime retinendam, & ea qua inſtituta fuit, diſciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera, atque induſtria ſtudeamus, ut fideles populi in conſpectu Dei per auſteriorem ieiuniorum obſervantiam tales permaneant, quales in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri. Debitum igitur paternæ uniuſcuiuſque veſtrum ſedulitatis, & caritatis officium iure poſtulat, ut omnibus notum faciatis, & annuntietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & de utriuſque Medici conſilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiſcriminatim integræ, non niſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per Sacra Canonum ſtatuta præſcriptis cum debita Apoſtolicæ huius Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſimali ieiunio

Digitized by Google

diſpenſationem toties, quoties opus fuerit concedendam, nec audacter, fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia, ſicut alicubi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam. Graviſſimam vero, urgentemque neceſſitatem etſi non eſt, cur vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum huiuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem, ſicut alias hic Romæ, ac Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſis diſpenſantes expreſſe præſcripſimus, & licitas, atque interdictas epulas promiſcue minime apponendas eſſe. Porro quemadmodum de eiuſmodi Indulgentia tam caute impertienda, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus, diſtrictam Supremo Divino Iudici redditum iri rationem, ita conſcientiam uniuſcuiuſque veſtrum onerandam eſſe ducimus. Inſimul Fraternitates Veſtras rogamus, & in Domino exhortantes obſecramus, ut populos, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeant, commonere ſatagatis, ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta ieiunia decoquere non poſſunt, pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera rediment. Interim ſolatium, & levamen non leve mærori noſtro a paſtorali vigilantia, & caritate veſtra præſtolantes, ac certo nobis pollicentes, Apoſtolicam benedictionem cum uberi cæleſtium chariſmatum copia coniunctam in eoſdem populos veſtros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Menſis Maii 1741. Pontificatus Noſtri Anno primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

CONSTITUTIO.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Ad Epiſcopos directa,

Qua ſuperior Conſtitutio circa Ieiunium declaratur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

IN ſuprema univerſalis Eccleſiæ procuratione, meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ Fidei aſſertores, ſic etiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ Cuſtodes, ac vindices conſtituti, Quadrageſimale præſertim Ieiunium, quod inter præcipua Orthodoxæ diſciplinæ capita ſemper, & ubique ab ipſo Eccleſiæ exordio numeratum eſſe nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna ieiunantium corruptela vindicare, & in priſtinam, quantum benedicente Domino fieri poſſet, obſervantiam revocare cupientes per alias noſtras in ſimili forma Brevis litteras ad Fraternitates veſtras die 30. proxime elapſi menſis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum veſtrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare ſtuderetis, ne hac in parte, & optatum Apoſtolicæ noſtræ ſollicitudinis angoribus levamen, & ſalutare abolendæ ſacratiſſimi Ieiunii corruptelæ remedium deeſſet. Quoniam autem Paternæ Pontificiæ caritatis, quæ novit imbecillitates infirmorum ſuſtinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a ieiunio aliquando ex legitima cauſa, aut graviſſima, urgentique neceſſitate exigente diſpenſandum eſſe ex Apoſtolica benignitate cenſuimus; ita inter cetera præſcripſimus unicam co-

meſtionem ſervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime eſſe apponendas. Hinc factum eſſe accepimus, quod non defuerint qui per humanas, & hominibus a Chriſtiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes ſibi aliiſque perſuadeant, unicam potiſſimum comeſtionem ſervari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiſcriminatim ob urgentem, graviſſimamque neceſſitatem, non vero ſingulis ob legitimam cauſam, & de utriuſque Medici conſilio diſpenſatur. Quam ſane perſuaſionem a ſententia noſtra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuſcumque quacumque occaſione ſive multitudini indiſcriminatim ob urgentem, graviſſimamque neceſſitatem, ſive ſingulis ob legitimam cauſam, & de utriuſque Medici conſilio, dummodo nulla certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, in Quadrageſimæ aliiſque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comeſtionem ſervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime eſſe apponendas tenore præſentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per ſingulas noſtras in pari forma Brevis litteras ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ob corporis infirmitatem, quibus obnoxii reperiuntur, in ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque ieiunio conſecratis diebus veſcendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expreſſe præſcribimus, atque præcipimus. Ea propter Fraternitates veſtras rogamus, atque in Domino obſecramus, ut populos veſtræ curæ commiſſos ad tam opportunum ſanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quiſque ſauciatur, ſanctiſſimi ieiunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, ſedulo, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, ſed longe graviſſimam de obſervando, ſuſtinendoque ieiunio purificandis animis, corporibuſque ſalutari. In ſpem igitur illos erigite cæleſtium præmiorum, quibus aſſequendis non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, immo leve, ac momentaneum non tribulationis, ſed modicæ abſtinentiæ noſtræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cælis. Ab omnibus ſe abſtinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos Chriſtianæ militiæ milites refugientes a conſortio Crucis Chriſti, qui coronam legitime certantibus propoſitam ſperare præcipit incorruptam, ad cuius auſpicium, & pignus Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem iiſdem etiam populis veſtris noſtro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Menſis Auguſti 1741. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Epiſtola Encyclica ad Epiſcopos directa,

Qua duæ Superiores Conſtitutiones circa Ieiunium declarantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Libentiſſime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occaſiones ad veſtros animos excitandos, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparandæ ſedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus Dignitati, ad quam Nos, li-

licet immerentes, erecti fuimus, coniunctam eſſe intelligimus ſollicitudinem aliarum Eccleſiarum, Nobiſque commendatam, qui plane tenuitatem virium Noſtrarum non ignoramus.

Cum itaque præſentium litterarum argumentum totum ſit de ieiunio, quod tempore Quadrageſimæ, veteri Eccleſiæ inſtituto, ac lege Fidelibus indicitur, ſupervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadrageſimæ Inſtitutione, & Patrum, & Conciliorum omnes ſuper hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur, ſed potius alienum, & nullo modo conſentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Hiſtoriæ cognitione præſtantes arbitramur. Porro ad ſcribendas has litteras adducti fuimus graviſſimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ ſeſſ. xxv. de Reformat. præcipit Epiſcopis omne ſtudium impendere, ut Fideles ipſorum Curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præſcribuntur: ut illis omnibus, & iis præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & ieiunia.

Ubi primum Bononienſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab Sede Anconitana translati fuimus) Mandatum evulgavimus (quod libro primo Inſtitutionum Noſtrarum pro Viris Eccleſiaſticis decimo quinto loco continetur.) In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime ſolvendos ieiunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam cauſam, & legitima prius auctoritate interpoſita, Quadrageſimæ abſtinentiam non obſervarent: minime, inquam, ſolvendos a ieiunio, ita ut liceret ipſis quolibet die menſam bis inſtituere, non unica vice, veſpertina ſuperaddita refectione, quæ permitti ieiunantibus conſuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati rem totam in examen iterum revocavimus, & præſtantiſſimis quoque Viris demandavimus ipſam diligenter, accurateque perpendere, ac ſuas denique opiniones Nobis exponere. His peractis huiuſmodi controverſiæ finem tribuere conſtituimus, illudque decrevimus, ne ulla in poſterum ſive peculiaris, ſive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad menſam tempore ieiunii, vel Quadrageſimæ, niſi conditio ſervandi ieiunii, ſive unius comeſtionis interponatur: & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere menſam eamdem carne, ac piſcibus inſtruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæſtionibus exiſtimavimus unicam ſingulis diebus comeſtionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum ieiunium indicitur, rite obtinuerunt; & pravam illam conſuetudinem, quæ apud multos nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in menſam cum piſcibus, poſtquam ipſi Quadrageſimalis abſtinentiæ præcepto ſoluti fuerunt, ob eam potiſſimum cauſam, quod grave detrimentum ſaluti ab eſu piſcium accipiant.

Hæc apertiſſime conſtant ex noſtris Apoſtolicis litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Epiſcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt, Non ambiguimus; alteræ vero, In ſuprema. Nos profecto nulli umquam elargiti ſumus veſci carnibus, cum tempus Quadrageſimæ, ſive aliud ieiunium præcipitur, niſi indicta, ſcriptaque conditione, quam ſuperius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epiſtolæ, ac Mandata veſtra Litteris noſtris Apoſtolicis omnino conſentanea, quibus pro virili parte contendiſtis adducere Populos Vobis ſubiectos, ut propoſitam in illis diſciplinam pie ſervarent.

Interim promulgatis iiſdem Apoſtolicis Litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ ſunt a nonnullis, uti Nos antea facili coniectura ſuſpicati fuimus. Plures etiam quæſtiones propoſitæ Nobis fuerunt exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ, vel ipſius Legis verbis, vel ſenſu penitus corruant, ac diſſolvantur. At-

Digitized by Google

tamen Sacro Tribunali Noſtro Pœnitentiariæ rerum huiuſmodi conſcio, ac peritiſſimo eaſdem quæſtiones expendendas commiſimus, quibus omnibus plene, cumulateque, quoties opus fuit, ſatisfecit.

Archiepiſcopus Compoſtellæ in Hiſpaniarum Regnis primus Inquiſitor nuperrime vita functus longam ad Nos dedit Epiſtolam, qua plures recenſebat difficultates, quæ Litteris Noſtris Apoſtolicis adverſabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diverſas opiniones, ac ſententias abirent in ſolvendis quibuſdam quæſtionibus, quibus Litteræ Noſtræ Apoſtolicæ cauſam, & occaſionem præbebant; ac proinde de illis iudicium Noſtrum exquirebat. Equidem Archiepiſcopi Litteræ Nos graviſſimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæſtiones in ipſis expoſitas percurrimus, viſum Nobis eſt non quidem expeti, ut iis quæſtionibus reſponſum fieret, ipſiſque ſolutis nullum impedimentum ſive obſtaculum Noſtris Litteris Apoſtolicis ſupereſſet; ſed potius, ut obiectis cavillationibus ad optatum finem ipſæ minime adducerentur. Accedit etiam quod Epiſtola Archiepiſcopi multis argumentationibus, & obſcuris vocibus redundabat; quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiſcopo reſponſum redderemus; illi tamen ſatisfecimus, res præcipuas ex eius litteris delibantes, & quæſtiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum noſtris occupationibus tribuendum teſtati ſumus, quod tarde ipſi reſponſum daremus, eius ſtudium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut conſilium expoſceret. Deinde prolatis quæſtionibus ſatisfacere non prætermiſimus, illum tamen monentes de Inſtituto Summorum Pontificum, qui leges condere ſolent, diſciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi cauſas obiiciunt, ut quæ conſtituta ſunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis litteris Archiepiſcopus paulo poſt vitæ curſum abſolvit: Itaque non immerito ſuſpicamur, reſponſa noſtra, quæ litteris continebantur haud cognita fuiſſe, & perſpecta illis, qui quæſtiones excitaverant. Poſt hæc alii pariter ex Hiſpanis Epiſcopis nonnullas ex iiſdem quæſtionibus nobis propoſuerunt; quare iiſdem reſponſis uſi ſumus, quæ tradita prius Archiepiſcopo Compoſtellæ a nobis fuerant. Non defuerunt etiam præſtantes inter Italos Theologi, qui litteras noſtras Apoſtolicas datas anno 1741. egregiis Commentariis illuſtrarunt. Idem contigit reſponſo, quod fecimus Archiepiſcopo Compoſtellæ die 8. Iulii anno 1744. quod ſane integrum ſuis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri eiuſmodi ad vos fortaſſe nondum pervenerunt, vel curis aliis diſtenti illos percurrere minime potuiſtis, his Litteris Encyclicis adiungimus illas pariter, quas (uti dictum ſæpius eſt) ad Archiepiſcopum Compoſtellæ iampridem ſcripſimus, ut quæ diſciplina veſtris in Diœceſibus tenenda ſit, plane cognoſcatis, ac ne vos deterreant difficultates, ſi quæ a captioſis hominibus concitentur.

VENERABILI FRATRI

ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLAE

BENEDICTUS PAPA XIV.

VEN. Frater ſalutem &c. Si Fraternitas tua ſecum reputabit quot graviſſimis & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præſertim difficillimo tempore, prorſus Nos teneat impoſita tenuitati Noſtræ ſollicitudo omnium Eccleſiarum, non ſane mirabitur, tamdiu ſibi procraſtinatum fuiſſe reſponſum ad eas Litteras, quibus Apoſtolica auctoritate diſſolvendas rogaſti obortas in Hiſpania diſputationes aliquas e duabus noſtris Epiſtolis ad omnes Epiſcopos ſuperioris Anni 1741. 10. Maii, & 22. Auguſti, quibus intra legitimos fines coercuimus invaleſcentem

tem Eccleſiaſtici ieiunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de ſingulari noſtro in religioſiſſimam Hiſpanam Eccleſiam amore, unde Nos, immenſa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum ſibi in omni ſua perplexitate ſalutis iter opem noſtram præſto habet. Quamquam igitur, dum prænuntiatas Conſtitutiones edidimus, non aliud propoſitum Nobis fuerit, ac refrenare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quicquid ſubtili indagatione deduci poſſit ex propoſita a Nobis ieiunandi regula; tamen eximia paterna caritate complectimur adeo obſervantiſſimos Romanæ Sedis Hiſpanos, tantique facimus obſecrationes tuas, ut occurrere anxietati veſtræ libenter adiecerimus animum, & Nos ipſi quæſtiones abs te propoſitas dirimendas conſtituerimus. Sic autem ſe habent.

I. Utrum quæ in antedictis Noſtris Litteris in forma *Brevis* de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Reſpondemus: Concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eaſdem facultates non aliter dare, quam geminis hiſce adiectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comeſtionis, & non permiſcendarum epularum. Eos vero, qui huiuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obligari.

II. An ii, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ ieiunantibus permittitur?

Reſpondemus: Non licere; ſed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.

III. An qui ieiunii tempore veſci carnibus permittuntur, & unica comeſſatione uti debent, horam ieiunantibus præſcriptam ſervare opus habeant?

Edicimus, obſervandam iis eſſe.

IV. Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis coniungi?

Reſpondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo, dies quoque Dominicos Quadrageſimales complectatur? Affirmatur complecti.

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt ova, & lacticinia?

Reſcribimus: Nihil in prænunciatis Noſtris Apoſtolicis Litteris ſtatutum eſſe, quod reſpiciat gratioſum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem ſtricte, & conſiderate perpendant, ex eiuſque ſententia ſe gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excuſatione ſe ſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi legibus.

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadrageſimam?

Reſpondetur: Urgere extra Quadrageſimam utrumque præceptum: illud ſcilicet unicæ comeſtionis cum reliquis legibus in ſecundo, & tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis: & alterum non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt.

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quicquid apud Vos ex noſtris ſæpius nuncupatis Apoſtolicis Litteris dubitationem attuliſſe ſcribis. Qua quidem in re laudavimus conſilium tuum interrogandæ ſupremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti greſſu ad Oves ſana doctrina imbuendas incedere Paſtores queant: in iſtoque tuo ſuſcepto conſilio agnovimus Hiſpanam religionem, nihil ſibi tutum, niſi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua ſplendidiſſima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hiſpania ſibi peperit. Cavendum autem vobis eſt (idque plurimum ad te per-

tinet, qui illuſtris Archiepiſcopi, & Inquiſitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti ſollicitudine nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut iſtiuſmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, diſputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna umquam diſceptatione fluctuent animi, præſertim cum Conſtitutiones ipſæ Aſtolicæ ſcopum, quo tendunt, aperte demoſtrent, & illuc prompte dirigi poteſt quicquid dubitando interturbare videatur. Id ſi animadvertiſſent qui de præſenti negotio plura dubitarunt, nodum ſibi exſolviſſent. Patebat enim, nihil aliud Nobis in animo fuiſſe, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium ſacri ieiunii fines prætergreſſi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus inſtitutum, hoſti huic ſpiritus infenſiſſimo blandiebantur. Statim ſiquidem comperiſſent quid in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet, nec ſibi moleſtiam exhibuiſſent, nec Nobis, quos graviſſimæ undique circumſtant curæ, non parum temporis occupaſſent, quod tamen pro ſingulari noſtro in veſtram gentem ſtudio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monſtrandum, in poſterum ſimul præcaventes, quomodo in huiuſmodi quæſtionibus firmare greſſus veſtros in promptu ſit. Reliquum eſt, Ven. Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ noſtræ pignus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertiamur.

Datum &c. 8. Iulii 1744.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis Sanctæ Memoriæ

GREGORII PAPAE XV.

Contra Sacerdotes eorum Pœnitentes in Confeſſionibus Sacramentalibus ad turpia ſollicitantes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SAcramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, nos licet immerentes ad Univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; & quod in ſalutem, & curationem animarum a Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas litteras in forma Brevium ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 30. Auguſti 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis confeſſionibus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes; & deinceps ſucceſſivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura ſubinde a Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitorum ſub die 11. Menſis Februarii anno Domini 1661. prodierunt Decreta, & a

rec.

rec. mem. Alexandro Papa VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die 24. Septemb. 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem S. Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant; ſed animo ſecum recolentes, ſe a Chriſto Domino præſides, & iudices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent; motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra præfatas litteras huiuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus; atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam ſæculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectos, quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, Congregationum, & cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio, & indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint: & quos in aliquo ex huiuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas iuxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: dantes etiam ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei iniurioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, iam alias in præfata Conſtitutione tributam procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad confeſſiones audiendas conſtituti teneri ſe, ac obligari ſuos Pœnitentes, quos noverint, fuiſſe ab aliis ut ſupra ſollicitatos, ſedulo monere iuxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denuntiandi Inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis prædictis perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui iuriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem iam effluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne pœnitentibus, quos noverint iam ab alio ſollicitatos, Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denuntiatio-

tio-

tionem prædictam ad effectum perducentes delinquentes indicaverint competenti Iudici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei Iudicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Iudices falſo ſollicitationis inſimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili huiuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat; a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.

Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Iudicii & Sac. Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum co temptum, & Eccleſiæ iniuriam longe ſummovere, & tam exitioſa huiuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori Suo, ac Noſtro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac Noſtra in perpetuum valitura Sanctione, quemadmodum a pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones iam factum eſſe novimus, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus cuiuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, & indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno ſuffultis, auctoritate Apoſtolica, & Noſtra Poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo iure quacumque auctoritate, & iuriſdictione ad qualemcumque perſonam ad huiuſmodi culpam abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tamquam impertita a Sacerdote, qui iuriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus. Et nihilominus ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, maioris quoque excommunicationis pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cuiuſcumque Iubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cuiuslibet indulti confeſſionem dicti complicis huiuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſarius, utpote qui in huiuſmodi peccati, & Pœnitentis genere iuriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate a Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ vel Iubilæi Univerſalis, & Plenarii, necnon quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum

Digitized by Google

rum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordinarii tam præſentes, quam futuri pro tempore exiſtentes in approbatione Confeſſariorum tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris, quam præſentem hanc Noſtram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei; memores præterea ſint ſe locum tenere, ac vices obire ſummi atque æterni Sacerdotis, qui ſanctus, innocens, impollutus per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Sedulo igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus & pulſantibus eorum culpa cælum claudatur, ne deperditæ oves ad ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi Filii egentes, & ſaucii ad Cæleſtem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via ſunt, confodiantur.

Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicuius Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1741. Kalend. Iunii Pontificatus Noſtri anno primo.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

X. Sub-Datarius

Pro D. Card. Paſſioneo

Caietanus Amatus.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI 1741. Indictione 4., die vero 17. Iunii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BE-

Digitized by Google

BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno primo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatoria, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Righum Apoſtolicum Curſorem.

Sebaſtianus Amadori Mag. Curſ.

DECLARATIO

SUPERIORIS CONSTITUTIONIS INCIPIENTIS

SACRAMENTUM POENITENTIAE

Anno 1741. edita.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolici muneris partes in procuranda præcipue rerum Sacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere probe intelligentes, non modo & aſſiduis hortationibus, & iuſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque miniſtris ſancta ſancte tractentur, quantum cum Domino poſſumus providere ſtudemus, verum etiam leges ipſas, ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare pro earumdem tuendo vigore cum occaſio popoſcerit non prætermittimus. Sane cum Nos alias per quamdam noſtram Conſtitutionem cuius initium eſt, Sacramentum Pœnitentiæ, anno Incarnationis Dominicæ 1741. 1. Kalendis Iunii Pontificatus Noſtri anno primo editam omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere auderet; ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omnino eſſet, tamquam impertita a Sacerdote, qui iuriſdictione, & facultate ad valide abſolvendum neceſſaria ipſi per Nos vigore eiuſdem Conſtitutionis adempta privatus exiſteret, & alias prout in memorata Conſtitutione, cuius tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe accepimus, quarum reſolutionem privato cuiuſcumque iudicio relinquendam minime exiſtimamus, ne lex incertis coniecturis & opinionibus iactata in ſenſus a mente Noſtra alienos forſitan diſtrahatur, eiuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur. Hinc eſt, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem Noſtram cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratre Noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Noſtro maiori, ac dilectis Filiis officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem iuſſu Noſtro mature perpenderent, deliberatione, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſu-

ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab huiuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici re ipſa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit; etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad Confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertire. Porro ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, eiuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam Noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: immo intelligat teneri ſe gravius huiuſmodi pericula quantum in ſe erit antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſſionis abſque illius infamia vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ Noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos, aut quovis modo ſe ſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, & alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ Sacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente præſumpſerit, quamvis huiuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: (non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam iuriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat;) nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu eiuſmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione maiorem excommunicationem, eodemque plane modo quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Februarii 1745. Pontificatus Noſtri anno quinto.

D. Cardinalis Paſſioneus.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Qua ceſſiones commodi exigendi fructus beneficiorum prohibentur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſalis Eccleſiæ cura, quam inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ committere dignata eſt, inter ceteras ſollicitudines exigit etiam ac poſtulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ e liberali Eccleſiæ manu acceperunt, abutentes, eorum reditus, non ſine aliorum fidelium ſcandalo, inconſulta prodigalitate diſperdant, ſed tamquam boni diſpenſatores ita adminiſtrent, ut & vitæ ſuæ neceſſaria provideant, & pauperum inopiæ, & Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrant.

Relatum eſt ad aures Noſtras, quoſdam Clèricos Eccleſiaſticis Beneficiis cum onere, vel ſine onere reſidentiæ proviſos, turpibus ut plurimum ex cauſis impulſos, annuos eorumdem Beneficiorum reditus, quos, donec viverent, percipere poſſent, unico actu alienare ſub nomine cedendi commodum, ſeu utilitatem percipiendi fructus eorumdem Beneficiorum, quos alteri quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam ſummam, & quantitatem, quam ipſi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, veriſimiliter conſequi potuiſſent. Cum autem iſti improvidi Clerici inſtar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio ſcriptum eſt, cum ſubſtantiam ſuam a Patre recepiſſet, totam ſtatim conſumpſiſſe luxurioſe vivendo, & deinde facta fame valida, coactum eſſe vivere de ſiliquis immundorum animalium; pia Eccleſiæ ſubſidia, & Eccleſiaſticos proventus in ſuas explendas cupiditates improbo huiuſmodi contractu profundant; multa hinc, & gravia mala, ut experientia ipſa compertum eſt, evenire ſolent. Nam primum non leve dedecus Eccleſiaſtico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus ſcandalum generatur, dum vident, Eccleſiaſticas pecunias, quæ ſunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Chriſti, in pravos uſus inſumi, vel improvida profuſione diſſipari, quæ ab Eccleſiaſticis tamquam probis diſpenſatoribus in ſolamen pauperum, & Eccleſiarum reſtaurationem impendi deberent. Præterea ſæpe huiuſmodi Clerici ad ſummam rediguntur egeſtatem, & ut ſe ſuſtentare poſſint, vel indecore non ſine infamia Clericalis gradus mendicant, vel indignis quæſtibus, & negotiis operam præbent, Eccleſiam autem, & Eccleſiaſticas res quodammodo averſantur quaſi fraudati mercede, vel ſtipendiis ſuis, quæ nullius culpa, ſed ſolum vitio, & flagitiis ſuis amiſerunt; Ideo Eccleſiaſtica munera, vel numquam, vel negligenter obeunt, Divinam Pſalmodiam, ſi ad eam in publicis Eccleſiis ratione ſuorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oſcitanter perſolvunt, Eccleſiaſticos cœtus non frequentant, animarum ſalutem non curant, divina faſtidiunt, mundana ſectantur.

Volentes igitur hanc improbam conſuetudinem, & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis Ordinis fama minuitur, & honor conculcatur, Eccleſiæ autem debito ſervitio, pauperes opportunis ſubſidiis, & ſacræ ædes neceſſariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio, ac certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnibus Clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio inſignitis interdicimus, & prohibemus, ne in poſterum audeant ſub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective Beneficiorum reditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum

gum

Digitized by Google

gum tempus recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam ipſi Beneficiati per eiuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent, ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ, quas rurſus hic contra eoſdem Clericos ſic contrahentes renovare, decernere, ac ſtatuere intendimus, & volumus. Et inſuper ad uberiorem cautelam, & quatenus opus ſit, omnes huiuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtate ſimili damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, eoſque nullos, caſſos, ac irritos decernimus, & declaramus, illoſque ſuis auctoribus tamquam invalidos, caſſos, irritos, atque inanes, viribuſque, & effectu ab initio vacuos neque in iudicio, neque extra ad ullum effectum ſuffragari debere, neminemque ad eorum obſervantiam obligari, etiamſi pluries iuramento firmati, & vallati ſint; ſed nullum inde ius cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimum temporis ſpatium acquiri umquam poſſe pariter præcipimus, & iubemus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore impugnari, & retractari poſſe, ſed ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter obſervari: ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indultis, conceſſionibus, & gratiis Apoſtolicis tam generalibus, quam particularibus, quantumvis ſpeciali mentione, & nota dignis quibuſcumque Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis ſuperioribus, & inferioribus Eccleſiarum Prælatis etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac eorum, & noſtris familiaribus continuis Commenſalibus, necnon Litterarum Apoſtolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceteriſque Romanæ Curiæ Officialibus conceſſis, & confirmatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut autem facilius præſentes Litteræ omnibus innoteſcant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excuſari poſſit, iubemus eaſdem ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, publicari, earumque exempla affigi: volumuſque, eas ſic publicatas omnes, & ſingulos perinde afficere, & obligare, ac ſi illis ipſis fuiſſent ſingulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis etiam impreſſis, manuque Notarii publici, & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici, vel eius Curiæ obſignatis eamdem prorſus fidem adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtri decreti, conſtitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo-

pri

primo, quarto Kalendas Septembris Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

X. Sub-Datarius.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die vero tertia Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſecundo ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Ioſephum Olivetanum Apoſt. Curſ.

Antonius Tellicia Mag. Curſ.

CONSTITUTIO

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Qua præſcribitur ordo, & forma in iudiciis cauſarum matrimonialium ſuper matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda ſervandus.

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

DEI miſeratione, cuius iudicia incomprehenſibilia ſunt, & viæ inveſtigabiles, in ſuprema Eccleſiæ ſpecula immerentes conſtituti, ut ſuper univerſum Dominicum gregem excubias ſedulo agamus, ad commiſſum Paſtoralis Officii munus pertinere dignoſcimus, ſubnaſcentes ex infernalis hoſtis aſtutia, & hominum malitia abuſus, quibus & animarum ſaluti pernicies, & Sacramentis Eccleſiæ iniuria infertur, radicitus evellere, & poteſtatis Nobis deſuper traditæ operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis ſervetur auctoritas.

Siquidem matrimonii fœdus a Deo inſtitutum, quod & quatenus naturæ officium eſt pro educandæ prolis ſtudio, aliiſque matrimonii bonis ſervandis, perpetuum, & indiſſolubile eſſe convenit; & quatenus eſt Eccleſiæ Catholicæ Sacramentum, humana præſumptione diſſolvi non poſſe, Salvator ipſe ore ſuo pronuntiavit dicens: „ Quod Deus coniunxit, homo „ non ſeparet: " ad aures Apoſtolatus noſtri pervenit in quibuſdam Eccleſiaſticis Curiis inconſulta nimis iudicum facilitate infringi, & temere, atque inconſiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis ſententiis poteſtatem coniugibus fieri tranſeundi ad alia vota. Quos ſane improvidos Iudices humanæ naturæ conditione, & voce ipſa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia ſanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indiſſolubilem primus humani generis parens præmonuit inquiens: „ Hoc nunc os ex „ oſſibus meis, & caro de carne mea: " Et illud additum eſt: „ Quamobrem relinquet „ homo Patrem ſuum, & Matrem, & „ adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in „ carne una. "

Huiuſmodi autem abolendæ pravitatis notitia diverſis ex partibus Nobis delata eſt, atque etiam indicata ſunt exempla nonnullorum Virorum, qui poſt primam, & ſecundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam Iudicum præcipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus ſuperſtitibus ad quartas contrahendas nuptias devenerant, & ſimiliter feminarum, quæ poſt primum, ſecundum, & tertium maritum, quarto etiam illis quoque viventibus, ſe iunxerant, non ſine pu-

Digitized by Google

puſillorum ſcandalo, & bonorum omnium deteſtatione, qui ſacra matrimonii vincula ita contemni, & temere perfringi dolebant. Nos autem his intellectis gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, & non prætermiſimus Apoſtolicæ Noſtræ ſollicitudinis partes in Domino adimplere. Si quidem primo Pontificatus Noſtri anno ad Epiſcopos illarum partium, in quibus prædicta acciderant, pleniſſimis datis litteris, graviter conqueſti ſumus de huiuſmodi pravitate, quæ in Eccleſia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & Paſtoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Epiſcopis, ubi huiuſmodi pravum dirimendorum matrimoniorum uſum irrepſiſſe cognovimus.

Verum nobis reſponſum eſt, id ſæpe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima inſtantia, cum cauſa coram Iudice Ordinario ex aliqua legitima cauſa cognoſci nequit, vel in ſecunda, cum in partibus nullus adeſt Iudex, ad cuius Tribunal cauſa in gradu appellationis devolvatur, vel ſi adeſt, iuxta de cauſa coram eo diſceptari nequit, cauſæ matrimoniales huiuſmodi a Sede Apoſtolica committuntur, qui ob inſcitiam, vel ob malam voluntatem proclives ſunt ad matrimonia diſſolvenda, atque eadem matrimonia, levi, vel etiam habito nullo examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum ſuper nullitate ſuorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui diſſolutionem matrimonii poſtulat, in Iudicio compareat, & ſententia, nullo contradicente, ſecundum ſua vota obtenta, ad alias Nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in Iudicium venientibus, alter, qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, ſententia de nullitate matrimonii prolata, nullus eſt, qui ad ſuperiorem Iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in ſpecie quidem diſcordes, revera inter ſe concordes ſunt, & invicem colludentes contractum matrimonium diſſolvi cupiunt; vel quia pars, quæ pro validitate matrimonii ſtabat, eiuſque nullitatem acriter contra adverſarium impugnabat, lata a Iudice ſententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia ſibi ad ſumptus litis non ſuppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum neceſſariis, & inceptum opus, ac cauſam poſt primam ſententiam deſerit: quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium ſe conferat.

Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo cauſæ matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iuſtitia unicuique integre, ſapienterque adminiſtranda ſolliciti eſſe debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſcriptis vigeſimaſexta Auguſti anno ſecundo Pontificatus Noſtri providere curavimus, in quibus ea præſcripſimus, quæ ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino conſona, ſi diligenter, ut ſperamus, ſerventur, impoſterum cauſæ nonniſi perſonis congrua iuris peritia, & neceſſariæ probitatis, ſpectatæque fidei munitis præſidio committentur. Inſuper ad ea, quæ in iiſdem encyclicis litteris conſtituta ſunt, id etiam in præſenti adiungimus: Quod quamvis Concilii Tridentini decretum, quo cauſæ matrimoniales ſubtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum iudicio, & Epiſcoporum tantum examini, & iuriſdictioni reſervatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliiſque inferioribus, qui in eadem Diœceſi conſtituti, vel privilegio aliquo, vel præſcriptione ſaltem in viſitatione cauſarum matrimonialium cognitionem ſibi adrogabant; idcirco minime obſtet commiſſionibus, quæ pro iiſdem cauſis matrimonialibus definiendis a Sede Apoſtolica alicui eorum in ſecunda inſtantia fierent; nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos huiuſmodi commiſſionum, ſeu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum cauſarum matrimonialium cognitionem non committant niſi Epiſcopis, præſertim vicinioribus; vel ſi nullus ſit Epiſcopus, cui ex legitima cauſa commode com-

mitti poſſit, tum commiſſio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui ſecundum Ordinem, & modum a Nobis in præfatis encyclicis litteris præſcriptum pro Iudice idoneo ab Epiſcopo cum conſilio ſui Capituli nominatus fuerit.

Quod vero ad ordinem, & ſeriem iudiciorum in cauſis matrimonialibus pro debita, & congrua earum terminatione ſervandum ſpectat, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra in perpetuum valitura ſanctione conſtituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis in ſuis reſpective Diœceſibus perſona aliqua idonea eligatur, & ſi fieri poteſt, ex Eccleſiaſtico cœtu, iuris ſcientia pariter, & vitæ probitate prædita, quæ matrimoniorum defenſor nominabitur, cum facultate tamen eam ſuſpendendi, vel removendi, ſi iuſta cauſa adfuerit, & ſubſtituendi aliam æque idoneam, & iiſdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotieſcumque perſona ad matrimoniorum defenſionem deſtinata, cum ſe occaſio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

Ad officium autem defenſoris matrimoniorum huiuſmodi, ut ſupra electi, ſpectabit in iudicium venire quotieſcumque contigerit, matrimoniales cauſas ſuper validitate, vel nullitate coram legitimo Iudice diſceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adeſſe examini teſtium, voce, & ſcriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium ſuſtinendum neceſſaria cenſebit.

Et demum defenſoris huiuſmodi perſona, tamquam pars neceſſaria, ad iudicii validitatem, & integritatem cenſeatur, ſemperque adſit in iudicio ſive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, ſive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defenſor autem cum ei munus huiuſmodi committetur, iuramentum præſtabit fideliter officium ſuum obeundi, & quotieſcumque contigerit ut in Iudicio adeſſe debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rurſus idem iuramentum præſtabit; quæcumque vero, eo non legitime citato, aut intimato, in Iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, caſſa declaramus, ac pro nullis, caſſis, ac irritis haberi volumus, perinde ac ſi citata, & intimata non eſſet ea pars, cuius citari intererat, & quam iuxta legum, & Canonum præſcripta ad legitimam iudicii validitatem citari, aut intimari omnino neceſſarium erat.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem cauſas huiuſmodi cognoſcere pertinet, controverſia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, & exiſtentibus in iudicio, vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat; defenſor matrimonii partes omnes officii ſui diligenter adimpleat. Itaque ſi a Iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, & nullus ſit, qui appellet, ipſe etiam ab appellatione ſe abſtineat: idque etiam ſervetur, ſi a Iudice ſecundæ inſtantiæ pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, poſtquam Iudex primæ inſtantiæ de illius nullitate ſententiam pronuntiaverat; ſin autem contra matrimonii validitatem ſententia feratur, defenſor inter legitima tempora appellabit adhærens parti, quæ pro validitate agebat: cum autem in Iudicio nemo unus ſit, qui pro matrimonii validitate negotium inſiſtat, vel ſi adſit, lata contra eum ſententia, Iudicium deſeruerit, ipſe ex officio ad ſuperiorem Iudicem provocabit.

Appellatione a prima ſententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oſcitantiam, vel colluſionem defenſoris, & partium interpoſita, ſi ambo, vel unus ex coniugibus novas Nuptias celebrare auſus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non ſolum ſerventur quæ adverſus eos, qui matrimonium contra interdictum Eccleſiæ contrahunt, ſtatuta ſunt, præſertim ut invicem a cohabitatione ſeparentur, quoadusque altera ſententia ſuper nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non ſit appellatum, vel appellatio interpoſita deſerta deinde fuerit; ſed ulterius ut con-

Digitized by Google

contrahens, vel contrahentes matrimonium huiuſmodi omnibus pœnis contra polygamos a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis conſtitutis omnino ſubiaceant, quas in eos, quatenus opus ſit, motu, ſcientia, ac poteſtate ſimili rurſus ſtatuimus, decernimus, ac renovamus.

Poſteaquam vero appellationis beneficio ad alterum Iudicem cauſa in ſecunda inſtantia delata fuerit, omnia, & ſingula quæcumque coram Iudice in prima inſtantia ſervanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in ſecunda exacte, ac diligenter cuſtodientur, citato in quolibet Iudicii actu defenſore matrimonii, qui voce, & ſcripto Matrimonii validitatem ſtrenue, ac pro viribus tuebitur; & ſi Iudex in ſecunda inſtantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apoſtolicæ Nuntius, aut Epiſcopus vicinior; matrimonii defenſor ſit, qui ab ipſo fuerat deputatus, quemadmodum ipſi deputare mandamus, ut quæ a Nobis ſuperius conſtituta ſunt peragere poſſit. Si autem Iudex in ſecunda inſtantia erit Iudex commiſſarius, cui a Sede Apoſtolica cauſæ cognitio demandata ſit, & qui Tribunal, & iuriſdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defenſore matrimonii; volumus, ut illo defenſore matrimonii utatur, qui conſtitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Diœceſi cauſam cognoſcet, etiamſi idem Ordinarius ſit, qui primam ſententiam in eadem cauſa pronuntiaverit.

Inſtructo autem in hunc modum Iudicio, ſi ſecunda ſententia alteri conformis fuerit, hoc eſt, ſi in ſecunda æque ac in prima nullum, ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, & ab ea pars, vel defenſor pro ſua conſcientia non crediderit appellandum, vel appellationem proſequendam minime cenſuerit; in poteſtate, & arbitrio coniugum ſit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam cauſam id vetitum non ſit; poteſtas tamen poſt alteram ſententiam conformem, ut ſupra, coniugibus facta intelligatur, & locum habeat, ſalvo ſemper, & firmo remanente iure, ſeu privilegio cauſarum matrimonialium, quæ ob cuiuſcumque temporis lapſum numquam tranſeunt in rem iudicatam; ſed ſi nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, reſumi poſſunt, & rurſus in iudicialem controverſiam revocari. Quod ſi a ſecunda ſententia ſuper nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiuſmodi ſit, ut ei, ſalva conſcientia, defenſor matrimonii acquieſcendum non putet, vel quia ſibi videtur manifeſte iniuſta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia inſtantia, & ſit revocatoria alterius præcedentis ſuper validitate in ſecunda inſtantia emanata, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias tranſeundi nuptias, quas ſi contrahere auſi fuerint pœnis, ut præfertur, a Nobis conſtitutis ſubeſſe decernimus, cauſa in tertia, vel quarta inſtantia cognoſcatur, ſervatis diligenter omnibus, quæ a nobis in prima, & ſecunda inſtantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato, & audito defenſore matrimonii, qui a Iudice tertiæ inſtantiæ deputatus fuerit. Defenſor autem matrimonii, quem ad munus ſuum gratis obeundum pro amore Dei, & proximi utilitate, & Eccleſiæ reverentia in Domino exhortamur, ſi operam ſuam ſine mercede, aut ſalario aliqua ex cauſa exhibere recuſaverit, ab ipſius cauſæ Iudice ei conſtituatur, & ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, ſi ipſi facultas ſit, ſolvatur; ſin minus a Iudice primæ vel ſecundæ, vel tertiæ inſtantiæ reſpective ſubminiſtrabitur, qui pecuniam, ex mulctis ſuorum Tribunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas, in huiuſmodi ſumptus inſumere poterunt. Cum vero Iudices cauſæ erunt Iudices Commiſſarii, qui neque forum habent, & conſequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defenſori matrimonii ſatisfiat ex pecunia mulctarum illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi Iudex Commiſſarius iuxta Sedis Apoſtolicæ mandatum Iudicium exercebit.

Hactenus quidem quoad cauſas matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam

i ij per-

pertractantur. Quoad cauſas vero, quæ Romæ diſceptandæ ſunt, cum earum cognitio in prima inſtantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe, eiuſque ſuburbiis, & diſtrictu Vicarium Noſtrum in ſpiritualibus pro tempore ſpectet, mandamus ac iubemus, ut omnia, & ſingula, quæ in aliis cauſis extra Romanam Curiam pertractandis præſcripta fuerunt, nempe, ut iudicium peragatur citato, & audito deſenſore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut ſupra, omnino ſerventur, tum etiam in aliis cauſis, quæ in prima inſtantia ex conſenſu partium, vel in ſecunda per appellationem ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio interpoſitam, vel in tertia Romam deferuntur: quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium ſuper interpretatione, & executione Concilii Tridentini vel in cauſarum Palatii Noſtri Auditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro tempore iuſtis ex cauſis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ curiæ Prælatorum deputanda. Cum autem cauſa ſuper matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, deſenſor matrimonii a Cardinali Præfecto eiuſdem Congregationis; ſi vero in Palatii noſtri auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis; ſi demum in Congregatione particulari, a perſona eiuſdem Congregationis digniore deputetur. Unica quidem reſolutio pro nullitate matrimonii emanata, ſi cauſa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoſcatur, & ſimiliter in Palatii Noſtri Auditorio unica ſententia ſuper eadem nullitate pronuntiata minime ſufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi; ſed ſi cauſa in præfata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rurſus in eadem ad deſenſoris matrimonii inſtantiam reproponatur; ſi vero Congregationi particulari commiſſa fuerit, ad petitionem eiuſdem deſenſoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; ſi vero in Palatii Noſtri Auditorio iudicata ſit, a præfato deſenſore appellatione interpoſita ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum, ſeu turnum definiatur; ſi autem cauſa univerſo Tribunali commiſſa fuerit, ab omnibus Auditoribus rurſus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in caſu matrimonii vinculum diſſolutum cenſeatur, niſi duo iudicata, vel reſolutiones, aut ſententiæ penitus ſimiles, & conformes, a quibus neque pars, neque deſenſor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint: quod ſi ſecus factum fuerit, & novum initum matrimonium, noſtræ voluntatis huiuſmodi tranſgreſſores pœnis a nobis ut ſupra ſtatutis ſubmittantur.

Et quoniam ſæpe apud Sedem Apoſtolicam preces porrigi ſolent pro diſpenſatione matrimonii rati, & non conſummati, quæ ut plurimum pro voto conſultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnumqnam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti ſolent, ut huiuſmodi inſtantiæ ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus ut ſupplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti ſpecies contineatur, cauſæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam diſpenſationem conducere poſſe a ſupplicante cenſentur, ut Romanus Pontifex eo lecto, & mature conſiderato, ſecum deliberare poſſit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua poſteaquam ſuum votum conſultivum editum fuerit, a Secretario eiuſdem Congregationis totius negotii ſeries exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro ſua prudentia iudicabit, an Congregationis reſolutio ſit approbanda, vel potius totius cauſæ examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rurſus committendum.

Demum volumus, ac decernimus eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, va-

validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime, & inviolabiter obſervari. Sicque & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac eoſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus verborum, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma in illis tradita obſervata eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentes litteræ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent, quodque earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur; ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtri Decreti, Statuti, Conſtitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem tertio nonas Novembris anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

D. Card. Paſſioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

X. Sub-Datarius

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

Anno a Nativitate D. N. IESU CHRISTI, MDCCXLI. Indictione quarta, die vero 29. Novembris Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſecundo ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſo-

ſolitis, & conſuetis Urbis per me Ioannem Triſelli Apoſt. Curſ.

Nicolaus Cappelli Mag. Curſ.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

Ad Epiſcopos directa,

Circa occultorum Matrimoniorum contractionem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAtis vobis compertum eſſe non dubitamus, Venerabiles Fratres, eam ſemper fuiſſe piæ Matris Eccleſiæ vigilem curam, ut Sacramentum matrimonii, magnum ab Apoſtolo nuncupatum, publice, & palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, impoſterum obſervaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcepit, ut impoſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur; deindeque nullo legitimo concurrente impedimento ad illius celebrationem in facie Eccleſiæ coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Teſtibus præſentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus apud Parochum diligenter librum cuſtodiri, in quo coniugum, & teſtium nomina, dieſque, & locus matrimonii deſcribantur.

Providæ tamen hujuſmodi leges, tanta auctoritate ſaluberrime inſtitutæ, prava horum temporum conditione prolabi viſæ ſunt, & enerves propemodum reddi, ob matrimonia uſu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri poteſt, oblitteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo iaceat conſepulta. In more etenim poſitum eſt, illa celebrari nullis præviis factis denuntiationibus coram ſolo Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, adbibita præſentia tantum duorum Teſtium appoſite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum eſt ſuſpecta; remque peragi ſæpe extra Eccleſiam, quandoque etiam intra illam, ianuis tamen occluſis, vel eo temporis momento, quo ſemota alterius cuiuſvis præſentia, ſcientia initi matrimonii, præter Parochi, contrahentium, teſtiumque perſonas, alios penitus effugiat.

Quantum a Sacramenti dignitate, & ab Eccleſiaſticarum legum præſcripto occulta hæc matrimonia, conſcientiæ vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, ſatis ſuperque coniicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitioſos illorum effectus convertat. Hinc gravia ortum habent peccata, præſertim vero eorum, qui Divini Iudicii interminatione poſthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia ſpe futuri matrimonii decepta, & in turpem ſecum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere ſecretum matrimonium audeant, poſt alterum ſecreto itidem contractum, & nondum prioris coniugis morte ſolutum, ſeſeque magno ſcelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in huius magni Sacramenti contemptum poſt primas ſecreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, ſeſe audacius polygamia pariter innodare non perhorreſcant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque matrimonii ſuſpicionem ſubmovendam, Virum ſeorſim a muliere vivere contingat, ſublata eſt illico individua vitæ conſuetudo, & contemptum eſt verbum Domini: „Adhærebit homo Uxori ſuæ, „ & erunt duo in carne una.“ Sin hæc vitæ conſuetudo ſervetur, nemo eſt qui

qui illam criminis non arguat, & utpote deteſtabilem, in ſcandali materiam non traducat. Neque illata per ſcandalum diſpendia rependit ſubſecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris deliteſcit, & ab omnibus ignoratur.

Leviora quoque damna non ſunt; quæ ſuſceptæ Proli irrogantur. Sæpe enim contingit illam a Parentibus, & a Matre præſertim amotam, nec pie, nec liberaliter inſtitui; ſed incertis fortunæ caſibus obiectam relinqui; niſi etiam Parentes ipſi contra naturæ leges auſu nefario illius vitæ inſidientur. Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat, illoſque ad ſobolem alendam, inſtituendamque humanitas ipſa compellat; alia imminet liberis ſuſceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum & bonorum iactura, pro quorum poſſeſſione aſſequenda, quamvis clament iura ſanguinis; illis tamen careant neceſſe eſt propter occulta Parentum matrimonia, & ademptam legitimitatis, & filiationis probationem. Huic etiam malorum origini ſunt referenda ipſa quoque ſecreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra Patris iuſte diſſentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri ſoleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus Ordinibus conſtituti penſiones, & Beneficia, ad Divinum cultum, & Eccleſiaſtica munia inſtituta, etiam poſt initum clam matrimonium retinuerint, ſibique de mammona iniquitatis loculos miſerrime comparaverint.

Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apoſtolicæ Sedis ſpecula omnes ſibi vindicent noſtræ vigilantiæ curas; temperare non poſſumus, quin vos ipſos, Ven. Fratres, in partem noſtræ ſollicitudinis evocantes, veſtram pietatem, & zelum excitemus ad cuſtodiendas vigilias noctis ſuper Grege vobis credito, quem luctuoſa horum temporum conditio in diſcrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occaſio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium ſæpe per malitioſam ſuggeſtionem petunt diſpenſari. Quam caute, ſolerterque oporteat ea in re Epiſcopos verſari, non obſcura vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præceſſerint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel ſaltem Parocho, & duobus Teſtibus præſentibus matrimonium celebretur, & deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Epiſcopo relictum ſit omnimode ſuper denuntiationibus diſpenſare tamen hæc facultas, non a ſola diſpenſantis voluntate pendet, ſed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, diſcretique arbitrii legibus, quod idem eſt, ac legitimam cauſam diſpenſationis requirere.

Parem quoque, immo fortaſſe maiorem vigilantiam neceſſe eſt a vobis adhiberi, ne poſt remiſſas denuntiationes celebretur matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipſo Parocho, vel a vobis deputato, præſentibus duobus vel tribus Teſtibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim ut ad præſcriptum ſacrorum Canonum licite fieri poſſit, non ſatis eſt obvia quævis, & vulgaris cauſa, ſed gravis, urgens, & urgentiſſima requiritur. A Sacro noſtræ Pœnitentiariæ tribunali, eo potiſſimum caſu ſit poteſtas ita celebrandi matrimonium, quo vir, & femina in figura matrimonii publice degentes, & de quibus nulla viget criminis ſuſpicio, in occulto tamen concubinatu perſeverent: facile enim quiſque conjiciet, quam abſonum eſſet, eos, a ſtatu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium præviis denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia diſpenſatio præmiſſo caſui ſolum congruat, cum alii ſimiles, & fortaſſe urgentiores eſſe poſſint, in

Digitized by Google

quibus diſpenſari expediat; ſed quia Veſtri Paſtoralis officii partes verſari debent in ſedulo inveſtiganda legitima, & urgenti cauſa diſpenſationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuoſos habeant exitus, quos intimo cordis mærore recenſuimus.

Hunc porro in ſcopum vos hortamur, & impenſe admonemus, ut perſonarum matrimonium ſecreto contrahere petentium, diligens fiat a Vobis inquiſitio: An ſcilicet eius qualitatis, gradus, & conditionis ſint, quæ id probe expoſcant; An ſint ſui, vel alieni iuris; An filiifamilias, quorum Nuptiæ Patri iuſte diſſentienti ſint inviſæ; ab Epiſcopali etenim, quod geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occaſionem: An res ſit de perſonis Eccleſiaſticis, licet in minoribus Ordinibus conſtitutis penſiones, & Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, ut deteſtabilis illorum retentio in ſtatu uxorato congruis remediis poſtea compeſcatur. Potiſſimum vero curet veſtra ſollicitudo, antequam ſecreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara, & indubia, & a quavis fraude immunia exhibeant documenta ſtatus liberi ad avertendum ab iis, qui imbrobi ſunt ingenii, polygamiæ periculum.

Quod attinet ad miniſtrum ſecreti matrimonii volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia perſonarum, experientia, & diuturnus rerum uſus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effeciſſe præſumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumſtantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi expoſcere videantur, gravi impellente cauſa, is Sacerdos a vobis eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Miniſtro a vobis deputando diſtincte præcipiatur, ne matrimonio interſit, niſi prius paterna caritate coniuges in Domino monuerit, ſobolem procreandam regenerari quamprimum oportere ſacro Baptiſmatis lavacro; ac Chriſto Iudici diſtrictam reddituros eſſe rationem, niſi Filios ut legitimos agnoverint, eoſque pietate, boniſque moribus imbuerint, & frui patiantur bonis temporalibus, a maioribus in ſupremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem matrimonio indilate a Parocho, vel alio Sacerdote coram quo initum eſt, exhibeatur Epiſcopo illius ſcriptum documentum cum nota loci, & temporis, teſtiumque, qui celebrationi interfuerunt. Veſtrum erit poſtea diligenter incumbere, quod ad perennem geſtæ rei memoriam præfatum documentum fideliter tranſcribatur in libro prorſus diſtincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Huiuſmodi liber pro matrimoniis ſecretis appoſite compactus, clauſus, & Sigillis obſignatus in Veſtra Epiſcopali Cancellaria caute erit cuſtodiendus: & eo tantum caſu reſignari, & aperiri veſtra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia deſcribi oporteat, vel id ſibi vindicet iuſtitiæ adminiſtrandæ neceſſitas, vel demum aliquod documentum ab eo expoſcant verum intereſſe habentes, quibus probationum aliunde petendarum non ſuppetit copia: ſedulo tamen animadvertentes, quod re abſoluta, denuo claudatur, & Sigillis, ut antea, obſignetur. Fides, ſeu atteſtationes clam celebrati matrimonii a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi geſſit, exarandæ, vobiſque exhibendæ, tranſcribantur in dicto Libro, prout iacent de verbo ad verbum a perſona a vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat teſtimonium. Fides vero, & atteſtationes ipſæ in ſecretiori loco ſartæ, tectæque a Vobis ſerventur.

Quod ſi ex occulto huiuſmodi matrimonio prolem naſci contingat, eadem mundetur ſalutari aqua Baptiſmi in Eccleſia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indiſtincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium, facile eſt in libro Baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum, & eorum nomina conſulto reticeri: volumus,

Digitized by Google

mus, ac expreſſe mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre, ſuſcepta Proles vobis denuntietur; dictaque denuntiatio fiat, vel immediate per Parentes ipſos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam perſonam ab ipſis Parentibus deſignatam, ut certo, & clare Vobis conſtet, quod proles tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falſo expreſſis nominibus Parentum baptizata, eſt legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ ſane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter deſcribentur ab eo, cui facta a Vobis eſt poteſtas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriuſque Parentis nomina referentur, quamvis diſtingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iiſdem cautelis in Cancellaria Epiſcopali clauſus, & Sigillis obſignatus erit cuſtodiendus, prout Librum matrimoniorum caute cuſtodiri ſupra mandavimus.

Quia vero nonnulli deeſſe non poſſunt, qui propriæ conſcientiæ vocibus obſurdeſcant, & noſtris hiſce mandatis parere negligant; debita pœnarum diſtrictione pro modo culpæ a vobis puniantur. Quinimmo cum ſatis nobis experientia compertum ſit in huiuſmodi negotiis homines in terram oculos declinantes ob humanos reſpectus tardiores effici, & a recte agendi ſemita revocari: mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari, & nota fieri, ſi certo vobis conſtiterit ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuiſſe ſobolem, & baptizatam ſuppreſſis Parentum nominibus, nulla præſtita vobis notitia, ut par erat, ab illius Parentibus intra triginta dies a nativitate numerandos.

Ne autem contumaces, & inobedientes violatæ fidei, proditique ſecreti Paſtores ſuos inſimulent; ſedulo a vobis curandum eſt, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro ſecreta celebratione matrimonii a vobis deputando, coniuges clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti ſecreti matrimonii celebrationem ut ſoboles inde procreanda non ſolum regeneretur ſacro Baptiſmate, ſed poſt Baptiſma denuntietur Epiſcopo cum nota loci, & temporis adminiſtrati Sacramenti, ac ſincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum ſupra præmiſſum eſt; alioquin matrimonium, licet contractum data per Epiſcopum ſecreti Fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, & ad propulſandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam iacturam. Volumus denique, ac mandamus, fides, ſeu atteſtationes matrimonii clam initi, & ſobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum eſt, apud vos caute cuſtodiendis tantam promereri fidem, quantam ſibi alii libri Parochiales Baptiſmatis, & matrimonii vindicare conſueverunt.

Hæc a Vobis, Ven. Fratres, in hac temporum calamitate obſervari enixe præcipimus ad communem animarum ſalutem, & ad præſidium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter invaleſcentem hominum malitiam nova ſemper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Ceterum noſtris hiſce litteris ſublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, conſona dignoſcet prudentia veſtra, ad Paſtorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ caritatis, & benevolentiæ teſtem Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 17. Novembris 1741. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Super Clauſura Monaſteriorum quorumcumque Virorum Regularium.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regularis diſciplinæ obſervantiam ante etiam, quam & Generalium, ac Particularium alicuius Nationis aut Provinciæ Conciliorum decretis confirmaretur, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum legibus, ſanctionibuſque præſcriberetur, quoad vetitum mulieribus quibuſcumque, etiam conſanguineis intra quorumcumque religioſorum virorum clauſuram ingreſſum tam integerrime cuſtoditam fuiſſe conſtat, ut, nedum feminis quibuſcumque, ſed maſculis quoque, non tam ad Monaſteriorum clauſtra, ſeu ſepta, quam ad ipſa eorumdem Monaſteriorum Oratoria, & Eccleſias nullus patuerit aditus, & acceſſus; quin immo ſub graviſſimis pœnis fuerit interdictus; ne ſcilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I. Prædeceſſor noſter, in ſervorum Dei ſeceſſibus occaſio præbeatur popularibus conventibus, & ſimpliciores ex hoc animas, plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat. Huiuſmodi autem regularis diſciplinæ obſervantia, etſi pro temporum varietate, ac neceſſitate tot, tantaſque ſubiit vices, ut iidem Prædeceſſores Noſtri aditum, & acceſſum ad publicas Monaſteriorum Eccleſias dumtaxat ſive maſculis, ſive feminis ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium audiendi, prædicationibus verbi Dei intereſſendi, & Sacramentum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendi, ac peccata ſua confitendi cauſa, ſine tamen Parochorum præiudicio, interdum conceſſerint; viciſſim tamen ipſi Prædeceſſores Noſtri tam ante Concilii Tridentini decreta, quam poſt eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque providis, ſaluberrimiſque Conſtitutionibus, ordinationibuſque ſub pœna etiam excommunicationis latæ ſententiæ feminis quibuſcumque aditum, ingreſſumque huiuſmodi intra Monaſteriorum clauſuram interdixerunt. Quoniam autem ſicut dolentes accepimus, alii quidem Apoſtolicas leges, ac præcepta huiuſmodi vel auſu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, feminis quibuſcumque aditum, ingreſſumque tam manifeſte, ac tanta ſolemnitate vetitum permittunt; alii vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas conceſſiones ſibi ſive a iure, ſive ab homine factas, & impertitas, ſeu facta, & impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, ſeu debita arrogantes, prætendentes, obtendenteſque feminas quaslibet intra Monaſteriorum clauſtra, ſepta, cœnacula, cubicula, aliaſque officinas, aut admitti, ac recipi ſinunt, mandantque, aut una ſecum ducunt; alii denique ſub pietatis, ac religionis prætextu, cum ſupplicationes, ſive cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſive cum ſacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus per clauſtra, ſepta, & alia Monaſteriorum loca de more, ut aſſerunt, habentur, ſine ullo prorſus diſcrimine maſculos, & feminas ſupplicationes huiuſmodi per eadem loca ſequi, & comitari licitum, quin immo, ut indulgentias lucrari valeant, neceſſarium eſſe obtendunt: hinc eſt, quod Nos, qui, dum in minoribus eſſemus, quamplurimos huiuſmodi abuſus compertos habebamus, in hac ſublimi ſacroſancti Apoſtolatus ſpecula conſtituti, non tam aſſiduis nonnullorum aliarum Eccleſiarum Antiſtitum documentis, quam iuſtis etiam Superiorum, aliorumque virorum ex religioſis Ordinibus Dei honorem, & inſtituti ſui diſciplinam zelantium expoſtulationibus de antedictis, ſimilibuſque abuſibus in dies admonemur ut opportunum, ac ſalutare iiſdem abuſibus tollendis, quantum cum Domino poſſumus, remedium afferamus; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium primum quidem omnes, & ſingulas Conſtitutiones

ſan-

ſanctioneſque a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris tam ante, quam poſt Concilii Tridentini decreta ſuper clauſura Monaſteriorum quorumcumque religioſorum virorum editas renovamus, & confirmamus, necnon in poſterum ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſub iiſdem pœnis in Conſtitutionibus, ſanctionibuſque eorumdem Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum, & decretis eiuſdem Concilii Tridentini contentis inviolabiliter obſervandas eſſe ſtatuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Deinde motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine earumdem præſentium tenore omnia, & ſingula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas conceſſiones omnibus, & ſingulis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac iuriſdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſive ſingulis, ſive eorum Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, ſive qui Provinciis & Legationibus Status noſtri Eccleſiaſtici pro tempore præſunt, ſive quos ad cariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illuſtres, aliaſque ſummas Poteſtates, prout rerum conditio poſtulaverit, mitti, & ablegari contigerit, ſive qui, licet aliarum inſignium Eccleſiarum Antiſtites, tamen tamquam Apoſtolicæ huius S. Sedis Legati de latere alias nuncupati, & habiti ſunt, & fortaſſe habentnr, aut haberi & eſſe prætendunt, & in poſterum habendi ſunt; ſive Ordinarii, ſive Extraordinarii Noſtri, & eiuſdem Apoſtolicæ Sedis ubicumque etiam ad ipſos Imperatorem, & Reges, ac ſummas Poteſtates Nuntii, ſive Inter-Nuntii reſident; ac demum quibuſcumque aliis quocumque nomine, & expreſſione nuncupatis perſonis, quocumque tempore, a quibuſvis, etiam ab ipſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, quacumque de cauſa, occaſione, titulo, colore, & prætextu per quaſcumque Apoſtolicas, ſive in ſimili forma Brevis, ſive ſub plumbo expeditas litteras ſub quibuſcumque verborum formis facta, data, conceſſa, & impertita, ſive factas, datas, conceſſas, & impertitas ſub huiuſmodi acceſſu, & ingreſſu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon a datarum earumdem præſentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorſus vigoris eſſe, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore ſuffragari ſtatuimus, decernimns, & declaramus quemlibet omnium antedictorum etiam ſpeciali mentione dignorum quacumque facultate huiuſmodi temere uti audentem ipſo facto abſque ulla alia declaratione pœnas, & Eccleſiaſticas cenſuras, a quibus, præterquam a Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolvi non poſſit, incurrere, & incurſum eſſe; licentiamque huiuſmodi cuicumque conceſſam nullo modo ſuffragari, atque nullius momenti perinde ac ſi minime conceſſa fuiſſet, ipſo facto fore, & haberi, ac pœnas, & cenſuras ipſo facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri, & incurſas eſſe. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ & dignitatis exiſtant ſeu alia ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac in-

incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve, quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, ſeu ſe iuvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de iure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus ac uſibus, & ſtylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis prædictis, aliiſque quibuslibet perſonis, etiam quacumque Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conciſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum per præſentes non intendimus derogatum eſſe iis conceſſionibus, quæ ad favorem quarumcumque Nobilium feminarum, ex eo, quod ſive eorumdem maiores, ac pro tempore exiſtentes de familia fuerint, & habeantur fundatores, vel inſignes benefactores illius Monaſterii intra cuius clauſtra, vel ſepta feminas etiam de familia ingredi vel conceſſum, vel cautum eſſe ſibi voluerunt, & de conceſſione huiuſmodi confirmationem ab Apoſtolica hac Sancta Sede obtinuerunt; ſive feminæ huiuſmodi ſint conſanguineæ, & affines eorum, qui ſunt Domini in temporalibus locorum, in quibus Monaſteria ſita reperiuntur, & quacumque legitima tituli, vel conſuetudinis cauſa, & occaſione ingreſſu huiuſmodi de præſenti gaudent, factæ, & impertitæ fuerunt; dummodo conceſſiones huiuſmodi per Apoſtolicas in ſimili forma Brevis, vel ſub plumbo deſuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuiſſe prius Ordinariis locorum Antiſtitibus, vel Præſulibus per legitima, & authentica documenta conſtare fecerint; & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec perambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, & officinas diſcurrendi cauſa, ſeu ad Eccleſiam accedendi, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum

Digitized by Google

Deum pietatis officia, & opera exercendi ſtudio ingrediantur ; & dummodo de earum adventu, & ingreſſu, interdiu, & opportune faciendo Superiores pro tempore exiſtentes prius certiores fiant ad hoc, ut abſque fratrum incommodo, & offenſione recto tramite ad Eccleſiam pergatur, & alia de iure ſervanda ſerventur. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die tertia Ianuarii anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, die vero quarta Ianuarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſecundo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Antonium Pellicia Apoſtol. Curſ.

Nicolaus Cappelli Mag. Curſ.

CONSTITUTIO
SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Super Clauſura Monialium.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlutare in Catholica Eccleſia inſtitutum ab ipſa antiquitate ſuſceptum, ac tanta cum ſollicitudine, & paſtorali zelo cuſtoditum, ut flos ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti, Sacræ Virgines, quarum, quo ſublimior gloria eſt, maior, & cura eſt, intra Monaſteriorum ſepta, & clauſtra, vigili, ſollicitaque cuſtodia ſervarentur; tam ante, quam poſt Tridentinæ Synodi decreta Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri tot ſanctiſſimis legibus, & initis Apoſtolicæ providentiæ, caritatiſque conſiliis communire, & confirmare ſtuduerunt, ut quæ ſe Chriſto dicaverint, & a carnali concupiſcentia recedentes, tam carne, quam mente ſe Deo voverint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum. Quoniam autem etſi providas huiuſmodi ſanctiones, Conſtitutioneſque, ſi ea, qua decet, regularis diſciplinæ obſervantia cuſtodirentur, ſatis eſſe ſcimus, ut Virgines ea, quæ cæleſtis earumdem ſponſi Ieſu Chriſti ſunt, cogitantes ſint Sanctæ & corpore, & ſpiritu, longa tamen experientia edocti, & aſſiduis Venerabilium Fratrum aliarum Eccleſiarum Antiſtitum querelis admoniti, ſupremas Apoſtolicæ auctoritatis, providentiæque partes requiri, ut abuſibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut ſibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut obtendentium facultatem alias ſibi quomodolibet ſive a iure, ſive ab homine conceſſam, vel demandatorum munerum rationem debitam

tam eſſe, ut ſive ipſi, ſive alii ingredi clauſuram Monialium, aut ipſæ Moniales e clauſura ob quaſcumque etiam non legitimas cauſas egredi, & extra clauſuram huiuſmodi commorari poſſint, licentiam concedendi indulgentia ſenſim invectis opportune occurratur: hinc eſt, quod Nos pro ſuprema omnium Chriſtifidelium procuratione imbecillitati noſtræ in univerſalis Orthodoxæ Eccleſiæ regimine divinitus impoſita opportunum abuſibus huiuſmodi remedium, quantum cum Domino poſſumus, adhibere ſatagentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, omnes, & ſingulas Conſtitutiones a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris tam ante, quam poſt Concilii Tridentini Decreta ſuper clauſura Monialium renovamus, & confirmamus; necnon in poſterum omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſub iiſdem pœnis in Conſtitutionibus eorumdem Prædeceſſorum Romanorum Pontificum, & Decretis Concilii Tridentini præfati contentis inviolabiliter obſervandas eſſe ſtatuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Præterea motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine earumdem præſentium tenore omnia, & ſingula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas conceſſiones, omnibus, & ſingulis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac iuriſdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſive ſingulis, ſive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, ſive qui Provinciis, & Legationibus Status noſtri Eccleſiaſtici, qui pro tempore præſunt, ſive quos ad cariſſimos in Chriſto Filios noſtros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illuſtres, aliaſque ſummas Poteſtates, prout rerum conditio poſtulaverit, mitti, & ablegari contigerit; ſive qui, licet aliarum inſignium Eccleſiarum Antiſtites, tamen tamquam Apoſtolicæ huius S. Sedis Legati de latere alias nuncupati, & habiti ſunt, & fortaſſe habentur, aut haberi, & eſſe prætendunt, & in poſterum habendi ſunt; ſive Ordinarii, ſive Extraordinarii noſtri, & eiuſdem Apoſtolicæ Sedis ubicumque etiam apud ipſos Imperatorem, & Reges, ac ſummas Poteſtates Nuntii, ſive Internuntii reſident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iiſque omnibus ſuperioribus, quibus tamquam Ordinarii, & ordinaria iuriſdictione utentibus Monialium Monaſteria ſubiecta, & addicta ſunt, in caſibus tamen neceſſariis, & ſervatis aliis de iure ſervandis, & non aliter omnino) ac demum quibuſcumque aliis quocumque nomine, & expreſſione nuncupatis perſonis quocumque tempore a quibuſvis etiam ab ipſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris quacumque de cauſa, occaſione, titulo, colore, & prætextu per quaſcumque Apoſtolicas, ſive in ſimili forma Brevis, ſive ſub plumbo expeditas litteras ſub quibuſcumque verborum formis factas, datas, conceſſas, & impertitas ſub huiuſmodi ingreſſu revocamus abolemus, annullamus, atque irritamus; necnon a datarum earumdem præſentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorſus momenti, ac vigoris eſſe, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore ſuffragari, ac quemlibet omnium antedictorum etiam ſpeciali mentione dignorum quacumque facultate huiuſmodi, ſive pro ſe, ſive pro aliis temere uti audentem, ipſo facto, abſque ulla alia declaratione pœnas, & Eccleſiaſticas cenſuras contra violantes clauſuram Monialium inflictas, a quibus præterquam a Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſit, incurrere, & incurſum eſſe; licentiamque huiuſmodi conceſſam nullo modo ſuffragari, ac nullius momenti perinde ac ſi minime conceſſa fuiſſet, ipſo facto fore, & haberi, ac pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas ipſo etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri, & incurſas eſſe ſtatuimus, decernimus, ac declaramus. Decernentes eaſdem præſentes.

Digitized by Google

tes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alia ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quamvis iuridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſima, & totalis læſionis nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, ſeu ſe iuvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de iure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtilis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis prædictis, aliiſque quibuslibet perſonis etiam quacumque Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conciſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud ubique locorum ha-

habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die tertia Ianuarii anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, die vero quarta Ianuarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV. anno ſecundo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Antonium Pelliccia Apoſt. Curſ.

Nicolaus Cappelli Mag. Curſ.

SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Ad Epiſcopos directa,

De Doctrina Chriſtiana præſertim pueris tradenda.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolica benedictionem.

ETſi minime nobis dubitandum ſit, omnes, quibus animarum cura credita eſt, voſque præſertim Ven. Fratres ad Apoſtolatus officium evectos, atque in Prælationis faſtigio a Deo conſtitutos, in id potiſſimum ſollicitudinem intendere, ut Chriſtianus Populus cæleſtis Doctrinæ pabulo enutritus, & rudimentis fidei ſaluberrime inſtructus in ſemitam mandatorum Domini, facem vobis præferentibus, feliciter dirigatur; temperare tamen non poſſumus, quin vos ipſos noſtræ auctoritatis, ac paternæ dilectionis ſtimulis excitemus ad tam pium, tamque ſalutare opus Doctrinæ Chriſtianæ impenſiore cura provehendum, ſublatis iis impedimentis, quæ animarum ſaluti adverſantur.

Quia vero ſcientibus legem loquimur, & vigiles Eccleſiarum hortamur Antiſtites, quibus nec pietatis, nec alia ſacrarum litterarum deſunt præſidia, ſupervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis non ſatis eſſe ad Cæleſtem Beatitudinem aſſequendam in confuſum, & involute a Deo revelata, & ab Eccleſia Catholica propoſita Myſteria; ſed hanc cæleſtem Doctrinam divinitus traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi, ac fidelis miniſterio ita eſſe accipiendam, ut ſingillatim illius capita explicentur, & eorum aliqua neceſſitate medii, aliqua vero neceſſitate præcepti fidelibus ad credendum proponantur. Præterea licet per fidem iuſtificari dicamur, cum ea ſit humanæ ſalutis initium, & fundamentum; ad futuram tamen, quam inquirimus, Civitatem, ut pervenire aliqando mereamur, ſatis compertum eſt ſolam fidem non ſufficere; ſed viam noſſe, conſtanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, & Eccleſiæ, tum virtutes, quas proſequi, tum vitia, quæ ſtudioſe declinare debemus. Quæ quidem omnia cum primis Catholicæ fidei rudimentis, ſive Doctrina, ut aiunt, Chriſtiana contineantur; Epiſcopalis muneris exigit ratio, ut illa in ſingulis Diœceſibus, & ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec poſſe Epiſcopos ſine tacito conſcientiæ convicio illam negligere, ſed in hoc opus maxime neceſſarium omnem curam, & diligentiam conferre debere.

Id tamen oneris non ita Epiſcopo impoſitum eſſe intelligimus, ut ipſe per ſe Doctrinæ Chriſtianæ ſemper interſit, pueros interroget, & Myſteria fidei, quam profitemur, aperiat. Nimium quippe novimus, in Paſtoralis ſollicitudinis munere

Digitized by Google

re prægravari Apoſtolicæ ſervitutis ſarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononienſem Eccleſiam regeremus, multis, variiſque curarum veluti fluctibus iactari Præſulem ſuo ſatis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, ſi Epiſcopus, alieno etiam a viſitatione Diœceſis tempore, quandoque adſit ubi Doctrina traditur Chriſtiano homine digna, pueros puellaſque de rebus antea auditis ſciſcitetur, ac Myſteria noſtræ religionis evolvat, & annuntiet, Paſtoris operam in maximam crediti ſibi Gregis utilitatem ceſſuram, eiuſdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

Hanc adminiſtrandæ Eccleſiæ quaſi legem ſibi dixerunt nedum veteres, ſed recentiores etiam Præſules Beatorum Civium Albo adſcripti; Carolus nempe Borromeus, Franciſcus Saleſius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui (ut litteris conſignatum eſt) cum gravioribus diſtenti, atque impediti curis, adeſſe coram non poſſent, operæ, ac diligentiæ ſuæ Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus deſignabant, qui, ſuſceptis Paſtoralis miniſterii partibus, adoleſcentibus ad omnia religiónis officia fidei elementis informarent.

Optimum ergo, & ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antiſtitis exemplum, ſi quod antea dictum eſt, id omni tempore, præſertim vero dum obit Diœceſim, in ſingulis Parœciis impleverit. Sed, ut quiſque facile coniiciet, ad hoc vires eius non ſuppetunt. Ideoque, ut propoſitum aſſequatur, neceſſe eſt, diligentia, quanta poteſt maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuoſi operis Vicarios conſtituit, ſtudium, ac ſedulitas deſideretur.

Duo potiſſimum onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum ſunt impoſita: alterum ut feſtis diebus de rebus divinis ſermonem ad populum habeant; alterum, ut pueros, & rudiores quoſque divinæ legis, fideique rudimentis informent. Si ſtatis diebus eam Parochi concionem habebunt, quæ non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis obſtrepat auribus, ſed captui auditorum accommodata in eorum animos oſtenſione ſpiritus illabatur; ſi myſterium aliquod annuntiabunt, in primis vero, quod eo tempore Eccleſia recolit, ea diſſerentes, quæ ad virtutem incitamento ſint, & ad vitia fugienda, graviora præſertim, & quæ fœdius graſſantur in populo; ſi diebus ipſis (hoc enim pariter debent ſuo muneri) pueros tamquam infantes modo genitos nutriant doctrinæ lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando; ſi demum cum Apoſtolo attendant lectioni, exhortationi, & doctrinæ, ut perfectus ſit homo Dei & ad omne opus bonum inſtructus: fas eſt credere, exitum optatis reſpondere poſſe, & populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum facile extiturum.

Verum ſatis experientia compertum eſt, imparem eſſe ſolius Parochi laborem; cum nequeat unus omnes inſtruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Epiſcopus toto animo, ac ſtudio in Eccleſiam ſibi commiſſam incumbat, numquam neceſſariis, & opportunis deſtituetur auxiliis: ſemper enim inveniet, qui tonſura initiari, qui per minorum, qui per Sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii faſtigium promoveri, qui denique ad Eccleſiaſtica Beneficia viam ſibi munire ſtudeant. Graviſſimis idcirco verbis (& verbis facta reſpondeant) affirmet Epiſcopus numquam ſe facturum, ut Tonſura inauguret grandiores ætate, aut minores, præſertim vero maiores Ordines iis conferat, qui in tradenda chriſtiana doctrina operam ſuam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum numerum idem Epiſcopus in ſingulas ſuæ Civitatis, & Diœceſis Parochias apte diſtribuat, & eorum aliquos determinatæ Eccleſiæ adſcribat. Denuntiet præterea, ac fidem præſtet in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum Iure plurimum apud ſe ponderis, & momenti habiturum ſtudium, & diligentiam in hoc opus a Clericis collatam: atque ita re ipſa conſtabit, non Rectori tantum impoſitum eſſe docendi mu-

munus, ſed plures illi præſto eſſe, ut omnes officii ſui numeros cumulate implere poſſit.

His accedit Sacris Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſeptima præſertim felic. record. Leonis X. Prædeceſſoris Noſtri edita in Concilio Lateranenſi ſaluberrime cautum fuiſſe, ut tam ludimagiſtri diſcipulos ſuos, quam piæ feminæ puellas inſtituentes, ſana, incorrupta doctrina (Epiſcopo id potiſſimum urgente) tamquam pabulo vitæ nutriant, & confirment. Conſtat etiam, ipſum Epiſcopum poſſe, ac debere ſacris Oratoribus quam diligentiſſime commendare, ut pro concione in parentum aures animoſque ingerant, ſua intereſſe Myſteriis noſtræ religionis ſuſceptam prolem imbuere: & ſi ad id minus idonei fuerint, filios in Eccleſiam adduci oportere, in qua divinæ legis præcepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, & ubi non ſit recepta, inducenda conſuetudo invaluit, ut Parocho idem munus proſequenti auxilium ferant laici, tum viri, tum mulieres in chriſtiana inſtitutione veluti adiutricem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apoſtolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque ſodalitia erecta ſunt, quorum cura in explicanda chriſtianæ religionis diſciplina verſatur, & quorum inſtitutum nedum meritis laudibus cumulat ſan. mem. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Ex debito*, ſed in omnibus etiam Diœceſibus propagari enixe expoſcit. Quæ quidem omnia in unum collecta, ſi ſedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa ſit meſſis, paucos nequaquam eſſe operarios, nec eos deeſſe, qui parvulis panem petentibus frangant.

Sed quia compertum eſt, non ſolum adoleſcentulos, illoſque, qui confirmata ſunt iam ætate, in divinarum rerum ignoratione verſari, ſed etiam viros, ipſoſque ſenes ſalutaris doctrinæ eſſe omnino expertes, vel quia numqnam illam perceperunt, vel iamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Epiſcoporum occurret vigilantia, ſi operis ſuis ſui Vicarios cogent, quæ parata ſunt, remedia ſedulo adhibere.

Ut autem ab iis, qui in prima ſunt ætate ſermo inſtituatur; ad Sacram Euchariſtiam, & Confirmationem admitti plures poſtulant. Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens ſtudium non præſeferunt. Moneat igitur Epiſcopus Parochos, eiſque diſtricte præcipiat, ne quis eorum Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtret, & ſchedulam, ut aiunt, confirmationis iis tradat, qui graviora fidei & doctrinæ capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent, vel quia parum in hoc Tyrocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad huiuſmodi Sacramenta pie, riteque ſuſcipienda ſtatis temporibus tradita ſunt. Hoc ſane pacto primæ ætati ſatis videri poteſt conſultum.

Si vero loquamur de adoleſcentia; quoniam unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, uſu ſatis conſtat, alios Eccleſiaſticæ, alios vero ſæcularis vitæ rationem inire. De primo hominum genere verba iam fecimus, cum de iis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi poſſe videtur, rem fore magni commodi, multæque utilitatis plenam, ſi qui ſe ſiſtunt examini, eos Præſul potiſſimum interroget de iis, quibus chriſtiani hominis ſcientia continetur. Etenim magiſtra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametſi latini ſermonis nitore, & elegantia excultos, in ſcientiarum curriculo liberaliter inſtitutos & quæ ad Ordines pertinent apprime callentes, de doctrina tamen chriſtiana percontanti parum, aut nihil appoſite reſpondere.

Si autem ad eos, qui in ſæculo degunt, mentis aciem convertimus, palam fit, illos ut plurimum ſacri coniugii fœdera inire. Verum cum Matrimonio iungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, ſeu feminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuoſæ ignorantiæ locum relinquet Epiſcopus, qui Paſtores animarum ad-

Digitized by Google

admoneat officii ſui, & huic ſi deſint, negligentiæ repetat pœnas.

Omnes denique omnium ætatum, atque ordinum homines ſolent identidem ſordes animæ Pœnitentiæ Sacramento detergere. Curabit itaque Epiſcopus, ut Sacerdos excipiens confeſſiones fixum illud, immotumque animo ſemper habeat, invalidam eſſe abſolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res neceſſarias neceſſitate medii, impertiatur, nec poſſe homines Deo per huiuſmodi Sacramentum reconciliari, niſi prius, excuſſa huius ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei ducantur. Sedulo etiam animadvertet Confeſſarius in aliud tempus reiiciendam eſſe abſolutionem illius, qui neceſſaria neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit, & eo quandoque caſu Pœnitentem abſolvi poſſe, quo ſe vincibilis huius ignorantiæ reum agnoſcat, & accuſet, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confeſſario ſerio promittat operam ſe impenſe daturum, qui, divinæ gratiæ præſidio, diſcat etiam neceſſaria neceſſitate præcepti.

Hanc profecto chriſtiani populi inſtituendi rationem ſi Paſtores ſibi propoſuerint, ſi eorum conſilia, labores, & ſtudia ad propoſitam methodum duxerint referenda; ſperare fas eſt, fide, & opere Gregem ita in dies profecturum, ut coædificentur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

At vero cum maximi momenti ea res ſit, nullaque alia ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem utilius inſtituta, mirari nemo debet, quod plurima paſſim obiiciantur impedimenta. Sitæ quandoque ſunt in agro parvæ, humileſque Eccleſiæ, aliæ Parochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disiunctæ, ad quas diebus feſtis patresfamilias una cum liberis accedunt Sacerdotem Sacris operantem audituri; ex quo fit, ut ſuæ Parochiæ numquam fere interſint, nec ullum de Myſteriis fidei, de præceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Epiſcopus huic malo occurret, ſuamque obiiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas Eccleſias Parochiali proximas, expreſſa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Miſſam celebraverit, ſermonem habuerit, ceteraſque ſui muneris partes abſolverit. Hoc enim pacto Eccleſia Parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Eccleſias a Parochiali longe ſepoſitas, cum difficile admodum ſit, Parochianos ob locorum diſtantiam, longum iter, atque aſperum, hyemali præſertim tempore, cum pluviæ inundant, Parochialem adire, ibique divinis officiis intereſſe, relicta Eccleſia proximiore: decernat Epiſcopus, gravibus etiam ſtatutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes chriſtianæ doctrinæ ſummam populo tradant, divinamque legem annuntient. Monendus tamen eſt Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, ſed videat ipſe quo loco res ſint, cum pueri Sacramentum Euchariſtiæ, & Confirmationis, alii vero Matrimonii ſibi adminiſtrari expoſcant.

Præterea ſua etiam Urbes habent impedimenta. Sæpe enim contingit in aliis Eccleſiis, ac præſertim Regularium, ſolemni ritu, magnaque populi frequentia, feſtum aliquem diem celebrari: ideoque ſi in Eccleſia Parochiali ſummo mane, aut ſtatim a prandio Catechiſmus habeatur; aut nemo, aut pauci admodum ſunt, qui eodem Catechiſmo interſint, quique præſcriptas horas non cauſentur. Sin vero captentur horæ Civitatis commodo magis appoſitæ, uſu compertum eſt, populum ad Eccleſiam confluere, in qua feſtus dies agitur; & celebritate pompæ illectum, doctrinam chriſtianam non ſine gravi animæ detrimento deſerere. In hoc articulo, quia certa, & communis regula præſcribi non poteſt, id totum relictum eſſe volumus prudentiæ vigilis Eccleſiæ Antiſtitis, qui attenta loci, temporis, perſonarum qualitate, expenſiſque rerum omnium momentis ita ſtudeat ſolemnis diei celebritatem cum doctrina chriſtiana componere, ne alteri altera ſit impedimento. Quod ſi Regulares, & exempti contradixerint, & ſanctum hoc doctrinæ opus, licet ab Epiſcopis prius admoniti, ſuis functionibus perturbare præſumpſe-

rint; noſtram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne Parochiales Eccleſiæ debitis fraudentur obſequiis.

Plurimum quoque ad chriſtiani populi inſtitutionem conferre poterit, ſi Viſitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Diœceſim luſtrantes, omnia ſedulo inquirant, ut certior factus Epiſcopus, pro meritis cuiuſque Paſtoris aut præmia decernat, aut pœnas.

Clementis Papæ VIII. aliorumque Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus, in doctrina chriſtiana tradenda adhiberi libellum de Clementis eiuſdem mandato a Cardinali Bellarmino conſcriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo ſaluberrimo conſilio edi iuſſum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, & diſcendo chriſtianam doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Catechiſmorum varietatem irrepere poſſent errores, conducibilius, atque oppotunius. Sicubi vero contingat ob peculiares regionum neceſſitates alium quempiam adhiberi forte libellum; ſedulo invigilandum erit, ne quid ille contineat, ne quid in eo umquam inducatur a catholica veritate abſonum. Curandum inſuper, ut in eo fidei dogmata clare, & dilucide ſint explicata, additis, ſi quæ deſunt, neceſſariis, ac ſublatis, quæ redundant. Brevis enim, & univoca docendi methodus multum prodeſſe ſolet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progreſſus puerorum. Complectatur liber huiuſmodi etiam fidei, ſpei, & caritatis actus, quos recte, ſcienterque compoſitos eſſe, minime dubitandum. Sed ſi aliter ſe res habeat, caſtigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura virtutis explicetur. Et quia chriſtianam religionem profitenti maxime neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus; idcirco ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus, & exiguo numero a quibuſdam ſingulis annis præfinito; Epiſcopus ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus, provide ſtatuat, ut in Parochiis tum Urbis, tum Diœceſis Rectores animarum poſt Miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante Aram provoluti clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire ſatagant populo verba ab ipſis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles ſenſim illos memoriæ mandabunt, & aſſueſcent nedum feſtis, ſed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione verſari.

Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas Vobis, Ven. Fratres, per hæc Apoſtolica ſcripta notas eſſe volumus, quiſque veſtrum facile intelliget, conſonas eſſe Monitis Noſtris Paſtoralibus prælo iam demandatis, cum Sponſam Noſtram Bononienſem Eccleſiam paterna caritate cominus amplecteremur: illaſque præterea ex Pontificiis Conſtitutionibus hauſtas eſſe, & Spectabilium Antiſtitum teſtimonio, & exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde utilitatem proficiſci experimento cognovimus; quo maiori poſſumus ſtudio vos hortamur, & admonemus, ac per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri enixe obteſtamur, ut pro iniuncto Vobis Paſtoralis Miniſterii debito præmiſſorum executioni ſtrenuo, conſtantique animo incumbatis: ſedulo recogitantes quidquid laboris, ſtudii, ac vigilantiæ in hunc ſcopum collatum fuerit, Deum omnium bonorum Datorem uberi mercede retributurum; & Apoſtolicam benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

SS.

Digitized by Google

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

Ad Epiſcopos directa de Parochorum electione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUM illud ſemper plurimum formidaverit Eccleſia Catholica, ne indignis quibuſque, & extra Sacerdotale meritum conſtitutis cura animarum, & Dominici Gregis cuſtodia crederetur: quia totius familiæ ſtatus, & ordo nutat, ſi quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc Canonicis Sanctionibus, ac præſertim Sanctæ Tridentinæ Synodi Decretis provide conſultum eſt, regimen Eccleſiarum Parochialium iis eſſe committendum, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia ita concurriſſet, ut de illorum ſupra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris ſuffragio nefas eſſet dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio ſenſim invaluit, Tridentini Decretis non præſcriptam eſſe dignioris electionem, ſed caveri tantummodo, ne indignis Eccleſiæ Parochiales, aliaque Beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur: ſan. mem. Innocentius XI. Prædeceſſor Noſter erroneam doctrinam a vera, & ſincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, & edocuit quam prudens, & diligens eſſe debeat Paſtoralis Officii diſpenſatio.

Ad tramites idcirco eiuſdem Sanctæ Synodi uſu receptum eſt, occurrente Parochialis Eccleſiæ vacatione, quæ libere ab Ordinario conferenda ſit, concurſum inſtitui, ut habita in eo de cuiuslibet ætate, moribus, doctrina, & ſufficientia ſolerti inquiſitione, Epiſcopus eligat quem ceteris magis idoneus iudicaverit.

At quia contingere quandoque poteſt, quod favore, vel gratia, vel minus æquo iudicio minus digni dignioribus præponantur; ſan. mem. Pius V. Noſter Prædeceſſor, ne quid in huiuſmodi electione eſſet inordinatum, atque præpoſterum, edita ſaluberrima Conſtitutione voluit iniuſte in concurſu reiectis, interpoſita ad Metropolitanum, vel Epiſcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apoſtolicam appellatione, præelectum ad novum examen provocare, & Eccleſiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, ſi ita ius eſſet, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus eſſet, provide ibidem cautum eſt, dictæ appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non ſuſpenſa, aut quoquo modo retardata Præelecto ab Ordinario Parochialis Eccleſiæ poſſeſſione.

Conſultiſſimæ huiuſmodi leges eum in finem inſtitutæ, ne in tanti momenti re imperiti magiſtris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis, violatæ ſunt hominum fraude, & malitia, ipſa medela vulnus exaſperantium. Sæpiſſime enim reiecti ab Ordinario dictæ Conſtitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, & minus legitima concurrente cauſa electos ab Epiſcopo ad novum examen provocare conſueverant; illoſque præterea relicta Gregis, & Eccleſiæ cuſtodia longum iter arripere, & diuturni laboris, temporis, & pecuniæ impenſa exhauſtos, litem in ſecunda, tertia, & ulteriori quandoque inſtantia ſuſtinere cogebant. Quin etiam experientia compertum eſt, magno iuſtitiæ detrimento litem ipſam abſolvi. Quandoquidem ii, qui examini ſe ſubiecerant, atque in primævo concurſu utpote legitimarum inſtitutionum neſcii reiecti fuerant, longa poſtmodum decurrente lite, ſedulam litteris ex induſtria navantes operam, præferri aliis merebantur, & acerbe ſuccenſebant Epiſcopo, iudici quidem adeptæ, non autem adipiſcendæ peritiæ, per iniuriam ſe fuiſſe reiectos.

Hinc apud bene moratos homines, & iuſtitiæ vindices, frequens querelarum occaſio: quibus ſedandis cum Congregatio Concilii Tridentini interpres omne ſtudium diligentiamque conferret, Nobis,

bis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum eſt, ut ſermone, typis poſtea vulgato, rem ſedulo expendere, ingruentis mali originem, & apta eidem avertendo remedia inveſtigare pro viribus niteremur. Senſus hac de re noſtros explicantes, vitio potiſſimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec ſcriptis conſignati. Electi ſiquidem ad curam animarum ab Ordinario Collatore, & ad iteratum examen coram alio Iudice provocati, ius legitimæ collationis tueri non poterant certo, ac permanenti teſtimonio iam probatæ idoneitatis; ſed a novi examinis alea, ſubeunda coram Iudice appellationis geſtarum rerum prorſus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi Iuſtitiæ detrimento recepta in foro erat opinio, provocari poſſe ad alium Iudicem, nullo exhibito indebitæ reiectionis documento. Quod quidem cum a ſacrorum Canonum cenſura longius aberraret, facile huic corruptelæ occurri poſſe cenſuimus, ſi certa primum & apte diſpoſita habendi examinis forma præſcriberetur; ſi quæſtiones examinatis propoſitæ, & conſentaneæ illorum reſponſiones, totaque rei geſtæ ſeries in ſcriptis redigeretur; & ſi acta demum totius concurſus ad Iudicem appellationis integra aſportarentur.

Inita a Nobis conſilii ratio non ſolum arriſit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti; ſed etiam Pontificii Iudicii acceſſione roborata fuit a Clemente XI. Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindice, & aſſertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat obſequio, & diligentia exequerentur, iis datæ ſunt die 10. Ianuarii 1721. opportunæ litteræ noſtro calamo exaratæ, eiuſdemque Pontificis ſenſu, & oraculo comprobatæ, quarum tenorem, etſi alias prælo commiſſum, & inſertum in Bullario dicti Clementis Prædeceſſoris Noſtri, congrue hic duximus referendum.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

Quo Parochiales Eccleſiæ dignioribus perſonis gubernandæ traderentur, ſtatuit, ut notum eſt, Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. XXIV. cap. XVIII. ut vacante Eccleſia Parochiali, indiceretur, & fieret concurſus; ac poſtquam concurrentes ab Epiſcopo, vel eius Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus ſaltem tribus examinati, & approbati eſſent, Epiſcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliiſque rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam neceſſariis, & opportunis, digniorem ceteris, magiſque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc Concilii Sanctionem validius confirmandam, re, & nomine Sanctiſſimus Pontifex Pius V. quod ſi umquam Epiſcopus minus habilem, poſtpoſitis magis idoneis, elegiſſet, poſſent ii, qui reiecti eſſent, a mala huiuſmodi electione ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apoſtolicæ Delegatum, vel alias ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac Præelectum ad novum examen coram ipſo appellationis Iudice, & eius Examinatoribus provocare: ea tamen cautione, ut appellatio non in ſuſpenſivo, ſed in devolutivo eſſe deberet: quemadmodum in eius Conſtitutione, quæ trigeſima tertia eſt, latius; concludendo quod, conſtito de prioris eligentis irrationabili iudicio, illoque revocato, Parochialis Eccleſia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bulla examinis in concurſu peragendi forma, ſeu methodus ulla certa, ac peculiaris ſervanda proponatur; difficile dictu eſt, quanta examinum, aliorum alibi diverſitas extiterit, atque hinc occaſio querelarum. Nam alicubi, cum non ædem omnibus quæſtiones, non iidem caſus propoſiti fuiſſent, erant identidem qui, vel in Iudicio, vel extra conquererentur, ſibi quidem poſtpoſitis difficiliores, præelecto autem faciliores ad ſolvendum quæſtiones obtigiſſe. Alibi vero eædem quidem omnibus quæſtiones propoſitæ fuerunt, ſed neque hæ, neque datæ a concurrentibus reſponſiones ſcripto,

pto, ſeu litteris conſignabantur. Cumque poſtmodum, nec raro contingeret, ut e poſtpoſitis quiſpiam iure Bullæ ſupradictæ novum ad examen coram Iudice Appellationis, eiuſque Examinatoribus electum provocaret: Sacra Congregatio uſque ab anno 1603. conſiderans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari poſſe; provocationem ad novum examen cenſuit admittendam, gravamine nec dum probato, & requiſitis tantummodo probationibus in ſubſequenti Iudicio, in quo, probato per novum examen appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda ſupereſt eiuſdem præ iam electo in reliquis ad regendam Eccleſiam requiſitis præſtantia, ut de maiori alterutrius ad Parochialis Eccleſiæ Gubernium idoneitate ſententia ferri poſſit, cum non continuo, ſi quis eſt doctior, is etiam aptior, ſeu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus ſit. Quam Sacræ Congregationis Sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis vero in Diœceſibus laudabilis invaluit conſuetudo, ut eædem omnibus quæſtiones, iidemque caſus proponantur; ac ne qua detur anſa Cancellario quidquam ſuo Marte abolendi, minuendi, mutandi, ut ipſimet concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque reſponderint, ſua manu perſcribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam atque etiam conſiderandum reliquerunt, his, qui ſic examinati eſſent atque poſtpoſiti, impoſterum, ut ſolent, appellantibus, indulgenda nec ne ſtatim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequiſita probatione videretur; cum iſti ex actis primi examinis gravamen doctrinæ facile alioquin probare poſſent; quod alii, aliter nimirum examinati, probare, niſi ſecundo, ſeu novo examine non poterant: nec defuere alii probitatis ac peritiæ in adminiſtrandis diu Eccleſiis laude præſtantes, qui monerent, frenum aliquod huiuſmodi appellantium licentiæ tandem iniiciendum, eorumque iam nimis crebras novum ad examen provocationes eſſe reprimendas: quippe quæ vix umquam ſine magno Eccleſiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Iudice appellationis longe procul a Parochia peragendum ſit, electus ab Epiſcopo, qui provocatur, Parochiam quam poſſidet, cogitur interea temporis deſerere, eamque œconomo, vel Vicario cuipiam, veluti ſponſam ignotis cuſtodibus, relinquere, ſponſo non parumper, ſed diu ſane abfuturo, dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis examina ſuper præſtantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna ſunt, contentioſe multiplicentur, & commode, ne dicam otioſe, tranſigantur, antequam deliberari poſſit utri concurrentium Parochia ſit adiudicanda.

Ad tollendam non minus querelarum, quam incommodorum occaſionem Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, poſtquam rem omnem a capite repetitam in gemina ſeſſione 1. Octobris, & 16. Novembris 1720. ſummo ſtudio recognovit, tandem Sanctiſſimo etiam annuente, ſtatuit (quod per præſentes litteras encyclicas exequitur) omnes, & ſingulos Epiſcopos, alioſque Prælatos, penes quos ſit ius, & auctoritas faciendi concurſum, hortari, ut examen eiuſmodi inſtituere non graventur, quale iam, & multæ Diœceſes, & Urbs ipſa obſervat, atque Apoſtolica etiam Dataria poſtulat, ſive cum, Sede Vacante, vacat Eccleſia aliqua Parochialis, ut dicitur, iuxta Decretum, ſive demum, cum, vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Eccleſiis dignitate aliqua maiori, annexam habente curam animarum, faciendus eſt concurſus, atque ad Apoſtolicam Datariam tranſmittendus, ut notum eſt, atque in litteris, quæ de ordine Sanctiſſimi tunc a Dataria prodeunt, clare præſcribitur.

Vacante itaque Eccleſia Parochiali, quæ conferenda ſit per concurſum, atque hoc ſolitis formulis indicto, hæc, quæ ſequuntur, ex Sacræ Congregationis ſententia, conſilio, ſuaſione ſervanda proponuntur.

Digitized by Google

Primum nempe, ut aſſignentur eædem omnibus concurrentibus quæſtiones, iidem caſus, idemque Textus Evangelii, ſuper quo ſermonis aliquid perſcribant ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut caſus, & quæſtiones reſolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus ſpatium temporis conſtituatur, intra quod caſus reſolvant, quæſtionibus reſpondeant, conciunculam componant.

Quartum, ut omnes concurrentes in conclavi claudantur, unde, quamdiu ſcribent (dabitur enim omnibus ſcribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quiſpiam eo ingredi, niſi poſtquam ſcripta confecerint, & exhibuerint.

Quintum, ut omnes ſua quiſque manu tum reſponſa, tum ſermonem ſcribant, ſubſcribantque.

Sextum, ut reſponſa quidem latine, ſermo autem ea, qua ad populum haberi ſolet, lingua ſcribatur.

Poſtremum, ut unumquodque reſponſum, & unuſquiſque ſermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non ſolum ab eo, qui ſcripſit, atque a Cancellario concurſus, verum etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel eius Vicario, qui concurſui interfuerint, ſubſcribatur.

Peracto ſecundum hanc formulam concurſu, collocataque ei, qui magis idoneus, ac dignior iudicatus fuerit, Eccleſia Parochiali, non admittatur appellatio aut a mala relatione Examinatorum, aut irrationabili Iudicio Epiſcopi, niſi intra decem dies a die collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra ſpatium appellaverit, actaque concurſus petat ad Iudicem appellationis transferenda: mittantur vel acta ipſa originalia concurſus clauſa, & obſignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum a Cancellario concurſus, atque altero Notario collatum, & auſcultatum coram Vicario, vel alio in eccleſiaſtica dignitate conſtituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adiungendi electio pertinebit, necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui concurſui interfuerunt, ſubſcriptum.

Ex quibus dictis, vel authentico eorum exemplo, niſi gravamen, quoad doctrinam probet is, qui ſic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili Iudicio Epiſcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregat. fruſtra poſtulabit.

Quemadmodum, & in iudicio appellationis perſequi ius ſuum tentabit is, qui forte ſe gravatum doleat quoad reliqua, niſi, interpoſita mature, ut dictum eſt, appellatione ab irrationabili Iudicio Epiſcopi, gravamen, quoad illa, oſtenderit vel ex actis primi concurſus, vel ſaltem ex atteſtationibus, & documentis extraiudicialibus etiam, ſed non levibus.

Atque ita quidem ſenſit Sacra Congregatio, & Sanctiſſimus aſſenſit. At ſi quis tamen Ordinariorum aliter, ac ſupra deſcriptum eſt, concurrentium examina inſtituere perrexit, perget & Sacra ipſa Congregatio more priſtino appellantibus, qui ſe gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuſcuiuſque Ordinarii Cancellaria perpetuo conſervari. Cuius interea conſilium, tum voluntatem dum ego omnibus ſignifico, Amplitudini tuæ fauſta omnia a Cælo precor.

Romæ hac die 10. Ianuarii 1721. Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

Quantum recta diſpenſandis Eccleſiaſticis muneribus, adminiſtrandæ iuſtitiæ, componendis diſſidiis, continendiſque in Offi-

Digitized by Google

Officio Clericis proficeret ſaluberrima præmiſſarum legum inſtitutio, ſatis ſuperque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum Eccleſiam, ac deinde Bononienſem Sponſam Noſtram paterna caritate cominus amplecteremur. Freti ſiquidem dictarum legum præſidio digniores Parochiis, & curæ animarum præfecimus: tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum conſenſione, ut nemo queſtus ſit, traditum minus digno celſioris loci præmium, vel minus iuſte alteri credita vacantis Eccleſiæ gubernacula. At quia certis admonemur indiciis non ita ad alios Epiſcopos contigiſſe, immo non deeſſe, qui privatis abrepti ſtudiis, ſæpe declinare, ac redarguere Iudicium Epiſcopale præſumant: Nos propterea ſolliciti de implendis, prout decet, muneris noſtri partibus, nonnulla præfatis litteris addendas, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda cenſuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.

Mærentes igitur audivimus, quod in pleriſque Diœceſibus, etſi recepta ſit laudabilis, firmiterque cuſtodienda conſuetudo in ſcriptis redigendi examen concurrentium; nihilominus Examinatorum ſuffragia in ſola litterarum peritia verſantur, nec illorum exquiritur Sententia de Clericorum ætate, inſtitutione, gravitate, & honeſtate morum, prudentia, muniis antea exercitis, & an tales demum ſint, qui oves ſuas verbo, & exemplo iuvare poſſint. Quam devia ſit huiuſmodi praxis a Tridentina ſemita, is plane intelliget, qui expendet verba relata cap. XVIII. ſeſſ. XXIV. de Reform. „Peracto deinde examine renuntientur „quotcumque ab iis idonei iudicati fuerint „moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernan„dam opportunis.“ Idque probe noſcens Congregatio eiuſdem Concilii interpres pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum Iudices eſſent, nec inquirerent qui præ aliis probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, ceteriſque dotibus ad Officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei, & commendabiles.

Abſoluto examine, ut cuique ſatis compertum eſt, fit tantummodo poteſtas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendæ Eccleſiæ idoneos iudicaverint, reſervata uni Epiſcopo electio dignioris, quemadmodum ſancitum eſt a Tridentino illis verbis: „Ex hiſque Epiſcopus eli„gat, quem ceteris magis idoneum iudi„caverit.“ At ſiquem Clericorum forte contigerit appellare a mala relatione Examinatorum, quorum cura unice verſata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore ſolerti etiam inveſtigatione aliarum qualitatum, quæ Paſtoris congruant officio: ordo Iudicii ſecum feret, ut etiam Iudex, ad quem provocatum fuit, in ſola doctrinæ indagine immoretur: nec ſine gravi animarum detrimento, & diſciplinæ iniuria præficiatur Eccleſiæ, qui litteris magis pollet, licet ad cetera minus aptus, & quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Eccleſiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit.

Factum præterea ſatis extirpandis abuſibus non videtur, ſi tam Epiſcopus, quam Examinatores, coniunctis ſtudiis, induſtriæ nervos omnes intenderint in conferenda concordi Iudicio Eccleſia perſonæ, quæ licet ſcientia, & litteris alteri concedat, maiori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento: ſi quidem poſtpoſitus, ſuæ nimium fidens doctrinæ ab irrationabili iudicio Epiſcopi, non raro appellat; cauſaque ad Iudicem Appellationis delata, idem totus eſt in perquirenda maiori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nuſquam librato aliarum virtutum pondere, quæ in Appellante deſiderantur: lugentque ut plurimum vigiles Eccleſiarum Antiſtites exitum huiuſmodi appellationis, intimeque dolent, Parochias doctis, non aptis Paſtoribus, ut dictum eſt, regendas committi.

At ſi Iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens ſcientiæ, quan-

Digitized by Google

quantum ſatis maiori, & accuratiori examine inquirat, qui mores hominum ſint, quæ gravitas, prudentia, qui ſuſcepti antea labores, quæ virtutum ſpecimina, quæ demum totius antea actæ vitæ ratio, paſcendo Gregi conſentanea; tot Iudici exhibentur atteſtationes ab Appellante ex induſtria collectæ, ut, revocato Epiſcopali Iudicio tamquam irrationabili, non vereatur Iudex ſuccurrere eidem Appellanti, quem tam copioſa, tamque conſpicua probitatis adiuvant documenta.

Demum, cum præcipue Epiſcopis tamquam in ſpecula conſtitutis pateant ſubditorum exceſſus, contingere ſolet, ut in concurſu tam inſpecta ſcientia, quam moribus ille idoneus ab Examinatoribus renuntietur, cui fœda aliqua vitii labes, ac criminis macula inuſta ſit, omnibus præterquam Epiſcopo occulta. Si Epiſcopus iuſta ſuadente cauſa, crimine non revelato, eumdem criminoſum tacitus preterierit, aliumque immunem a ſorde prælegerit; illico poſtpoſitus, ſimulato gravamine, provocat ad ſuperiorem Iudicem criminis ignarum, & conſueto diffugio appellationis vehitur ad Paſtorale faſtigium, qui non poteſt conſulere populo, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.

Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad Iuſtitiæ præſidium inſtitutum, callide traducant ad iniquitatis defenſionem: optimum factu aliquibus fortaſſe videretur, ſi appellatione quavis ſublata, cura præficiendi rectores animarum prorſus relinqueretur Epiſcopis, rationem villicationis ſuæ Chriſto Iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id poſſumus, quod adverſaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: „Nec prædictorum Examinatorum re„lationem, quominus executionem habeat, „ulla devolutio, & appellatio etiam ad „Sedem Apoſtolicam, ſive eiuſdem Sedis „Legatos, aut Vice Legatos, aut Nuntios, „ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Pri„mates, vel Patriarchas interpoſita impe„diat, aut ſuſpendat:" cui ſanctioni reſpondet etiam Conſtitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili Iudicio Epiſcopi.

Qua de re, ut in huiuſmodi negotio apte omnia, atque compoſite peragantur, Officii Noſtri eſſe duximus, cum Vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem præſcribere, quem longo uſu utilem agnovimus inſtituendis animarum Rectoribus, qui credito ſibi Gregi præeſſe, & prodeſſe poſſit.

I. Epiſcopus, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſtatim, ad præſcriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis aſſignatione, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concurſus, congruo, & ab Epiſcopo præfinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare, & aperte moneantur, ut interim decurrente termino aſſignato coram Cancellario Epiſcopali, vel altero ab Epiſcopo deputato, ſuarum qualitatum, meritorum, & munerum probationes, atteſtationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant. Alioquin dicto termino elapſo, documenta huiuſmodi, quæcumque, & qualiacumque ea ſint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concurſus, a Cancellario Epiſcopali ſingulorum merita, qualitates, & requiſita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in ſcriptis ſummatim redigantur. Porro copia epitomes tradetur non ſolum Epiſcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, ſed ſingillatim omnibus Examinatoribus ad concurſum adſcitis, ut cum de ſcientia, tum de vita, moribus, aliiſque regendæ Eccleſiæ neceſſariis dotibus ferant iudicium.

IV. Die præſtituta ab Epiſcopo habeatur concurſus, ſervata accurate in omnibus forma tradita in ſupra relatis litteris anno 1721. editis, totaque rerum in eo geſtarum ſeries ſcriptis diligenter enuclee-

Digitized by Google

cleetur. Porro Examinatores ad aſſequendam certam, & indubiam conieẞturam ſcientiæ, poſtquam diligenter expenderint ſingulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo Eccleſiaſticæ doctrinæ capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Cathechiſmo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet ſcripto datas reſponſiones quæſtionibus propoſitis; & poſtquam demum deprehenderint qua quiſque polleat gravitate ſententiarum, & elegantia ſermonis in conciuncula ſcripto pariter exarata, & textui Evangelico, vel altero dato themati accommodata: parem, ni forte maiorem ſolertiam Examinatores adhibeant in perſcrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum conſentaneis, morum honeſtatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præſtita hactenus Eccleſiæ obſequia, acquiſitam in aliis muneribus laudem, aliaque ſpectabilium virtutum ornamenta, doctrinæ arcto fœdere conſocianda: hiſque omnibus coniunctim expenſis, inhabiles per ſua ſuffragia reiiciant, & idoneos Epiſcopo renuntient.

V. Abſoluto concurſu ab Epiſcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requiſitorum antea diſtributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes acta ſecreto cuſtodiat, & nemini oſtendat, niſi de mandato Epiſcopi, vel eius Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi poſſeſſio, ullo appellationis, vel inhibitionis obtentu, retardetur.

VI. Si quem Clericorum appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Epiſcopi, coram Iudice appellationis acta concurſus integra omnino producat, & Iudex niſi illis viſis, & gravamine comperto, ſententiam non pronuntiet. Præterea in ferenda ſententia, ac reparando gravamine idem Iudex innitatur ſolummodo probationibus ab actis elicitis tam reſpectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione uſque ad diem habiti concurſus tantum temporis interceſſit, quantum ſatis fuit commode exhibendis neceſſariis iuribus, atteſtationibus, requiſitis, aliiſque meritorum documentis; idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac diſtricte mandamus, ne dictas atteſtationes, fides tam iudiciales, quam extraiudiciales, & documenta quæcumque ſtudioſe conquiſita, & poſt concurſum, ut aiunt, expiſcata ullo modo recipiantur: non obſtantibus ſupra memoratis litteris a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721. editis, quibus ad præmiſſorum effectum in hac parte derogamus; illis tamen in reliquis una cum omnibus in eis contentis firmiter in ſuo robore permanſuris.

VII. Ubi vero Epiſcopus, poſthabito uno, vel altero ex approbatis, Eccleſiam contulerit magis idoneo ob aliquam ſibi tantum notam cauſam, quam cenſeat ſignificari oportere Iudici appellationis ad detegendam iniuſte fortaſſe prælectionis notam; familiaribus litteris Iudicem certiorem efficiat, inviolabilis ſecreti lege adiecta. Nemo ſit, qui hanc praxim noſtræ tribuat ſolertiæ, cum illa profluat a Tridentini Decretis. Seſſione etenim XXIV. cap. XX. de Reform. ita diſponitur. Præterea ſi quis in caſibus a iure permiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum biennii, de quo ſupra ad alium Iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta ad Iudicem appellationis expenſis ſuis transferre, EODEM TAMEN EPISCOPO PRIUS ADMONITO, UT SI QUID EI PRO CAUSAE INSTRUCTIONE VIDEBITUR, POSSIT IUDICI APPELLATIONIS SIGNIFICARE.

Et quamvis iure nobis timendum ſit, ne dicta praxis monendi Iudicem, a quo appellatum eſt, in more olim poſita, hac tempeſtate obſoleverit, & a foro receſſerit; attamen Epiſcopus (ut dictum eſt) ſi ex cauſa ſibi tantum, & non aliis nota, quæ tamen approbari digna ſit, Eccleſiam contulerit; illam Iudici appellationis, datis ſecreto litteris, denuntiet, & aperiat. Sciant porro Iudices, dictas

tas

tas ab Epiſcopo cauſas, & rationes, inviolabilis ſecreti fide eſſe cuſtodiendas, nec parvi pendendum eſſe teſtimonium illus Paſtoris cui Divino mandatur eloquio, oves ſuas agnoſcere. Facile enim credi non poteſt, Epiſcopos ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis adeo immemores, ut non deterriti Divini interminatione Iudicii, odio, vel favore moveantur; &, in Sacrorum Canonum ſingularem iniuriam, dicant malum bonum, bonum malum, ponentem tenebras lucem, & lucem tenebras.

Si vero Epiſcopo fuit ſuſpecta fides Iudicis, ad quem appellatum eſt, nec eidem revelanda cenſuerit huiuſmodi occulta rationum momenta: illa ſignificet ſecretis litteris S. R. E. Cardinali Præfecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec conſilio, nec auctoritate deerit, quo minus a Iudice appellationis debitus iuſtitiæ locus tribuatur.

Præterea quia æquitati etiam convenit, cauſas appellationum, quæ magno litigantium diſpendio, & Eccleſiæ pernicie immortales quandoque exiſtunt, quanta fieri poteſt brevitate terminari: idcirco ubi a Iudice appellationis lata ſit ſententia, quæ præelectioni factæ ab Epiſcopo omnino ſit conformis, nullus pateat novæ appellationi aditus, ſed auctoritate rei iudicatæ controverſiæ finis imponatur. Sin vero Iudex appellationis aliter, quam Ordinarius pronuntiaverit; liceat præelecto ab Epiſcopo, qui cauſa cecidit, ad alium Iudicem appellare, firmiter interim retenta Parochialis Eccleſiæ poſſeſſione. Tandem poſtquam tertius quoque Iudex ſententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus, & expenſis, præſertim quia agitur de cura animarum, cui damnoſum eſt, certi Paſtoris deſtitui ſolatio, is legitimum regendæ Eccleſiæ ius obtineat, cui duo conformes aſſiſtunt ſententiæ, nec ullum novæ appellationis remedium ſuccumbenti ſuffragetur.

His ſane regulis, quamvis appellatio ſublata non ſit, ſatis tamen præſidii comparatum eſſe arbitramur Eccleſiaſticæ diſciplinæ a recto gerendarum rerum ordine. Unum ſupereſt, ut propoſita hactenus media debitæ executioni mandentur; eumque in ſcopum locorum Ordinarii vigilantiam ſuam deſiderari non patiantur. Ferendum quippe non eſſet ad Noſtri Apoſtolatus auditum novas in dies deferri querelas, ac ſubmovendis abuſibus novas implorari leges ab iis, qui iam præſtitutas negligunt, & contemnunt.

Demum cum non raro contingat Eccleſias Parochiales, Dignitates, Canonicatus, aliaque Beneficia, curam animarum habentia, a Sede Apoſtolica eſſe conferenda, vel quia vacaverint in menſibus reſervatis, vel quia ex alio capite dictæ Sedi reſervata ſint: Nos Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes præcipimus, & mandamus, ut uno, vel altero eveniente caſu, concurſus ab Epiſcopo ſine ullo diſcrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam Noſtris hiſce litteris ſibi tributam Epiſcopi intelligant. Abſoluto concurſu, ſi res ſit de Beneficiis Curatis, quæ tantum ratione menſium reſervata ſint, Epiſcopus inter approbatos eligat magis idoneum, & Datariæ ſignificet, nec acta concurſus tranſmittat, niſi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta Beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quovis capite, quam menſium Apoſtolicorum, S. Sedi reſervata ſint; eo ſane caſu, veteri non immutato more, abſtineat Epiſcopus a ferendo dignioris iudicio, & acta concurſus ultro Datariæ exhibeat.

Licebit tamen Ordinariis pro ſuo arbitrio familiaribus litteris Datario ſcriptis eidem denuntiare perſonam, quam cenſent regendæ Eccleſiæ magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, & in actis iuſte reticita ſubſit cauſa, quæ cuipiam obſtet ad Beneficium Curatum obtinendum. Nos ipſi poſtmodum ab hac Sede omnium Principe, & Magiſtra, luculento edocebimus exemplo quanti faciendum ſit Epiſcopale iudicium, quantoque vos honore proſequamur, Vener. Fratres, in partem noſtræ ſollicitudinis evocatos; quibus interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Da-

Digitized by Google

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 14. Decembris 1742. Pontificatus Noſtri anno tertio.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

Ad Locorum Ordinarios directa de Miſſa a Parochis applicanda pro populo, deque reverenti Divini Officii in Choris recitatione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUM ſemper oblatas nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ Noſtræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero maiori animi alacritate id ipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini veſtro commiſſo præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam religioſæ vigilantium Paſtorum Curæ, identidem inculcando commendemus.

Huius porro Epiſtolæ ad vos ſcribendæ occaſionem nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum vero debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cuius quidem argumenti minime nova, ſed a ſcriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in huius Almæ Urbis Noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cuius Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa, ac definita fuerit, quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem, & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet eorum notitiam ad ſingulos quoſque veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans huius Apoſtolicæ Sedis Sententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus Veſtris quædam veluti norma, ac regula ſuppetat, iuxta quam Synodales, aliaſque veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationes Vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum iuxta ea, quæ in præſentibus tenenda, atque ſervanda præſcribimus, omni qua decet, ſollicitudine, ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Veſtrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recurſus ad huius Noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi, utpote quos omnino reiiciendos eſſe præcipimus, ac iubemus: quamobrem has ipſas litteras Noſtras in ſingulorum Tribunalium regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de Veſtris Decretis, quæ ipſis præſentibus inhærentes edituri eſtis, iudicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem, quod nuper enuntiavimus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Pa-

Digitized by Google

ſtoribus animarum applicari debere pro populo ipſorum curæ commiſſo, id velruti ex divino præcepto deſcendens a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur ſeſſ. 23. c. 1. de Reform. per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre*: & quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes huiuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam, de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara, & perſpicua ſint; cumque prædicta Congregatio eiuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita conſtanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro huiuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe, quodque magis intereſt, cum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil iam amplius ulli Veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius promptam executionem in Veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

Neque Nos tamen, qui, ut ſuperius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ Noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus: non, inquam, Nos latent, multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationi implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a Nobis eſt occurrendum.

Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre eſt in ſeſſ. 6. cap. 2. ſeſſ. 7. cap. 3. & 7. ſeſſ. 21. cap. 6. ſeſſ. 25. cap. 16. non raro autem eveniat, ut, aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad adimplenda huius Eccleſiæ onera uſque ad novi Rectoris electionem ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino ſic iubente ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform. nonnulli ex huiuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium, ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus huiuſmodi curæ ſint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro populo nonnumquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam plures a prælaudatis Congregationibus iudicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii ſæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque teneantur Miſſam Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

Nonnulli vero ad evitandum huiuſmodi obligationis implementum allegare ſolent congruos ſibi Parochiæ ſuæ reditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem, & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus deſtituantur, & quamvis antiqua, ſeu etiam immemo-

Digitized by Google

morabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerint, ut Miſſa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Miſſæ Sacrificium pro populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere voluimus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri. Et quidem Sacroſancta Synodus ſeſſ. XXIII. cap. XIV. præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſarum ſacra faciant; *ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*: in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debent. At vero nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, & applicare teneantur: & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, & applicare debere; eum vero, qui uberioribus huiuſmodi reditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri: cum tamen pariter Nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint; quoniam pingues minime habendi ſunt reditus etiam copioſi, quibus tamen multiplicia, & gravia ſint onera annexa; tum etiam multorum querelæ adverſus huiuſmodi Decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innoteſcant; idcirco opportunum cenſuimus Fraternitatibus Veſtris declarare, Nobis abunde ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto; cum prædicti Dominici; aliique feſti dies ii ſint, in quibus iuxta præceptum Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. quilibet animarum curæ præpoſitus populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, *ut moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumqemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*, & quibus Parochi ſubditos ſuos in doctrina chriſtiana erudire debent, iuxta id, quod a prædicto Concilio in citat. cap. 4. Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curent*.

Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum feſtorum de præcepto, de Apoſtolica Noſtra auctoritate, & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus feſtis Chriſtifideles & Miſſam audire, & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant, in aliis vero populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium: Nos, ut obortæ iam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in huiuſmodi diebus feſtis penitus eliminentur, ſtatuimus, & declaramus, quod etiam iiſdem feſtis diebus, quibus populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro populo celebrare, & applicare teneantur.

Quia vero propria nonnumquam experientia ſatis agnovimus aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemoſynis, quas a fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam ſub Vicarii, ſeu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia ægre ad eorum

rum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti; proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum huiuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: idcirco Nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerantes, eiſdemque, quantum Nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes, & ſinguli prædicti teneantur diebus feſtis Miſſam pro populo celebrare, & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi ad hoc, ut etiam diebus feſtis huiuſmodi eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite poſſint, & valeant; dummodo ad neceſſariam populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus feſtis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, iuxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Quod autem ſpectat ad Vicarios ſive Oeconomos Eccleſiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio citat. ſeſſ. 24. cap. 18. cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi, *cum congrua eius arbitrio fructuum portionis aſſignatione*; veſtrum erit Venerab. Fratres cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua eiuſmodi certorum fructuum aſſignatione, paucìſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro populo diebus feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ exiguntur, opportuna Theſaurario Noſtro Generali mandata dirigimus, quæ is denuntiare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus cum, quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ Noſtræ Ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

Ac demum quoad illos, qui tamquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet ratione alicuius Eccleſiæ Parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitæ, quamvis a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum huiuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. diſtincte ſtatuitur; nihilominus ubi præſcripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Congregationis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reputetur propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro populo diebus feſtis de præcepto, utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina ſeſſ. VII. cap. VII. dum illorum arbitrio permiſit iuxta temporum, atque iniunctorum onerum rationem congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus Veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes, & opportunas facultates impertimur, quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Hæc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus Veſtris denuntianda iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem Veſtrum latere putamus Sacrorum Cano-

num

Digitized by Google

num ſanctiones; quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum Horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa Conventualis celebretur, quæ adeo claræ ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio. Eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt reſolutiones ab hac Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica auctoritate Noſtra confirmamus, & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus. Itaque date operam, ut falſam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis eiuſmodi, ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe novimus: quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſæ Conventualis. Etenim huiuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cuiuslibet Eccleſiæ, cuius ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem ſive dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpective vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam, qui ſatis putant ſupradictam obligationem impletam eſſe, dum in eorum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitæ obligationi alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quæ a lege Eccleſiaſtica multoties præſcripta fuit; nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ ſæculis, verum etiam temporibus haud longe a noſtra ætate remotis, (quod Vos ex Hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non dubitamus) ſervabatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium, & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerit; eorumque nomina Sacris Diptychis, ſic enim vocabantur, ideo conſignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur: quam ob cauſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis ob oculos Presbyteri celebrantis apponi conſuevit; licet iidem pii Benefactores in ſuis donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem Præſules preces pro iis imperandas eſſe duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re feciſſent. Sacrorum huiuſmodi Diptychorum uſus ſenſim defecit; ob idque in oblivione iacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deſerere fas eſt uſum, & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere originem, atque rationem deſumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus feſtis de præcepto; ita pariter uſuvenit quoad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores provide e medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini Reſolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Noſtra approbamus, & confirmamus.

Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab huiuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. Verum iam pluries reſponſum fuit huiuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſus, & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari. Alii a Miſſa pro benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod inſimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro populo ſibi commiſſo eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, iubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam huiuſmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Manſionariis; quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex maſſa diſtributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem huiuſmodi diſtributionum, quæ, ob detractam eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi, Tridentina quidem Synodus ſeſſ. XXIV. cap. XV. opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicarum præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cuius erit, perſpecto ex veſtris relationibus rerum ſtatu, auctoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus Noſtris eidem impartita, & a Nobis etiam præſentium tenore confirmata quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad feſtos tantummodo dies reducere.

Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis Cathedralibus, & Collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in illis canatur, ſed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus Veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt an earumdem Eccleſiarum Capitula iuriſdictioni veſtræ reſpective ſubiecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Huiuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt. Iamque ante illius propoſitionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam, & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque huiuſce dubii ſolu-

lutionem eadem Congregatio nuper iudicio Noſtro remittendam cenſuerit; Nos ita iudicamus, idque Vobis tenendum indicimus, laudandos nempe, & confirmandos eſſe quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant: qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent. Ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam eſſe, dummodo in Commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

Huic demum Epiſtolæ Noſtræ finem imponentes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maximam curam, & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum Veſtrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pauſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem ſcimus in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis, aut Manſionariis in cantu ſe adiungant. In huiuſce vero opinionis confirmationem adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina ſeſſ. XXIV. cap. XII. loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro non aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; quum inſuper opinio illa numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi propoſita examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata, quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum Patriarchalium huius Noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; quum denique idem iudicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis, & confirmatis: nihil iam reliquum eſſe videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accommodent. Equidem minime Nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum habeant unius, vel alterius Eccleſiæ Canonici ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam, abſque Divinæ Pſalmodiæ cantu. Verum niſi illis præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum, vel abrogatum, ſed legitimum, ac vigens Privilegium, ſive Indultum; iure, ac merito verendum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt, præbendarum, ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter ne ad eorum reſtitutionem teneantur. Quapropter veſtrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Iudicem fraudi ſit, ſi in huiuſmodi re, quæ tanti eſt momenti, utpote quæ ad ipſius Dei cultum proxime ſpectat, abuſus, & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debebamus, diſſimulatione, ac ſilentio noſtro foviſſe, & confirmaſſe inveniamur. Interea Fraternitatibus Veſtris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 19. Auguſti 1744. Pontificatus Noſtri anno quarto.

Digitized by Google

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Epiſtola encyclica ad Epiſcopos Italiæ directa,

Qua nonnulla circa uſuram declarantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VIX pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe, an quidam contractus validus iudicari debeat) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur; cum ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus opportunum afferre remedium, ne malum eiuſmodi, temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret; aditumque ipſi intercludere, ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit: quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientia, & Canonicæ diſciplinæ ſtudio, ac peritia plurimum commendantur: accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus; Præſulem quoque iuris utriuſque laurea præditum, & in Foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Iulii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus, quod illis antea cognitum, perſpectumque deprehendimus.

Poſt hæc præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accurate perpenderent, ſuaſque opiniones in ſcripto exararent: non tamen expetivimus ab ipſis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſario ad id requirebantur; ſed, ut certam de uſuris doctrinam conſtituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus ſpargi cœperunt. Iuſſa fecerunt univerſi: nam ſuas ſententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Iulii, altera vero die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt; ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea huiuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale iam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proinde ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex eius obligatione Iuſtitiæ, quam commutativam appellant, & cuius eſt in humanis contractibus æqualitatem, cuiuſque propriam,

priam, & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut aiunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui, minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus iuſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari, & impendi ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra precipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot eiuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cuiuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus iuſto recipitur, ſi minus ad uſuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit) at certe ad aliam veram iniuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; ita ſi rite omnia peragantur, & ad iuſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus, & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas iniurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo oraculo divino diſcamus, quod *iuſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*.

V. Sed illud diligenter advertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios iuſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat actuarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque, recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de uſura iudicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem etiam id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*, & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, iuſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo iuſtus alius titulus, vere ne iuſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant ſententias ſuas Cardinales, ac Theogi, & viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilia in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus. Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eamdem cauſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis: nam præſtantium virorum ſuffragia, quæ modo commemoravimus, diligentiſſime præcurrimus. Cum hæc ita ſint, approbamus, & confirmamus quæcumque in ſententiis ſuperius expoſitis continentur: cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura ſacrarum litterarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum Noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas ad eaſdem ſententias comprobandas pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovimus auctores, quibus contrariæ ſententiæ referri debent, & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur. Neque ignoramus, quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis regionibus, ubi controverſiæ eiuſmodi principium habuerunt. Quare has litteras Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Ar-

Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, & ceteris omnibus innoteſcerent; & quoties Synodus celebrare, ad populum verba facere, eumque ſacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis ſententiis, quas ſuperius recenſuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Diœceſibus audeat litteris, aut ſermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubiectum declaramus pœnis per ſacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint, ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controverſias excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus: nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt ſententias; attamen pietatis veſtræ ſtudium, ac religionem inflammandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubiicimus, executioni demandetis.

Primum graviſſimis verbis populis veſtris oſtendite, uſuræ labem, ac vitium a divinis litteris vehementer improbari: illud quidem varias formas atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti ſanguine reſtitutos in libertatem, & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat: quo circa ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria ſupra ceteros efferuntur, conſilium expoſcant.

Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt;) ab extremis quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant: etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent, tamquam illicitam, & cum uſura coniunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimium adhæreant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam ſententiam ſequuntur, neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minime careat; ſi quidem convicia, atque iniuriæ vinculum chriſtianæ caritatis infringunt, & graviſſimam populo offenſionem, & ſcandalum præſeferunt.

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inferendas expiicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi ſollicitudines, & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quę non ſemel concitandæ ſunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quę qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falſum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus naturam unius contractus ab alterius natura prorſus diverſam, & ſeiunctam eſſe, & ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe quæ a diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque foro re-

Digitized by Google

ro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriuſque iudicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has litteras a nobis præſcribuntur. Opportunis quoque remediis conſuletis, uti confidimus, ſi forte ob hanc novam de uſuris controverſiam in Diœceſi veſtra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem, & puritatem inducantur. Poſtremo vobis, & gregi curæ veſtræ concredito Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem die 1. Novembris 1745. Pontificatus Noſtri anno VI.

CONSTITUTIO

SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV.

De Epiſcoporum Reſidentia.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

AD univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ Statum, ad Eccleſiaſticarum legum cuſtodiam, & fidelium populorum ſalutem, tam magni refert ſingulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præpoſitos, in ipſis Eccleſiis, vel Diœceſibus ſibi creditis aſſidue reſidere, ut difficile ſit aliud ullum reperire Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus, atque Decretis, aut Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus, & Sanctionibus tam ſæpe, tamque impenſe inculcatum fuerit, & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica ſtatuta prætereamus, Nobis ſatis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 1. & ſeſſ. XXIII. cap. 1. de Reform. tum ea, quæ recol. mem. Prædeceſſor Noſter Urbanus Papa VIII. præſcripſit in ſua Conſtitutione data apud S. Petrum die 12. Decembris anni 1634. quæ incipit, *Sancta Synodus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Leges, & Conſtitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus eſt recenſere omnes Encyclicas litteras, quæ ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos de implendo huiuſmodi reſidentiæ onere identidem admonendos ab hac Apoſtolica Sede mitti conſueverunt, ut patet ex Epiſtola iuſſu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris quoque Noſtri ſcripta die 5. Februariii anni 1678. item ex alia die 24. Decembris anni 1707. a felic. record. Clemente Papa XI. ad ſuum, & Apoſtolicæ Sedis Nuntium Neapoli commorantem conſcripta, ut illius Regni Præſules ad reſidendum in propriis Eccleſiis, & Diœceſibus adigerentur, necnon ex eiuſdem Clementis litteris in forma Brevis, datis die 25. Maii anni 1709. ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum, & diſſenſionum, quæ tunc in eo Regno verſabantur, ſuas reliquerant Eccleſias atque Diœceſes.

Neque porro Nos hac in re Apoſtolici Officii Noſtri partes deſiderari permiſimus: vix enim inſcrutabili divinæ providentiæ conſilio in hac ſuprema Eccleſiæ univerſalis ſpecula collocati fuimus, quum veterem Prædeceſſorum Noſtrorum morem in uſum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Eccleſiarum Antiſtites Apoſtolica ſcripta direximus, quibus inter cetera ſalubria monita, hoc etiam de reſidendo in propriis Eccleſiis peculiari ſtudio iis inculcare, & tam graviſſima damna, quæ ex eorum abſentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum præſentia concreditis ipſis Diœceſibus affert, ante oculos proponere non prætermiſimus, ut videre eſt in §. 4. Epiſtolæ Encyclicæ diei 3. Decembris anni 1740. a nobis conſcriptæ, quæ

in Tomo I. Bullarii Noſtri nuper vulgati num. 1. impreſſa eſt. Qui autem hominum corda ſcrutatur Deus, is ſane novit quanto, & quam acerbo animi Noſtri dolore nonnumquam acceperimus, Eccleſiaſticas regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere ſtuduerimus nunc admonendo, nunc obſecrando, nunc increpando, abſentes quidem per litteras, præſentes vero ipſa voce ad debitum Reſidentiæ officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, in Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, qua Beneficia in octo anni menſibus vacatura noſtræ diſpoſitioni, & collationi reſervavimus, ſimul etiam iiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſidentibus gratiam alternativæ menſium, certis modo, & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum, ut quamdiu ipſi apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas vere, & perſonaliter reſiderent, de Beneficiis huiuſmodi Eccleſiaſticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliiſque alternis anni menſibus vacare contingeret, dummodo alias diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata, vel affecta non eſſent, libere diſponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Noſtri duraturam conceſſimus, quo ſcilicet iidem Epiſcopi, & maiores Eccleſiarum Præſules ampliorem poteſtatem in Beneficiis prædictis conferendis ſic obtinentes, hac etiam Apoſtolicæ Noſtræ liberalitatis gratificatione illecti, ad perſonalem reſidentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

Quoniam vero & certæ quædam cauſæ adeſſe poſſunt, & huiuſmodi occaſiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis aſſenſu, & approbatione, liceat Epiſcopo a propria Eccleſia, & Diœceſi per aliquod definitum tempus abeſſe, ea vero abſentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem deſertæ reſidentiæ reum conſtituit; ideo & in Conciliis, & in Apoſtolicis Conſtitutionibus ad præcavendos abuſus tam circa huiuſmodi cauſarum, & occaſionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum ſpatia, providæ ſtatutæ leges, & regulæ reperiuntur. Et quidem iuſtæ, ac legitimæ abſentiæ cauſæ a præfata Tridentina Synodo citat. cap. 1. ſeſſ. 23. non aliæ agnitæ fuerunt, quam Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Verum his etiam cauſis deficientibus, quum eadem Sacroſancta Synodus perpendiſſet ex veterum Canonum ſententia, minime abeſſe videri eos, qui aliquantiſper abſunt, & ſtatim ſunt reverſuri; omnibus Eccleſiarum Antiſtitibus indixit, ut ſibi licitum non putarent ſingulis annis ultra duos, aut tres ad ſummum menſes, ſive continuos, ſive interruptos extra proprias Diœceſes commorari; eoſque ſimul admonuit, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abeſſent, niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detinerent; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut abſque ullo Gregis detrimento conceſſa uterentur libertate, & ut id æqua ex cauſa fiat: quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles cauſæ penitus excluduntur.

Præfatus autem Urbanus Prædeceſſor ad peculiares occurrentes caſus deſcendens, Epiſcopis in Curia promotis unum conceſſit menſem (quem poſtea declaratum fuit, a die ipſorum propoſitionis in Conſiſtorio computandum eſſe) quo menſe elapſo, ſinguli ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII. Prædeceſſore pariter Noſtro, Epiſcopi expoſuiſſent, tam exigui temporis ſpatio non poſſe a recens promotis ſua in Urbe negotia expediri; idem Benedictus facultatem conceſſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ſuo, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, eiuſque Diſtrictu Vicario, ut præfatum unius menſis terminum, iuxta caſuum contingentiam, & cauſa cognita, ad alios quadraginta dies, & non ultra prorogare poſſet.

Præ-

Præterea Epiſcopis ad ſacra Apoſtolorum limina ſtatutis temporibus viſitanda perſonaliter accedentibus ſupradictus Urbanus Prædeceſſor indulſit, ut qui Eccleſiis citra Montes, & citra Mare poſitis præſiderent, per quatuor; qui vero ultramarinis, & ultramontanis Eccleſiis præeſſent, per ſeptem menſes continuos a reſidentia in ſuis reſpective ſedibus facienda, huiuſmodi viſitationis gratia, excuſarentur.

Cum vero idem Urbanus declaraſſet, ſe per ea, quæ in ſuis præfatis litteris conſtituerat, minime ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt Decreta ab eodem Urbano, eiuſque Succeſſoribus approbata; cuiuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam coniungere ſive cum eo tempore, quo permittitur Epiſcopis poſt ſuam promotionem in urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam ſacrorum liminum viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes coniungere cum eo anni tempore, quo propter aeris inſalubritatem, alicui Epiſcopo permittitur extra Diœceſim degere; ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus vernos ſimul, & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus extra Diœceſim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti poſſet, declaratum fuit, prædictam trium menſium vacationem intra cuiuſque anni limites coerceri, ut qui uno anno uſus ea non fuerit, non ideo ſequenti anno diutius ab Eccleſia ſua abeſſe valeat.

Et quoniam Tridentina Synodus ſub legibus de reſidentia huiuſmodi ipſos etiam S. R. E. Cardinales nominatim comprehendit; præfatus Urbanus Prædeceſſor, advertens nonnumquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, ſeu Metropolitanæ, aut Epiſcopali Eccleſiæ præpoſitus, unum ſimul ex Epiſcopatibus ſuburbicariis obtineret, conſtituit, ut huiuſmodi Cardinales in primodictis Eccleſiis, non autem apud Epiſcopatus ſuburbicarios reſidere tenerentur.

Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata Urbani Conſtitutione, contra tranſgreſſores huiuſmodi legum, quæ ad reſidentiam pertinent, graviſſimæ pœnæ ſtatutæ fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ; verum biennio poſt, totam huius materiæ cognitionem delegavit Congregationi particulari a ſe deputatæ, quam compoſitam eſſe voluit ex tunc, & pro tempore exiſtentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, necnon eiuſdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, ac interpretationi & executioni Decretorum prædicti Concilii Tridentini reſpective præpoſitarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut iuſtis ex cauſis, & cum conſilio prædictorum Prælatorum concedere poſſet Epiſcopis licentiam abeſſendi a propriis Eccleſiis, & Diœceſibus ſpatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipſis Urbani litteris datis die 1. Ianuarii 1636. diſtinctius præſcribitur.

Huius Congregationis Caput, ſeu Præfectus, ex quo eadem inſtituta eſt, ſemper fuit præfatus Cardinalis Vicarius pro tempore exiſtens; quemadmodum eiuſdem Secretarii munus is ſemper geſſit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis: unde etiam Nos ipſi, dum in minoribus conſtituti Officio Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis ſuper reſidentia Epiſcoporum ſimul ſuſtinuimus. Quæ ſane Congregatio, ut ex illius ſecretæ regeſtis apparet, tam ipſius Urbani Prædeceſſoris temporibus, quam aliis ſubſequentibus, non ſemel ſingulis annis adunari conſuevit; id, quod a ſan. mem. Prædeceſſore pariter Noſtro Clemente Papa

XL.

Digitized by Google

XI. in uſum revocatum fuit, & identidem peractum, Nobiſmetipſis præfatum Secretarii munus obeuntibus, confectiſque a Nobis, & impreſſis foliis, ea prorſus methodo, quæ pro cauſis ad Congregationem Concilii pertinentibus obſervatur.

Ut autem Epiſcopi a ſuis Eccleſiis, vel Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam Canonicam expreſſa quoque licentia Romani Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria, excepto caſu prædictæ trimeſtris abſentiæ a Concilio permiſſæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Epiſcoporum abſcedentium conſcientiæ relinquat, de æquitate cauſæ iudicium facere; hinc eſt, quod quæcumque huius generis licentia olim indulgeretur, per ſpeciale Chirographum manu Pontificis ſignatum expediebatur. Poſtmodum vero inductus fuit mos deſcribendi omnes huiuſmodi licentias in unico folio, quod Pontifici ſubſcribendum deferebatur: quem ſane morem a præceſſoribus Secretariis invectum, nos quoque ſervavimus.

Cum autem poſt abſentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononienſem Eccleſias Regimini Noſtro ſucceſſive commiſſas aſſidue reſidendo tranſegimus, in Urbem reverſi, & ad Apoſtolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis pręfatæ ſeſſiones, materia forſan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut folia ſignanda Nobis oblata fuerunt; ſed facta Nobis oretenus a Prælato dictarum Congregationum ſuper executione, & interpretatione Concilii, & ſuper Reſidentia Epiſcoporum Secretario, tam petitionum Epiſcoporum, qui vacationem a reſidentia poſtulabant, quam cauſarum, quibus huiuſmodi petitiones innitebantur, relatione, Noſtroque deſuper accepto reſponſo, opportuna ſingulis decreta perſcribi, eaque a Cardinali Vicario Noſtro, tamquam ſæpedictæ Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum Præfecto, ſignari conſueverunt. Verum quum nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam iudicaverimus, viſum eſt Nobis motu proprio, & ex certa ſcientia non ſolum pro debita, ut aiunt, actus ſolemnitate, ſed etiam pro ipſius rei ſubſtantia, & pro maturiori examine cauſarum, quæ ad huiuſmodi licentias obtinendas afferuntur, infraſcriptas leges, & ordinationes inviolabiliter impoſterum obſervandas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, edicere, & conſtituere.

Primum itaque relata ſuperius Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Decreta ſeſſ. VI. cap. I. & ſeſſ. XXIII. cap. I. de Reform. laudataſque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani pariter VIII. Conſtitutiones, & Ordinationes, necnon omnes, & ſingulas, quas ſupra innuimus, reſolutiones Apoſtolicæ Sedis auctoritate editas, innovantes, & tam Decretorum, quam Conſtitutionum, ordinationum, & reſolutionum huiuſmodi tenores etiam veriores pro ſatis hic expreſſis, ac etiam de verbo ad verbum inſertis habentes, & haberi volentes, illaque, & illas, quatenus opus ſit, iterum pleniſſime approbantes, & confirmantes omnia, & ſingula in ipſis contenta, & ab iis ad quos ſpectat, & pro tempore impoſterum ſpectabit, attendi, & in omnibus, quæ Noſtris hiſce litteris non adverſentur, exactiſſime impleri, & obſervari volumus, ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, uſibus, & conſuetudinibus, quæ potius abuſus, & corruptelæ dici debent; quibus, ſi forte adeſſe, aut allegari contingat, motu, ac ſcientia ſimili, ac de prædictæ Apoſtolicæ auctoritatis Noſtræ plenitudine, derogamus, & derogatum eſſe volumus, & decernimus.

Secundo loco, & conſequenter ad præmiſſa adverſus prædictarum legum, & Conſtitutionum tranſgreſſores, omnes, & ſingulas pœnas in eiſdem Decretis, & Conſtitutionibus latas, & comminatas, auctoritate quoque Noſtra confirmamus, & innovamus; amiſſionis ſcilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipſo facto

cto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, ſeu iuſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, & abſque expreſſa, ut præfertur, Apoſtolicæ Sedis licentia, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abſuerint; & amiſſionis alterius quartæ partis fructuum eodem modo incurrendæ, ubi huiuſmodi abſentia ad alios ſex menſes protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. de Reform. ſtatutum fuit; incurſus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis reſtituendi fructus in abſentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eoſque erogandi in Eccleſiarum fabricas, ſeu in ſubventionem pauperum ipſius loci, quacumque conventione, ſeu compoſitione pro huiuſmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio ſeſſ. XXIII. cap. 1. præſcribitur. Similiter impoſitam a prædicto Pio IV. Prædeceſſore pœnam amiſſionis facultatum teſtandi, & diſponendi, ſi quæ tranſgreſſoribus huiuſmodi competere dignoſcantur; necnon inhabilitatis ad maiores dignitates, & Eccleſias obtinendas, quam præfatus quoque Prædeceſſor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam ſuperaddimus, ut iidem tranſgreſſores omnibus, & ſingulis indultis, & privilegiis, quæ forſan ipſis, tamquam Pontificio Solio aſſiſtentibus conceſſa fuerint, ipſo facto privati eſſe cenſeantur. Decernentes ſub tranſgreſſorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter tres menſes a Concilio toleratos abſque legitima cauſa, & expreſſa Romani Pontificis licentia extra proprias Diœceſes commorantur; ſed eos etiam, qui huiuſmodi licentiam falſis, ſimulatiſque cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite, recteque obtenta præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint. Quod ſi nihilominus aliqui non minus Canonica ſtatuta, quam propoſitas huiuſmodi pœnas contemnentes in ſua contumacia confirmati perſeverare præſumpſerint; volumus adverſus iſtos ad ulteriora cum effectu procedi, iuxta mentem eiuſdem Concilii Tridentini, quod in citato cap. 1. ſeſſ. VI. Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem hortatur, ut ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate in huiuſmodi tranſgreſſores ad ſeveriorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Eccleſiis ipſis de utilioribus Paſtoribus provideat, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Tertio loco volumus, & mandamus, ut prædictæ Congregationis ſuper reſidentia Epiſcoporum ab Urbano Papa VIII. inſtitutæ exercitium atque ſeſſiones reſumantur, confirmantes ipſius præfecturæ munus dilecto Filio Noſtro Ioanni Antonio Tituli Sancti Martini in montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, moderno noſtro in Urbe eiuſque diſtrictu in ſpiritualibus Vicario, eiuſque in officio Vicariatus huiuſmodi ſucceſſoribus; ſicut etiam officium Secretarii eiuſdem Congregationis dilecto Filio Magiſtro Ioſeph Alexandro Furietto, eiuſque ſucceſsoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis: eoſdemque ſtatuentes in huiuſmodi Congregatione nunc, & deinceps pro tempore locum habere, & ſuffragium ferre, quicumque ea officia, & munera obtinent, ſive obtinebunt impoſterum, quæ in præcitatis Urbani Prædeceſſoris litteris deſignantur. Præterea cum minime expediat hiuſmodi Congregationem Promotore Fiſcali carere, Nos eum, qui in Tribunali prædicti Cardinalis Vicarii Urbis officium gerit Promotoris Fiſcalis, eiuſque in officio ſucceſſores pro tempore ad idem munus obeundum deputamus in præfata Congregatione, cui ipſum, ſeu ipſos cum conſultivo ſuffragio volumus intereſſe. At vero perpendentes, quod ſi Congregatio iſthæc toties habenda foret, quoties ab aliquo Epiſcopo licentiam abſcedendi a Diœceſi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis oneroſa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi, & parvipendi poſſet; volumus, atque ſtatuimus, eamdem tunc tantum cogendam, habendamque eſſe, cum aut a Nobis, ſive a Succeſſoribus No-

Noſtris Romanis Pontificibus, alicuius negotii cognitio ipſi remiſſa, & delegata fuerit; aut huiuſmodi etiam remiſſione ceſſante, quoties de pœnis ſuperius conſtitutis adverſus aliquem tranſgreſſorem reipſa decernendis infligendiſque deliberandum fuerit: ſiquidem huiuſmodi pœnarum modus, prout cuiuſque maior, aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione ſtatuendus erit; ut facta per ipſius Secretarium Nobis, ſeu Succeſſoribus Noſtris relatione, approbataque Congregationis reſolutione, ad huiuſmodi pœnarum executionem procedatur; aut denique, cum aliquis Epiſcopus inſtantiam proponat abeſſendi a propria Diœceſi ratione alicuius muneris, ſive officii, cuius ea dicatur natura eſſe, ut Apoſtolicum indultum de non reſidendo ad longum tempus ipſi ſit concedendum: Nos etenim huiuſmodi indulta nemini umquam concedi debere decernimus, niſi prævio cauſarum examine in eadem Congregatione peragendo, noſtraque, & Succeſſorum Noſtrorum ſcientia, & approbatione, & mediante expeditione litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis ſupplicum libellorum Secretario, aliiſque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas ad prædictam Congregationem ſuper reſidentia Epiſcoporum omnino remittant: ſimulque prohibemus Noſtro, & ſucceſſorum Noſtrorum pro tempore Secretario Brevium, ne litterarum Apoſtolicarum ſuper indultis huiuſmodi exempla Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris ſignanda ullatenus afferat, niſi authentica documenta tam de cauſarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apoſtolica approbatione, & aſſenſu conſequenter examinatis, eidem fuerint exhibita.

Quarto loco ſtatuimus, ut folia ſuperius enuntiata impoſterum omnino conficiantur, in quibus nimirum deſcribantur nomina Epiſcoporum, quibus dantur indulta commorandi extra Diœceſim, una cum cauſis ab ipſis adductis, atque probatis, & ſpatio temporis, ad quod huiuſmodi indulta conceduntur: quæ quidem folia a Romano Pontifice ſubſcripta, in Tabulario prædictæ Congregationis, ut alias, aſſervari præcipimus: quod tamen intelligi volumus non de iis indultis, quæ per Apoſtolicas litteras in forma Brevis expedienda eſſe in paragrapho ſuperiore præſcripſimus; ſed de alterius generis indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque poſt Pontificium aſſenſum a Secretario requiſitum, & obtentum, expediri debebunt per decreta a prædicto Cardinali Vicario Urbis tamquam præfatæ Congregationis præfecto ſubſcripta. Decet enim has quoque licentias non ſine Pontificia ſubſcriptione prodire; idque obtinebitur accedente ſignatura Pontificis ſuper prædictis foliis, in quibus ſingulorum indultorum tenores, & cauſæ a Secretario deſcriptæ erunt, quemadmodum elapſis temporibus, ac etiam a Nobis ipſis, dum huiuſmodi Secretarii munere fungeremur, ſervatum fuiſſe narravimus.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda indulta commorandi extra Diœceſim, infraſcriptæ plerumque cauſæ ab Epiſcopis afferri ſolent; nimirum, aut neceſſitas aſſiſtendi perſonaliter alicui liti, ſeu controverſiæ, in qua Eccleſiæ, aut Cleri ſui, vel etiam propriæ familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta ſit, vel alia in Urbe, in qua reſideant maiora Tribunalia, quorum ea de re iudicium eſſe debeat; aut corporalis ægritudo, qua correptus fuerit Epiſcopus, dum extra Diœceſim, Conciliaribus menſibus utens, morabatur, ita ut ad eamdem Diœceſim reverti nequeat; aut adverſa valetudo in ipſa Diœceſi contracta, ad quam depellendam medici putent neceſſarium fore, Epiſcopum aerem, & ſolum aliquantiſper mutare; aut denique malignitas aeris in Diœceſi vigens, quam aliquibus anni menſibus devitare oporteat: & quoniam nec ulla ex præmiſſis cauſis, abſque expreſſa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere reſidendi eximere poteſt; & niſi certis expreſſis circumſtantiis, iiſque verificatis, difficile eſt ad huiuſmodi ap-

pro-

Digitized by Google

probationem rite, recteque procedere; neceſſarium Nobis viſum eſt infraſcriptas Regulas ſtatuere, quas in ſingulis reſpective caſibus ab iis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, obſervari mandamus, atque præcipimus.

Si quis igitur in poſterum licentiam petierit abſcedendi a Diœceſi ſibi concredita, ut iudiciali controverſiæ, quæ alibi vertitur, per ſe ipſum interſit, exprimere debebit in precibus tum locum, ſive Urbem, in qua huiuſmodi lis agitatur, tum etiam, an ea pertineat ad ipſam Oratoris Eccleſiam, ſeu Clerum, vel potius ad ipſius Familiam. Et quidem ſi ad Familiam pertineat abſque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Præfectum adeat, reſcribendum ab ipſo erit, ut Orator ad effectum de quo in precibus, utatur menſibus a Concilio indultis. Quod ſi eis iam uſus fuerit, ulterior ipſi licentia non concedatur. Si vero de eius Eccleſiæ vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt tum ſtatus litis, tum cauſæ, propter quas neceſſaria creditur in loco iudicii Oratoris præſentia; tum etiam declarandum, an menſibus Conciliaribus uſus fuerit. Et quidem ſi nondum illis uſus ſit, reſcribendum erit, ut eos in huiuſmodi cauſam impendat. Si vero id amplius Epiſcopo integrum non ſit, (qua in re nec dolus, nec fraus interceſſerit) & alioquin ipſius inſtantia iuſta videatur, tantum illi temporis, & non amplius, ad commorandum extra Diœceſim tribuatur, quantum iudicatum fuerit neceſſarium eſſe, ad cauſæ Defenſores, Advocatos, & Iudices de omnibus, quæ ad rem pertinent, ſufficienter inſtruendos. Si enim licentia abeſſendi a Diœceſi uſque ad finalem exitum cauſæ extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hiſce caſibus Epiſcoporum abſentia, & quam facile evenire poſſet, ut pleræque Diœceſes complurium annorum ſpatio ſuorum Paſtorum præſentia carerent.

Qui vero licentiam abeſsendi petierint ratione infirmitatis extra Diœceſim contractæ dum vacatione a Concilio indulta uterentur, aſserentes ea de cauſa regreſsum ad propriam Diœceſim ſibi prohiberi; exponere debebunt contractæ infirmitatis qualitatem, & ſuper ea teſtimonium medici iuramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipſis indulgeatur, ea ſemper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clauſula, ſi tamdiu infirmitas duraverit.

Ab iis autem, qui huiuſmodi licentiam poſtulaverint, eo quod aeris mutatione opus ſibi eſse dicant ad convaleſcendum ex morbis, quos in ſuis Eccleſiis reſidendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, & quam graviter laborent, ac proferendum teſtimonium medici, qui iureiurando teſtetur, utile ac neceſsarium Oratori eſse, ut in aliam Regionem, atque aerem per aliquod tempus ſe transferat. Nec illud ſilentio prætereundum, an ſcilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimeſtri licentia a Concilio permiſſa uſus fuerit. Si enim id nondum fecerit, & tempus a Concilio indultum ſufficiens ipſi non reputetur, poterit ei concedi ut per quatuor menſes, in quibus tamen Conciliares menſes comprehendantur, a Reſidentia abſens permaneat. At ſi prædictos Conciliares menſes, remoto omni dolo, & fraude, iam extra Diœceſim tranſegerit; tantum temporis ipſi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipſius valetudinem vere neceſſarium eſſe prudenter iudicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra Diœceſim poſtulabit propter malignitatem aeris, quem in ſua Diœceſi aliquo anni tempore inſalubrem eſſe affirmat; is videat etiam atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni menſibus pernicioſus ſit Regionis aer; item, an eadem cæli temperies totam comprehendat Diœceſim, ita ut nullus intra eius tractum locus exiſtat, in quo ſuſpectum illud tempus abſque ſalutis detrimento tranſigere valeat, poſtremo an Conciliaribus menſibus uſus fuerit. Etenim ſi nondum eos ſibi ſumpſerit, non ægre obtinebit indultum abeſſendi per quatuor menſes (quatenus periculum ab aere tamdiu

dura-

Digitized by Google

durare cenſeatur) in quibus tamen tres illi a Concilio permiſſi numerandi erunt. Si autem huiuſmodi Concilii indulgentia iam uſus fuerit, fruſtra novum indultum prædicta de cauſa ab Apoſtolica Sede poſtulabit; ſibique imputare debebit, quod cum ſciret certo anni tempore in ſua Diœceſi aerem inſalubrem fore, conceſſos vacationis menſes in tempus illud non reſervaverit. In omnibus autem abſentiæ indultis, quæ ratione aeris inſalubris in poſterum concedentur, hanc clauſulam adiici volumus: *Dummodo intra Diœceſim aliquis locus non adſit, in quo aer ſalubris ſit, & in quo Epiſcopus commorari poſſit.*

Sane prædictus Urbanus Prædeceſſor non prætermiſit eorum Antiſtitum cauſam conſiderare, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, ſeu Aſſembleis generalibus, in quibus Eccleſiaſtici intervenire ſolent, perſonaliter intereſſe, ſive in aliis muneribus, aut Reipublicæ officiis, quæ ipſorum Epiſcopatibus, Eccleſiiſque adiuncta ſunt, ad certum tempus extra Diœceſim occupari ſolent, ac debent; & his quidem in præcitata Conſtitutione licentiam abeſſendi conceſſit pro eo definito tempore, quo eiuſmodi Concilia, Congregationes, & Aſſembleæ peragentur, exercitiumque muneris ſeu officii publici eorum Eccleſiis adiuncti actu duraverit; dummodo, iis finitis, recto tramite ad Eccleſias ſibi commiſſas ſeſe conferrent. Cuius conceſſionis æquitatem Nos quoque agnoſcentes, eamdem approbamus,& confirmamus. Sed cum idem Urbanus nihil ſtatuerit de Epiſcopis, qui a reſidentiæ ſuæ loco diſcedunt pro proceſſuum in cauſis Beatificationum, aut Canonizationum compilatione Apoſtolica auctoritate ipſis delegata, neceſſe eſt aliquid a Nobis pro his etiam caſibus opportune conſtitui.

Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum litteræ, quas vocant remiſſoriales, & compulſoriales, quibus committitur, ut ſupradicti proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiantur: eæque diriguntur tribus Epiſcopis, aut ſuperioribus Prælatis cum clauſula, ut duo ad minus procedant. Cumque in huiuſmodi Epiſcoporum numero ſemper includatur Ordinarius loci, in quo proceſſus conſtruitur, fere contingit, e tribus, ad quos litteræ ſunt directæ, unum dumtaxat a reſidentia avocari. Ubi itaque aliquis Epiſcopus Titularis Eccleſiæ in partibus infidelium conſtitutæ haberi poſſit, volumus eum in præfatis litteris pro uno ex tribus Epiſcopis comprehendi. Quod ſi tres omnino Antiſtites in propriis Eccleſiis reſidentes ad huiuſmodi effectum delegari oporteat, ſtatuimus, atque præcipimus, ut litteræ a prædicta Congregatione dirigantur Epiſcopis, qui viciniores ſunt Diœceſi, in qua Apoſtolicus proceſſus conficiendus erit. Quoniam vero non de re agitur, quæ duabus tributve hebdomadibus perfici queat, ſed quæ plurium ſæpe menſium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Epiſcopi, qui eiuſmodi delegationem acceptaverint, neceſſariam licentiam abſcedendi a Diœceſi, cauſam abſentiæ exprimendo, petere, & impetrare non omittant, ſub pœnis adverſus eos conſtitutis, qui abſque cauſa extra Diœceſim commorantur. In huiuſmodi autem licentiis concedendis ſtatuimus, ut Conciliares menſes ſemper comprehendantur, & præter eos, triginta dumtaxat dies, ſi opus fuerit, adiiciantur; nam & ad plura peragenda quadrimeſtre ſpatium ſufficiens eſt; & ſi adhuc facienda ſuperſint, quatuor alii menſes ſequenti anno in idem opus inſumi poterunt.

Hæc ſunt, quæ ſalubriter in Domino ſtatuenda iudicavimus, quæque pro regula, & norma in poſterum haberi volumus, ut a Venerab. Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, graviſſimum, quod ipſis incumbit, reſidentiæ officium exacte impleatur. Itaque dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis ſuper eadem reſidentia Secretario, eiuſque ſucceſſoribus in perpetuum iniungimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub pœnis contra inobedientes mandatis Apoſtolicis in re gravi, præcipimus, atque iubemus, ut ſupplices libellos pro parte quorumcumque Antiſtitum ſibi oblatos, in quibus ea,

quæ

Digitized by Google

quæ ſupra adnotavimus, expreſſa non fuerint, quibuſque neceſſaria authentica documenta, ſuperius pariter indicata, non ſint adiuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In Decretis autem, quæ poſt Pontificium aſſenſum ab ipſis Secretariis in conſueta audientia reportatum, a Cardinali eiuſdem Congregationis Præfecto ſubſcribenda erunt, ſupraſcriptas clauſulas reſpective apponere non prætermittant; illud etiam expreſſe cavendo, ut quæ conceduntur indulta, a die Datæ ipſorum Decretorum decurrere intelligantur.

Denique Ven. Fratres, Patriarchas, Primates Metropolitanos, & Epiſcopos univerſos monemus, ut non ſolum ipſi ſtatutas de reſidentia leges adamuſſim obſervent, ſed ſemper memores ſint Decreti a Sacra Tridentina Synodo editi ſeſſ. VI. cap. I. de reform. quo iubentur ſinguli pro virili parte in aliorum agendi rationem reſpective vigilare, & non reſidentes Romano Pontifici infra certum tempus denuntiare. Noſtris quoque, & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus, & iniungimus, ubi intra ipſorum Nuntiaturæ diſtrictum aliquis Epiſcopus, ſeu ſuperior Prælatus exiſtat, qui Canonicas leges in hac parte violare dignoſcatur.

Et quia Nobis relatum eſt nullibi frequentius prædictas leges ab Epiſcopis violari, quam in proximo Neapolitano Regno (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero) volumus, atque ſtatuimus, ut in indultis abſentiæ, quæ pro Epiſcopis prædicti Regni in poſterum expediri contingat, ad ceteras clauſulas ſuperius præſcriptas, hæc etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apoſtolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, vel momenti habeatur. Nos ſiquidem prædicto Nuntio earumdem præſentium tenore committimus, ut huiuſmodi licentias in acta ſui Tribunalis referri faciat, itemque de cauſis, propter quas conceſſæ fuerunt, inquirat, ac tempus in iis præfinitum obſervet, ad hoc ſcilicet, ut per eum reſciri poſſit, ſi quid obreptum, aut ſubreptum fuerit in precibus; & ipſum latere nequeat, ſi quis præſcriptos ſibi limites tranſgrediatur, ſive abſque neceſſario Apoſtolicæ Sedis indulto, extra tempora a Concilio permiſſa, longe ab Eccleſia, & Diœceſi ſua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, Diœceſes ſuas deſerunt, & non quidem in Urbem Regni principem, ubi Apoſtolicus Nuntius moram trahit, ſed in alias ſe conferunt eiuſdem Regni Civitates, quin ipſe Nuntius quidquam de illis audiat; iniungimus Nuntio, ut per Officiales ſuos, atque Miniſtros, quos in omnibus Diœceſibus retinet, curet ſe certiorem fieri de Epiſcopis quicumque a propriis Diœceſibus recedunt: ut & ii, qui obtentis licentiis abutuntur, & multo magis ii, qui proprio marte ſe gerere præſumunt (dum vel abſque prævia licentia, præter tempus a Concilio indultum, a ſuis Diœceſibus abſunt, vel ſi ob aliquem inopinatum eventum ab ipſis diſcedere compulſi fuerint, huiuſmodi licentiam ſtatim ac ad deſtinatum locum pervenerint, petere, & impetrare non curant) ſeveriori Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum ſanctionum cenſuræ ſubiiciantur.

Ceterum intendimus ſub præſentium litterarum noſtrarum ordinatione, & diſpoſitione etiam ipſos Ven. Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus Eccleſiis prædictis ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica nunc præſunt, & in futurum præerunt, comprehendi, & comprehenſos eſſe, & fore.

Præſentes quoque litteras, omniaque, & ſingula in eis contenta de ſubreptionis, obreptionis, aut cuiuſcumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentioniſque Noſtræ, aut quocumque alio defectu etiam ex eo, quod in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, & habere prætendentes, & præſertim eiuſdem S. R. E. Cardinales præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſolemnitateſque, & alia ſervanda, & adimplenda nullatenus ſervata, & adimpleta fuerint,

ac

ac quocumque alio colore, prætextu, occaſione, & cauſa etiam neceſſario exprimenda a quoquam notari, impugnari, in ius, vel controverſiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adverſus illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodvis iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo umquam tempore poſſe; ſed ſemper, perpetuoque valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, perinde ac ſi in Conſiſtorio Noſtro ſecreto, & de eorumdem Fratrum Noſtrorum conſilio, & unanimi aſſenſu emanaſſent. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon prædictæ S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem ſuper reſidentia deputatam, & quoſcumque alios, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, iudicari, & definiri debere; & quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in univerſalibus, Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, vel edendis, necnon, quatenus opus ſit, de non tollendo iure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ſtatutis quoque etiam iuratis, & conſuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus, dictarum reſpective Eccleſiarum; necnon licentiis, privilegiis, & indultis, etiam Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, earumque Præſulibus quomodolibet hactenus conceſſis, omnibuſque, & ſingulis aliis, quæ prædictus Urbanus ſuarum litterarum firmitati, & executioni voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum copiæ ibidem affigantur, & affixæ relinquantur; quæ ſic publicatæ, & affixæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, arctent, & afficiant, non ſecus ac ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent; quodque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in Iudicio, & extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Ordinationum, Confirmationum, Derogationum, Præceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Nonas Septembris Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

I. Datarius.

D. Cardinalis Paſſioneus.

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi

J. B. Eugenius

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Au-

Digitized by Google

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI MDCCXLVI. Indictione 9. die vero 20. Septembris, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Nicolaum Cappelli Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Beſani Mag. Curſ.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

Contra quamdam pravam praxim in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

AD eradicandum pravum zizanii ſemen, quod ab adverſario generis humani in agro Dominico ſparſum per Luſitaniæ primum Regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos Confeſſarios in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ perverſa quædam, & abſurda praxis, Eccleſiaſticis Regulis contraria, eidemque Sacramento iniurioſa, & ad avertendos Fideles ab ipſius ſalutifero uſu quam maxime tendens introduci cœperat; pro impoſito Nobis vigilandi debito, Apoſtolicas in forma Brevis litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna, atque Ditiones conſtitutis, quas deinde per alias Noſtras ſub Plumbo expeditas litteras, nuper, quarto nimirum Nonas elapſi Menſis Iunii, confirmavimus, & innovavimus adiectis nonnullis ordinationibus, & declarationibus, quas ad meritas pœnas, tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, ſive docentibus irrogandas, & ad rectum adverſus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis, & ditionibus ſervandum opportune expedire in Domino iudicavimus.

Earum autem litterarum, quas ad huiuſmodi erroris, & abuſus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & Divina Ieſu Chriſti omnium Paſtorum Principis, cuius vices plane immerentes gerimus, Caritas aſſidue urget Nos, ut pro commiſſa divinitus imbecillitati Noſtræ univerſi Dominici Gregis cura ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint per omnes Chriſtiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino poſſumus, occurramus, atque iis præcipue Regnis, & locis peculiari quodam Apoſtolicæ Noſtræ caritatis ſtudio, auctoritatiſque providentia conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere fidelibus, dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurat, & ementita boni ſpecie incautis illudens; qua ex arte non minora ſæpe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſta eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentiſſimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus vos Antiſtites ſumma Sacerdotalis virtutis veſtræ commendatione præſidetis, & quibus pro ſingulari erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc S. Sedem obſervantia meritæ debentur laudes,

des, nuper eveniſſe non ſine ingenti animi Noſtri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures noſtras, nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed a zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes perverſam quamdam, & pernicioſam praxim in audiendis Chriſti fidelium Confeſſionibus, & in ſaluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando invehere, atque introducere cœpiſſe, ut videlicet ſi forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii huiuſmodi ſeu complicis nomen paſſim exquirerent; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelarent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis eiuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi deſignari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones huiuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent; ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quę inde facile conſecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Iudice conſtituerent. Et vero iam ſecuta fuiſſe multa eiuſmodi damna infelici experientia compertum eſt. Nec fieri potuit quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius Miniſterii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta ſint. Triſtia Nos hæc nuntia cum accepimus, ſimul audivimus contra exitialem huiuſmodi abuſum protinus iuſta indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos Filios Noſtros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonenſem, atque utrumque ſollicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte Apoſtolico noſtro Miniſterio deeſſe videamur, neve mentem hac ſuper re Noſtram apud Vos obſcuram, aut ambiguam eſſe ſinamus; notum Vobis eſſe volumus, memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eamdemque a Nobis per præſentes Noſtras in forma Brevis litteras reprobari, atque damnari tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento iniurioſam, tendentemque ad ſacroſancti Sigilli Sacramentalis violationem, atque ab eiuſdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & neceſſario uſu Fideles abalienantem. Ea propter, Venerabiles Fratres, quamquam de Paſtorali Veſtra vigilantia nihil eſt, quod dubitemus, Supremi tamen officii Noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis Noſtræ aperta ſignificatione, & Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris intenſius acuere, & excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcumque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, & efficacioribus quibuſque iuris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Miniſtros adhibitis, noxiam huiuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pene naſcentem opprimatis; neque patiamini traditis curæ veſtræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus a Chriſto poſita eſt, ab eoque Divinæ Miſericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore Noſtro ad abluendas, dealbandaſque in Sanguine ſuo animas, amantiſſime invitantur. Interea, dum a zelo veſtro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur veſtræ pietatis, & obſervantiæ argumenta, Apoſtolicam benedictionem cum uberrima cæleſtium chariſmatum copia coniunctam vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhi-

Digitized by Google

hibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Menſis Iulii 1745. Pontificatus Noſtri anno quinto.

Caietanus Amatus.

Quoniam vero nullam Paſtoralis vigilantiæ cautelam ſuperfluam eſſe ducimus, ubi de fidelium animarum pernicie, deque ſubvertenda ſanæ doctrinæ integritate, & recta Sacramentorum adminiſtratione periculum ſubeſſe dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas eſſe pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confeſſariorum perquiſitionibus pro inveſtigandis complicum nominibus, aliiſque notitiis, iuxta praxim in præinſertis Noſtris Apoſtolicis litteris relatam, atque damnatam; erroneas vero quorumdam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes, & applicationes in eiſdem litteris enuntiatas, aliquibus arridere; nec ſatis eliminatas reputari per ipſas præmiſſas litteras, quas, utpote ad Luſitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accommodatas, & pro iiſdem ſolummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, auctoritatemque habere ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, motu proprio, atque ex certa ſcientia huius Noſtræ generalis Sanctionis tenore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis Noſtræ plenitudine eaſdem præinſertas litteras iterum confirmantes, & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam praxim in ſe ipſa, & ubique locorum, ac temporum, Apoſtolica auctoritate reprobatam atque damnatam eſſe, & cenſeri debere; nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato Noſtro Brevi contentam docere, ſcribere, atque loqui, eamque impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contraire, ſub pœnis adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a Sede Apoſtolica reiectas, & condemnatas, & reſpective adverſus contrafacientes mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis Sanctionibus, ſtatutis, atque præſcriptis.

Decernentes eaſdem præinſertas, necnon præſentes Noſtras Apoſtolicas litteras nullo ex capite, colore, aut prætextu de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & perpetuo fore, atque omnes ubique terrarum cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, & tam ſæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, alioſque etiam ſpeciali mentione dignos, afficere, & arctare, ac ſuos ubique plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, exacte, & inviolabiliter obſervari debere.

Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, Legatos quoque de latere, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſque quoſlibet quacumque auctoritate & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in Univerſalibus, ſive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis cuicumque perſonæ, ſive Ordini, Inſtituto, Societati, & Congregationi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſlibet clauſulis, atque Decretis, etiam motu, & Apoſtolicæ poteſta-

Digitized by Google

tis plenitudine ſimilibus in contrarium forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores prædictos pro ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis, & inſertis, formaſque huiuſmodi pro plene, & exacte obſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus eaſdem per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, aliiſque conſuetis Urbis locis publicari, earumque copias affigi, & affixas relinqui: quæ ſic publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos quos concernunt, arctent, & afficiant, non ſecus ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent; quodque earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in Iudicio, & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, ſanctionis, & voluntatis infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 4. Kalendas Octobris Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

I. Datarius

Pro D. Card. Paſſionei.

VISA DE CURIA

Io. Florius Subſtitutus.

I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI MDCCXLVI. Indictione 9. die vero 5. Octobris, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Nicolaum Cappelli Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Beſani Mag. Curſ.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

De Regularibus ab Epiſcopo Diœceſano ordinandis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IMpoſiti Nobis licet immerentibus Apoſtolici Miniſterii ratio poſtulat, ut ad

ad tuendum Eccleſiæ diſciplinæ vigorem, non modo novas interdum leges provide conſtituamus, verum etiam veteres a Prædeceſſoribus Noſtris ſapienter ſtatutas, ſiquidem fallacium rationum præſidio debitis fraudentur effectibus, novis, & inviolabilibus ſanctionibus communiamus; ſi vero earum claritas pravis, & captioſis interpretationibus involvi, & obumbrari dignoſcatur, eaſdem perſpicuis, apertiſque declarationibus in propria luce collocemus.

Sane quæ olim de ordinationibus Regularium controverſia viguit, an ſcilicet Regulares a quocumque Catholico Antiſtite indiſtincte ordinari poſſent, an vero id iuris privative pertineret ad Epiſcopum illius Diœceſis, intra quam ſita eſt Religioſa domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutionibus, & declarationibus iamdudum ſublata fuit. In qua quidem controverſia Epiſcopi locorum Ordinarii iura ſua fundantes in generalibus Canonum ſtatutis, & in ipſis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta ſunt, aiebant, ipſorum ordinationes, utpote Diœceſanis Epiſcopis expreſſe reſervatas, neque ſpectare poſſe ad Ordinarios eorum originis, quam Regulares a ſe abdicant, dum ſæculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipſi ad titulum Beneficii non promoventur; proinde unice ſpectare ad Epiſcopos Ordinarios eorum domicilii, nimirum illius Diœceſis, ac loci, in quo ipſi ordinandi commorantur. Contra vero Regulares Apoſtolicis privilegiis innixi, quæ certis Ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extenſa fuerant, licitum ſibi eſſe contendebant Sacros Ordines a quocumque Catholico Antiſtite, iuxta eorum privilegiorum tenorem pro arbitrio ſuſcipere.

Verum cum felicis recordationis Prædeceſſor Noſter Gregorius Papa XIII. per ſuam Apoſtolicam Conſtitutionem, quæ incipit, *In tanta rerum*, datam apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1573. Kalendis Martii, iuſtis, gravibuſque de cauſis, alteram Conſtitutionem ſui, Noſtrique pariter Prædeceſſoris S. Pii Papæ V. cuius initium eſt, *Etſi Mendicantium*, ad iuris communis, & Sacri Concilii Tridentini terminos reduxiſſet; eodem quoque anno in cauſa Monachorum Ordinis Carthuſiani Decretum edidit, quo ipſos ab Epiſcopis Diœceſum, in quibus eorum Monaſteria reſpective ſita ſunt, vel nonniſi de iſtorum licentia ab aliis quibuſque Epiſcopis ordinandos eſſe declaravit, quemadmodum legitur in *Lib. I.* Decretorum Congregationis Concilii *pag.* 75. *a terg. dub. un. Noſtri Ordinandi obligentur habere expreſſam licentiam Ordinarii, in cuius Diœceſi ſunt, pro Ordinibus conferendis ab Epiſcopo alterius Diœceſis: Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit, obligari.*

Contigit autem ſub illius Succeſſore Siſto V. eamdem quæſtionem retractari, inſtante univerſo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædeceſſor poſt maturum cauſæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, conſtituit, licere Superioribus Regularibus litteras dimiſſoriales concedere ſuis reſpective ſubditis, ad Ordines ſuſcipiendos; ſed eas tamen Diœceſano dumtaxat Epiſcopo directas, nec alteri umquam, niſi cum forte is a Diœceſi abſuerit, aut, quatenus in Diœceſi extiterit, Clericorum tamen ordinationem non ſit habiturus. Ita relatum habetur *Lib. IV.* prædictorum Decretorum *pag.* 108. *Sanctiſſimus Dominus Noſter Siſtus V. ex ſententia Congregationis reſpondit, Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, eoque abſente, vel etiam præſente, & ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Demum a ſanctæ memoriæ Prædeceſſore quoque Noſtro Clemente Papa VIII. ad huiuſmodi controverſias perpetuo extinguendas ſequens Decretum editum fuit: *De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ*

VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cuius tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit; & ſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas eſſet habiturus ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ reſervatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c.

Datum Romæ die 15. Menſis Martii 1596.

Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, iure ſperandum videbatur huius generis lites non amplius auditum iri. Sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Epiſcopi ultra Montes conſtituti contendere cœperunt, neceſſarias eſſe Regularibus dimiſſorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo poſſent ab Epiſcopis aliorum locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes in præfato Clementis VIII. Decreto derogatum non fuiſſe Apoſtolicis privilegiis, quæ eorum Ordinibus, ſive directe, ſive per communicationem indulta fuerunt, ut ſcilicet a quocumque Catholico Antiſtite ordinari poſſent, huiuſmodi Decreti vim, & obſervantiam declinari ſe poſſe putarunt.

Verum, quod attinet ad Epiſcopos, ipſa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1654. ut notatum reperitur *Lib. XIX.* ipſius Decretorum *pag. 316.* ita reſcripſit: *Regulares volentes ſe promoveri ad Ordines, non teneri oſtendere dimiſſorias Ordinariorum propriæ originis, ſed ſufficere, ut obſervent formam præſcriptam in Decreto ſan. mem. Clementis VIII.* Quod etiam ampliſſime confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anni 1674. Decretorum *Lib. XXVIII. pag. 261. & ſequentibus.*

Quod vero ſpectat ad Regulares; cum eorum præſumptum ius una cum rationibus ab ipſis pleniſſime deductis in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium a felicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc exiſtentes Noſtram qualemcumque operam pro demandato Nobis Secretarii munere contulimus, diligenter expenſum, & examinatum fuiſſet; cumque ad huiuſmodi quæſtionem definiendam id potiſſimum viſum eſſet in iure ſtatuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati Decreti Clementini obſervantia ſufficeret, quod privilegia ſuſcipiendi Ordines a quocumque, ipſis conceſſa fuiſſent poſt Concilium Tridentinum, a quo huiuſmodi antiqua privilegia abrogata fuiſſe ſatis conſtat; an vero oporteret eadem conceſſa fuiſſe poſt ipſum Clementis Prædeceſſoris Decretum; ac præterea an huiuſmodi privilegia æque ſuffragentur iis, ad quos per viam communicationis extenſa dicerentur, ac iis, quibus directe, & expreſſe indulta fuerunt: idem Innocentius Prædeceſſor audito præfatæ Congregationis particularis conſilio, decrevit, ſatis eſſe ad ſupradictum effectum, quod huiuſmodi privilegia poſt Concilium Tridentinum conceſſa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto poſteriora non ſint; dummo-

Digitized by Google

modo tamen directe conceſſa fuiſſe conſtet, non vero in communicatione privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata aſſerantur, quemadmodum ipſe Innocentius in ſuis Apoſtolicis litteris, incipientibus, *Apoſtolici Miniſterii*, die 30. Maii anni 1723. datis, ac deinde confirmatis a Sanctæ memoriæ Prædeceſſore pariter Noſtro Benedicto Papa XIII. per alias ſimiles litteras datas die 23. Septembris anni 1724. quarum initium eſt *In ſupremo*, aperte declaravit, his verbis: *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, ſervetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piæ memoriæ Clemente VIII. Prædeceſſore etiam Noſtro confirmatum die 15. Martii 1596. quo ſancitur ad Epiſcopum Diœceſanum litteras dimiſſorias pro eorumdem Ordinum ſuſceptione a ſuis Superioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo Diœceſanus a Diœceſi abeſset, vel ordinationes non eſset habiturus; quo etiam caſu in litteris dimiſsoriis ad alium Epiſcopum dirigendis expreſsa fieri debeat mentio vel de prædicta Epiſcopi Diœceſani abſentia, vel de illa alia cauſa, videlicet, quod ordinationes non ſit habiturus; exceptis tamen quoad prædicta Regularibus illis, quibus per ſpeciale privilegium a Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſſum, ut a quolibet Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo indulto nihil per præſentes innovare intendimus.*

Porro ſi aliqui vigilias, laboreſque ſuos, non tam in extricandis inutilibus quæſtionibus, vel forte in rebus profanis, & ab Eccleſiaſtica profeſſione addiſcendis conſumerent, quam in ſtudio ſacrarum Legum, quibus Eccleſiaſtica diſciplina continetur, utiliter collocarent; ac niſi aliquibus arbitrium pro lege, præiudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clariſſimarum interpretatione, ſuus cuique ſenſus pro auctoritate eſſet; nec olim Nobis in noſtro Bononienſi Archiepiſcopatu reſidentibus contigiſſet, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digreſſus, ſuique Superioris dimiſſorias ad Epiſcopum finitimum deferens, tametſi nullo pacto docere poſſet, Nos Clericorum ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem ſuſciperet, nullaque interiecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non ſine pompa offerendum reverteretur; quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum Sanctionum rigorem exigere, atque etiam, ſervata Paſtorali manſuetudine, vindicare non prætermiſimus, ut videre eſt in monito Paſtorali a Nobis tunc edito, *inter impreſs. monit.* 111. *Lib. II.* Neque rurſus ex quo ad univerſalis Eccleſiæ regimen, Deo ſic diſponente, aſſumpti fuimus, plurium Epiſcoporum Fratrum Noſtrorum querelæ ad Apoſtolatum Noſtrum delatæ fuiſſent; qui nimirum non ſine magno animi noſtri dolore apud Nos expoſtulare non deſinunt, a pluribus ſæpe Regularibus in eorum Diœceſibus reſpective commorantibus ſimilia perpetrari in ſpretum Eccleſiaſticarum legum, atque pœnalium Sanctionum, quibus ipſo facto aſtringuntur (ſiquidem in authographo ſupra relati Clementini Decreti diſtincte legitur *incurrant*; non autem, quod falſo non nemo aſſeruit, *incurrent*) dum ſcilicet, Superiores Regulares, qui ſubditis ſuis non ad præſcriptum eiuſdem Decreti dimiſſorias litteras concedunt, ſuorum officiorum, ac dignitatum, & vocis activæ, atque paſſivæ amiſſione mulctantur; Ordinati vero ſuſpenſionis pœnam, atque etiam ſi in ſuſcepto Ordine miniſtraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique Antiſtites, qui ipſis manus imponunt, non facile effugiunt Canonicas pœnas adverſus eos propoſitas, qui alienos ſubditos abſque ſufficientibus dimiſſoriis ordinare præſumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod cum ex uſu rerum intelligere poſſint, complures Regulares non alia de cauſa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut ſe ſubducant examini Epiſcopi Diœceſani, cuius hac in re iuriſdictionem, aut nimium rigorem perhorreſcunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmiſſo examine, Ordines ipſis impertiatur; quoties huiuſmo-

di facilitate erga illos utuntur, toties adverſus conſultiſſima Tridentinæ Synodi Decreta delinquunt: ea ſiquidem *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XII. *de Reformatione*, ſic ſtatuit: *Regulares quoque, nec in minori ætate, neque ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis.*

Nos autem conſueta Sedis Apoſtolicæ clementia uti volentes libenter abſtinemus a deſignandis, aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum exceſſibus in hoc rerum genere graves Epiſcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admiſſa ſunt, a diſtrictioris iudicii inquiſitione liberamus; quinimmo omnes, & ſingulos in hoc delinquentes, ſive Superiores Regulares, ſive Regulares ad Ordines promotos, ſive Antiſtites, qui eos ordinaverint a quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas hac de cauſa reſpective antehac incurrerint, quibuſque innodati forſan exiſtunt, auctoritatis Noſtræ plenitudine, ac de Apoſtolica benignitate tenore præſentium abſolvimus, & abſolutos eſſe, & cenſeri decernimus, & cum iiſdem ſuper quacumque irregularitate per eos forſan, cauſa, & occaſione præmiſſis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia, & ſingula eorum reſpective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine diſpenſamus. De cetero tamen infraſcriptas Leges in poſterum omnino obſervandas, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtra, ac matura deliberatione præmiſſa, edicimus, atque ſtatuimus.

Quæcumque nimirum hac in re a præfatis Prædeceſſoribus Noſtris Gregorio XIII. Siſto V. Clemente VIII. & Innocentio XIII. in ſupracitatis ipſorum Litteris, ſeu Decretis, ſtatuta, mandata, definita, atque ſancita fuerunt, ea omnia & ſingula motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine præfatis earumdem præſentium ſerie confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu quandocumque in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari præcipimus, & iubemus. Tranſgreſſores quoque omnibus pœnis in præmiſſis contentis, aliiſque per Apoſtolicas Conſtitutiones, & per Sacros Canones latis, atque ſtatutis cum effectu ſubiacere, eaſque ipſo facto, & abſque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut præfertur, ſupradictus Clemens VIII. Prædeceſſor conſtituit, & ſanxit; Regulares autem, qui contra illius Decreti præſcriptum promoti fuerint, & Antiſtites eos promoventes, Canonicas pœnas, atque cenſuras, quæ adverſus Sacram Ordinationem ſuſcipientes ab Epiſcopo, qui proprius ad hunc effectum dici, & haberi nequit, necnon adverſus Epiſcopos, alienos ſubditos indebite ordinantes, in iure Canonico, & in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ habentur.

Præterea volumus, atque decernimus, ut Superiorum Regularium dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, propterea quod Epiſcopus Diœceſanus extra Diœceſim commoretur, vel ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris & momenti, niſi illis iuncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiuſdem Epiſcopi Diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum a Diœceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem habiturum non eſſe proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto. Hoc enim expreſſe declarari opus eſt ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordines extra tempora exiſtimarunt Epiſcopos ipſorum voluntati adeo addictos eſſe debere, ut ſi, quandocumque ipſis placuiſſet ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato voti compotes fierent, iam dici poſſet, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopus pro ſuſcipiendis Ordinibus adeundus eſſet. Quod ſi aliquis Antiſtes Regularem virum, in ſua Diœceſi proprium domicilium non habentem ſolis ipſius Superioris dimiſſorialibus litteris contentus ſine ad-

iun-

iuncta præfata atteſtatione in forma probante, ad Ordines promovere præſumpſerit; decernimus & declaramus hunc ipſo facto incurrere in pœnas Canonicas adverſus eos conſtitutas, qui alienum ſubditum legitimis dimiſſoriis deſtitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium privilegia firma, & rata eſſe volumus, quibus ab Apoſtolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet Catholico Antiſtite ipſius Sedis gratiam, & communionem habente ordinari valeant, dummodo huiuſmodi privilegia poſt Tridentinum Concilium, & ipſis nominatim, atque directe, non autem per communicationem conceſſa fuerint; ita porro omnia ſimilia privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Concilium Tridentinum, ab ipſa etiam Apoſtolica Sede, & ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directe conceſſa, ſed per communicationem ad eos extenſa eſſe dicantur, iiſdem auctoritate, & tenore, nulla, & irrita, omnique vigore, ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta, & vacua eſſe volumus, & ſtatuimus. Decernentes huiuſmodi privilegia nequaquam poſt Concilium Tridentinum indulta cenſeri, niſi vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſſa, vel quatenus antea conceſſa, & poſterius confirmata eſſe aſſerantur, huiuſmodi confirmationes *in forma ſpecifica*, cum litterali veteris indulti inſertione, eiuſque expreſſa innovatione, factæ dignoſcantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmiſſum effectum ullo pacto ſuffragari. Quod vero ſpectat ad eorumdem privilegiorum uſum, & exercitium, monendi ſunt ii, quibus eadem, iuxta præmiſſa, pleno iure competere dignoſcuntur, ut ſine iuſta cauſa, nec extra debitas circumſtantias pro libito ipſis utantur; minime vero ad oſtentandam dumtaxat ipſorum privilegiorum ſingularitatem; quemadmodum aliquibus in more poſitum eſſe novimus, qui pridie illius diei, quo ab Epiſcopo Diœceſano Clericorum Ordinationes publice habendæ ſunt, ad alterius Epiſcopi Diœceſim conſulto migrant, moxque ſuſcepto ibidem Ordinationis munere, ad priſtinum domicilium redeunt; idque ſe facere aiunt, ut iurium ſuorum indemnitati conſulant, quaſi vero Apoſtolica privilegia, nonniſi cum aperto Epiſcopi Diœceſani contemptu, ſuam vim, & robur habitura forent.

Denique tam Ven. Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quam dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Profeſſores, quam maxime poſſumus Apoſtolicæ voluntatis ſtudio, per miſericordiam Dei Noſtri, & per caritatem Sancti Spiritus hortamur in Domino, & obteſtamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus, ſolliciti ſint unitatem ſpiritus, & ſinceræ dilectionis concordiam ſervare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; quod ipſis a Sacroſancta Oecumenica Lateranenſi Synodo ſub Leone X. habita inculcatum fuit per hæc verba: *Eoſdem inſuper Fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita & noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & congruenti obſervantia venerentur.* Neque obliviſcantur Epiſcopi, Regulares Viros ipſis datos eſſe adiutores in Dominicæ vineæ cultura: ſubdit enim eadem Sancta Synodus: *Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera Dei Noſtri requirimus: ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes caritative tractent, ac benigne foveant &c. & tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant.* Demum & Epiſcopi, & Regulares ſimul animum advertant ad id, quod ibidem ſubiicitur: *Una eſt Regularium, & Sæcularium, Prælatorum, & Subditorum, exemptorum, & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur; eorumque omnium unus Dominus, una Fides; & propterea decet*

eos,

eos, qui eiuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis.

Hæc profecto Chriſtianæ veritatis, & caritatis documenta cum utrimque ſervata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticeſcent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recuſantibus Epiſcopis ſacram Ordinationem adminiſtrare, præterquam in temporibus ab Eccleſia ſtatutis, eorum privilegia de Ordinibus extra tempora ſuſcipiendis effectu vacua remaneant; Epiſcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Epiſcoporum autem ceſſabunt querelæ, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini obſervantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, ſubditos ſuos domicilio moveant, eoſdemque ſtatim poſt ſuſceptos Ordines, falſis de cauſis ad priſtinum Monaſterium reverti iubeant: ſiquidem Regulares huiuſmodi agendi rationem, quam, & alias in foro externo graviter vindicatam fuiſſe, & in poſterum diſtricte coercendam fore noverint, tum a probi Viri honeſtate, & fide alienam, tum etiam debitæ erga Sacros Eccleſiarum Antiſtites obſervantiæ contrariam eſſe, ipſi per ſe facile cognoſcent.

Præſentes vero Noſtras litteras, & in eis ſtatuta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo, ius, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſive alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel ſufficienter, aut ullo modo iuſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quamtumvis iuridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauſo, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, ac ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimili conceſſo, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, ſeu ſe iuvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores; ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, ac poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de iure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quibuſvis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore iuris clauſis, aut litteris Apoſtolicis, quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, aliiſve quibuslibet ſpecifica, & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, &

cum.

Digitized by Google

cum quibuſvis etiam clauſulis, & Decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis, reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime, motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ Sancti Ioannis in Laterano, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi; ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos quos concernunt, ſeu concernent in futurum perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Utque earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis alicuius Notarii publici manu ſubſcriptis ac Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1747. 3. Kal. Martii Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

I. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI 1747. Indictione 10. die vero 4. Martii Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Io: Baptiſtam Angelini Apoſtol. Curſ.

Ioſeph Renzoni Mag. Curſ.

SS.

Digitized by Google

SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO,

Qua ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, etiam per alios, tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

PIA Mater Catholica Eccleſia de æterna Filiorum ſuorum ſalute in primis ſollicita, cum hanc intelligat ab extremo ipſorum mortis articulo potiſſimum pendere, numquam prætermiſit omnibus eos ſubſidiis pro huiuſmodi temporis neceſſitate opportunis iuvare, atque inſtruere, tam iis nimirum, quibus opus eſſet ad æterna præcavenda ſupplicia, quam quæ apta, & ſalubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque ſpiritibus, etiam dimiſſo mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri ſimul, & recenti Eccleſiæ diſciplina, graviorum quorumdam criminum abſolutio Romano dumtaxat Pontifici in univerſo Chriſtiano Orbe, aliorum autem ſingulis Eccleſiarum Præſulibus in eorum Diœceſibus reſervata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium ſupremo migrationis die, omnes huiuſmodi abſolutionum reſervationes ceſſare, & cuilibet Sacerdoti liberam, & plenam facultatem eſſe quemcumque pœnitentem a quibuſcumque peccatis, & criminibus necnon Eccleſiaſticis ſententiis, atque cenſuris abſolvendi, provide declaratum fuit. Præterea cum in Eccleſia immenſus, & inæſtimabilis exiſtat Theſaurus Spiritualis ex infinitis conſtans ſatisfactionibus Paſſionis, & Mortis Domini Noſtri IESU CHRISTI, ac præterea ex meritis, & ſatisfactionibus glorioſæ Virginis Genitricis Dei MARIAE; omniumque Sanctorum, & Electorum, cuius Theſauri diſpenſationem Salvator Noſter Beato Petro Apoſtolorum Principi, eiuſque in perpetuum Succeſſoribus tradidit; hoc ſemper ſummo ſtudio curarunt Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ Indulgentia Plenaria nuncupatur, cuiuſque impertiendæ ius in Apoſtolica Sede unice reſidet, ipſi potiſſimum applicarent; quam quidem in rem Epiſcopis per Eccleſias conſtitutis vices ſuas cum opportunis facultatibus delegarunt, ne ullus in Orbe terrarum angulus eſſet, ubi Catholicæ Religionis profeſſoribus huiuſmodi adiumenti copia deeſſet pro extremo illo momento, quo ipſorum ſalutis cauſa in diſcrimen adducitur.

Hactenus huiuſmodi facultas Epiſcopis concedi conſuevit, Pontificis nomine, & auctoritate per privatas Epiſtolas ipſius Secretarii Brevium ſecretorum, qui expoſita Pontifici petitione pro parte cuiuſque Epiſcopi, & pro ſpirituali utilitate ipſius ſubditorum ad ſe delata, reſcribere ſolebat petitam facultatem ab ipſo Pontifice eidem indulgeri *ad triennium proximum*; hac tamen lege, ut ipſe ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indulgentiam plenariam ægrotis in mortis articulo conſtitutis largiretur per ſe ipſum immediate, vel, quatenus Epiſcopum ſuffraganeum haberet, *per Dominum Suffraganeum ſuum*; nec, niſi neceſſitate cogente, & quidem nocturno tempore alium Sacerdotem in ſingulis peculiaribus caſibus ſubdelegare poſſet: *Ubi vero præciſa neceſſitas exegerit, ac inſimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Veſtram qualibet vice eligendo &c. communicare valeant.* Quo vero ad Moniales, ordinarii earum Confeſſarii opera in eum finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in huiuſmodi litteris concedebatur, Eccleſiarum Paſtores iamdudum iudicarunt anguſtiis nimium limitibus circumſcriptam; non ſolum ob breve triennii ſpatium

ipſi

Digitized by Google

ipſi præfinitum, verum etiam quia propter relatas leges circa illius uſum præſcriptas ab huiuſmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbat pleroſque Fideles ſibi ſubiectos, præſertim vero eos, quos extra ipſorum Reſidentiæ locum, & in remotis Diœceſum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt inſtantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apoſtolicorum, ſicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium ſeparatum habentium, cum activa in Clerum, & Populum iuriſdictione, qui eamdem facultatem Epiſcopis concedi ſolitam, ſibi quoque tribui poſtularunt: quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in Congregatione S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita, cuius Conſultoris officium in minoribus tunc conſtituti obtinebamus; ſed nihil tunc temporis eſt innovatum, reſque in priori ſtatu relicta fuit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini Interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatus fuiſſet; inſtante Epiſcopo Mazariæ tunc exiſtente, duo dubia eidem Congregationi definienda propoſuimus: unum videlicet, an ſtante diſpoſitione præmiſſarum Epiſtolarum Secretarii Brevium, ut ſcilicet Epiſcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eiſdem in articulo mortis applicanda, earum Confeſſarii opera uteretur, licitum ſit Epiſcopo Monaſterii clauſtra ingredi, ut huiuſmodi pium opus per ſe ipſum adimpleat; alterum vero, quatenus id Epiſcopo permittatur, an, & a quibus comitatus Monaſterium ingredi debeat: ſuper quibus perpenſo folio a Nobis pro huiuſmodi quæſtionum elucidatione de more exarato die 10. Maii anni 1737. reſponſum fuit ad primum: Licere Epiſcopo, quoties voluerit ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo conſtitutæ Monaſterium intrare: ad ſecundum: Epiſcopo ad hunc effectum intra Monaſterii ſepta ſe conferenti comites eſſe deberi Confeſſarium ordinarium ipſius Monaſterii, aliumque Sacerdotem ipſius Epiſcopi arbitrio eligendum. Reſcripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentiſſimo Secretario Brevium:* quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium Secretorum Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII. Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epiſtolis contentarum, quarum formulam a Nobis in folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito integre inſertam, ipſa Congregatio paulo arctioribus concluſam limitibus iudicavit.

Neque porro omiſimus iniunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere. Verum cum paulo poſt ab eodem Benedicto Prædeceſſore in Collegium S.R.E. Cardinalium cooptati ad regendam Epiſcopalem Anconitanam Eccleſiam Nos contulerimus, ex qua biennio poſt ad Metropolitanam Bononienſem tranſlati fuimus, non licuit nobis negotium iſtud ad optatum finem perducere. Interim vero quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononienſi Populo huiuſmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apoſtolica Sede, ut par erat, expetitam iuxta conſuetam formam, ac ſuperius enuntiatis limitibus circumſcriptam obtinuiſſemus; ipſo ſtatim uſu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ & anno 1710. ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis, & Indulgentiis præpoſita, a Nobis tamquam Conſultore propoſitæ fuerant, quæque deinceps anno 1727. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a Nobis etiam pro Secretarii munere, expoſitæ, cauſam dederunt memoratæ conſultationi cum Secretario Brevium introducendæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum vero in amplioris Bononienſis Eccleſiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis huiuſmodi facultatis ſubdelegationem, omnes plerumque Diœceſis habitatores hoc tanto ſpirituali beneficio ſummis ſuis temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Diœceſim Colle-

giis

giis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, quibus a felicis Recordationis Prædeceſſore Noſtro Alexandro Papa VII. per litteras diei 25. Ianuarii anni 1656. datas, & perpetuo valituras indultum fuit, ut Chriſti Fidelibus in mortis articulo conſtitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium, quibus pro Confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus inſtitutarum ſimilia indulta, & privilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa fuerunt. Quod vero ſpectat ad incolas ipſius civitatis, ſiquidem hæc, ut Bononia eſt, frequenti Populo ſit referta, cum facultas ſubſtituendi non aliter in præfata Epiſtola tribuatur, quam in caſu præciſæ neceſſitatis cum nocturno tempore coniuncto: cum magno animi Noſtri dolore experti ſumus paternæ huiuſmodi caritatis actus erga dilectos in Chriſto Filios Noſtros, non ea aſſiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipſos præſtari poſſe. Nam præterquamquod neceſſe habebamus nonnullis per annum menſibus a civitate abeſſe, ut, iuxta præſcriptum ſacræ Tridentinæ Synodi, ſi non totam, ſaltem aliquam illius amplæ Diœceſis partem ſingulis annis coram inviſendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum confirmationis viſitatis plebibus miniſtrando, luſtraremus; iam in ipſa civitate degentes, nullam fere diurni temporis horam, vel a Divinis rebus, vel a Paſtoralis officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium poſtulationibus, nunc miniſtrorum relationibus, nunc Congregationum conſultationibus operam dare oportebat: recurrentibus autem Ordinationum Temporibus, vel evenientibus Eccleſiarum Parochialium vacationibus, aut ceſſantibus Confeſſariorum facultatibus, quas, ad nova de ipſis experimenta identidem capienda, nonniſi temporibus definitas iiſdem concedere conſuevimus, examina, atque concurſus ſine Nobis haberi non permittebamus. Et ſane, ſi quis Epiſcopalis vitæ conditiones, ut vere ſe habent, conſiderare velit, facile agnoſcet, maiorum civitatum Epiſcopos fere redactos eſſe ad huiuſmodi Benedictionis, & indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat perſonis vel genere, vel aliis qualitatibus conſpicuis, & quidem inſtantibus, & poſtulantibus exhibendum; pauperibus autem, & humilioribus ob præcluſam ſibi, extra neceſſitatis, & noctis tempora, ſubdelegandi facultatem, vix umquam ſuccurrere poſſe.

Quod ſi ſatis momenti, & auctoritatis haberet ſententia a nonnemine propoſita, Plenariam ſcilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non eſſe, niſi his, quorum eximia in Eccleſiam merita extitiſſent, ea nimirum de cauſa, quod cum pro huiuſmodi Indulgentiæ conſecutione vel nullum omnino opus iniungi, vel nonniſi morientis ſtatui, & viribus accommodatum imponi poſſit, præterita dumtaxat in Eccleſiam merita cum extrema præſenti neceſſitate coniuncta, locum ſuppleri poſſint aliorum operum, quæ ceteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiſcendam præſcribi ſolent; nihil profecto eſſet, cur aliquid nunc a Nobis innovando ſtatueretur. Verum Prædeceſſorum Noſtrorum hæc agendi ratio relatæ opinioni contraria dignoſcitur. Ut enim multas prætereamus conceſſiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indiſtincte applicandæ; quænam porro, & quam magna in Eccleſiam promerita fuiſſe dicemus eorum, qui quatuor ab hinc ſæculis peſtifera lue per Angliam graſſante ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo Sacramentaliter confeſſi, & Sacra Communione refecti fuiſſent, Prædeceſſores Noſtri Clemens Papa VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Legatos ſuos impertiri non recuſarunt. Sed & ipſa Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita iam uſque ab anno 1675. die 22. Aprilis, re diligenter perpenſa, cenſuit Indulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam qui ſingularibus in Eccleſiam meritis nequaquam excellerent recte, & utiliter conferri, atque diffundi.

Quapropter Apoſtolicæ caritatis Noſtræ viſcera dilatantes, & tam veteribus,

bus,

Digitized by Google

bus, quam recentioribus Eccleſiaſticæ benignitatis exemplis inhærentes, ſiquidem extat illuſtre monumentum tertii Eccleſiæ ſæculi in Epiſtola Sancti Cypriani, quæ in novis editionibus impreſſa eſt *nume*. XII. qua ſcilicet in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant, & in mortis periculo verſabantur, cum ipſe æſtivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos ſeſe conferre poſſet, permiſit ut id, vice ſua, a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono præſtari queat. Noviſſimis vero temporibus ex ſecunda Mediolanenſi Provinciali Synodo conſtat a felicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. omnibus Epiſcopis illius Provinciæ conceſſum fuiſſe, non ſolum, ut ipſi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri, ſed etiam, ut aliis huiuſmodi facultatem libere ſubdelegare poſſent. His igitur, aliiſque exemplis, necnon rationibus ſuperius relatis permoti, hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione novas in hac materia regulas præfinire, quodque olim, ut præmiſimus, de alterius ſententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de conceſſa Nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvere, ac perficere conſtituimus.

Itaque primum volumus, atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis nunc exiſtentibus a Nobis, vel a Prædeceſſoribus Noſtris ad hunc diem conceſſæ reperiuntur, licet illæ in conſuetis Epiſtolis Secretarii Brevium ad triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultæ fuerint; nihilominus præſentis Noſtræ Conſtitutionis vigore eo uſque in ſuo robore maneant, quoad iidem Antiſtites earum Eccleſiarum atque Diœceſum regimen obtinebunt, quarum favore, & intuitu eaſdem facultates a Nobis, & ab Apoſtolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus huiuſmodi, motu proprio, & auctoritate præfata, atque earumdem præſentium litterarum ſerie extendimus, & prorogamus.

Utque præterea unuſquiſque ex Antiſtitibus præfatis, unum aut plures pios Sacerdotes, ſive Sæculares, ſive Regulares, prout neceſſarium fore iudicabunt, eorum Civitatibus ſubdelegare valeant, qui, dum ipſi Antiſtites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis huiuſmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, Benedictionem huiuſmodi cum Indulgentiæ Plenariæ applicatione Chriſti Fidelibus in præfato articulo mortis conſtitutis impertiantur; alioſve ſimiliter per Diœceſim ſæculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Diœceſibus exiſtentium neceſſarios iudicaverint ad prædictum effectum deputare, & ſubdelegare poſſint, necnon eoſdem a ſe deputatos, & ſubdelegatos removere, alioſque in eorum locum pro ſuo arbitrio, & prudentia ſubrogare valeant, iiſdem motu, poteſtate, & tenore concedimus, & indulgemus.

Si vero aliquem ex Antiſtitibus nunc per Eccleſias conſtitutis, & præfata facultate gaudentibus ad aliarum Eccleſiarum regimen Apoſtolica auctoritate transferri contingat, ſive aliquis eorum ſit, quorum favore conſuetæ litteræ Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique cum novi Epiſcopi Catholicis Gregibus in poſterum præficientur; volumus, atque ſtatuimus, ut ſingulis eorum huiuſmodi facultatem a Nobis, ſive a Romano pro tempore Pontifice poſtulantibus, Apoſtolicæ litteræ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipſis concedatur, non ad triennium, ſed ad omne tempus, quo adeptum ſemel Eccleſiæ regimen obtinebunt; adiecta etiam facultate ſubdelegandi tam pro Civitate, quam pro Diœceſi, non quidem in caſu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore coniuncti, ſed in omnibus, & per omnia ad normam eorum, quæ pro Epiſcopis nunc exiſtentibus, & indulto huiuſmodi actu gaudentibus, ſupra ſtatuimus.

Inſuper pro Prælatis inferioribus Territo-

ritorium ſeparatum habentibus, cum vera qualitate Nullius, & activa in Clerum, & populum iuriſdictione; quamvis Prædeceſſores Noſtri hanc de præterito conſuetudinem non habuerint; nihilominus de Apoſtolica liberalitate, ac ſimili motu, & tenore concedimus, & indulgemus, ut, ſi ab ipſis huiuſmodi facultas petita fuerit, ſimiles litteras in forma Brevis in poſterum ſingulis eorum expediantur, iuxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro Epiſcopis conſtituimus; ne excepta quidem facultate ſubdelegandi, ut ſupra, dummodo ipſi Prælati hanc gratiam poſtulantes, Apoſtolicis litteris Noſtris anno Incarnationis Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium eſt: *Quod Sancta*, impreſſis in Bullario noſtro *Tom. I. numer.* VII. obtemperaverint; nimirum ſacra Apoſtolorum limina præſcriptis temporibus viſitaverint, & relationem ſtatus Eccleſiarum ſibi ſubiectarum Apoſtolicæ Sedi exhibuerint; vel quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, debitum iuramentum in memorata Conſtitutione præſcriptum antea præſtiterint.

Dum autem huiuſmodi facultatem Epiſcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus, ut præfertur; ceteris vero tam Epiſcopis, quam Prælatis inferioribus in poſterum eas petentibus, ſupradicta forma, & amplitudine concedendum fore decernimus; ſequitur, ut huiuſmodi indulta nequaquam morte concedentis expirent; cum iuriſdictio delegata in iis, quæ non iuſtitiam, ſed gratiam concernunt, etiam poſt obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iiſdem Epiſcopis, & Prælatis permittimus, ut huiuſmodi facultatem pro incolarum Civitatum, locorum, atque Diœceſum opportunitate, & neceſſitate, uni, vel pluribus Sacerdotibus in poſterum ſubdelegare valeant; ſtatuimus, atque decernimus huiuſmodi ſubdelegationes per ſubdelegantis ceſſum, aut deceſſum ſimiliter non expirare, ſed poteſtatem ipſis tributam perſeverare uſque ad ſuperventum novi Præſulis, cuius arbitrio relinquimus eoſdem in huiuſmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antiſtes memoratam facultatem a Romano Pontifice ſemel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apoſtolicæ Cathedræ Succeſſorem recurrere. Sicque etiam cedente, vel decedente Epiſcopo, ſeu Prælato, a quo eadem facultas in ſua Diœceſi aut Territorio ſubdelegata fuerat, nova conceſſione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apoſtolicorum, regimine; cum ſubdelegatorum auctoritas ſemper manere debeat, quamdiu vel Epiſcopus ipſe, aut Prælatus, vel illius Succeſſor eamdem ipſis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum ſaluti conſulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam conſuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Eccleſiæ Filiis in mortis articulo conſtitutis ampliare, & faciliorem reddere curavimus. Permiſſaque Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Eccleſiarum Epiſcopis, & Præſulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ſubdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, & ſolicitudinibus per Nos allatum eſſe putamus. Verumtamen ipſis declaratum volumus, non id propoſitum Nobis fuiſſe, ut eos prorſus eximeremus ab hoc paternæ caritatis officio, per ſe ipſos adeundi miſeros ægrotos Plenariæ abſolutionis in extremo articulo adipiſcendæ cupidos; ſed ut eorum pietatem opportune iuvaremus, ne, dum ipſi aliis Paſtoralibus curis detinentur, dolere debeant, commiſſos ſibi Fideles hoc tanto ſpirituali beneficio deſtitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium huiuſmodi opus per ſemetipſos exercere gaudent (quod ſane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos eſſe confidimus) meminerint, non id dummtaxat erga nobiliores, & potentes huius ſæculi, ſed erga pauperes quoque, & abiectæ ſortis homines præſtandum eſſe. Qua de re utiliter legi poterit Prædeceſſoris Noſtri S. Gregorii Magni Homilia 28. in Evangelia ad *cap.* IV. Ioannis: *Erat*

qui-

Digitized by Google

quidam Regulus, cuius Filius infirmabatur Capharnaum, in qua mirabilem, atque cæleſtem obſervat amantiſſimi Redemptoris Noſtri IESU CHRISTI agendi rationem, qui ad inviſendum ægrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis ſervum nec invitatus iturum ſe profitetur. *Quid eſt, quod Regulus rogat, ut ad eius filium veniat, & tamen venire recuſat; ad ſervum vero Centurionis non invitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe; Centurionis ſervo non dedignatur occurrere.*

Ut autem Indulgentiæ fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc ſedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus, & Catecheſibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei, quam in Baptiſmo acceperunt, ingrati & per actualia peccata Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & Templum Dei violare non ſunt veriti, quantumvis æterna ſupplicia in Pœnitentiæ Sacramento condonata fuerint; nihilominus temporalis plerumque pœna Divinæ Iuſtitiæ exolvenda ſupereſt, cuius remiſſio obtinenda eſt non ſolum per ſatisfactiones a Sacerdote Confeſſario in ipſo Pœnitentiæ Sacramento pro menſura delicti impoſitas, aut per criſtianam tolerantiam earum adverſitatum, a quibus mortalium vita immunis eſſe nequit; verum etiam per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: alioquin verendum eſt, ne ſalutis remedia ab Eccleſiæ benignitate Fidelibus ſuppeditata, paulatim in pravæ libertatis, & licentiæ fomentum traherentur; compluribus ſibi temere blandientibus de remiſſione tum ſempiternæ pœnæ per Sacramentalem abſolutionem, tum temporalis per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetrandæ; neque cogitantibus quam incertum ſit omnibus non ſolum qua hora, & quo mortis genere ex hac vita migrandum ſibi fuerit, ſed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu ſibi applicatam, cum effectu ſint percepturi. Præpoſtera, æque ac periculoſa antiquis Eccleſiæ temporibus inoleverat conſuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptiſmum nomina obtulerant ad finem uſque vitæ ipſius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo ſcilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum cum e vita deceſſuri eſſent per ſalutare lavacrum ab omni culpa, & tam ab æterna, quam temporali pœna ſoluti, ad cœleſte Regnum recta transferrentur: contra quos extant graviſſimæ obiurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. & Sancti Ioannis Chryſoſtomi in Homilia I. ſuper Acta: ſed & Eccleſia Catholica pravam huiuſmodi confidentiam improbare ſe declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptiſmum ſuſceperant, ſi convaluiſſent, a Sacris Ordinibus, & ab officiis Eccleſiaſticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes pie adiuvant, vel Eccleſiæ Sacramenta illis miniſtrant, Rituale Romanum iniungit, ut ſi ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate conceſſam conſequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam conſequendam agere debeat: ex his autem, qui ad huiuſmodi ſtatum redacti ſunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ uſum retinent, alii vero loquendi facultatem amiſerunt, licet antea ſinceræ contritionis indicia dederint, eaque adhuc ratione utentes, identidem dare non deſinant; ideo, quo certius prædicti omnes Indulgentiæ fructum conſequi valeant, præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione ſtudeant moribundos Fideles excitare ad novos de admiſſis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendoſque ferventiſſimæ in Deum caritatis affectus; præſertim vero ad ipſam mortem æquo, ac libenti animo de manu Domini ſuſcipiendam. Hoc enim præcipue opus in huiuſmodi articulo conſtitutis imponimus, & iniungimus, quo ſe ad Plenariæ Indulgentiæ fructum conſequendum præparent, atque diſponant. Qua in re auctor Nobis eſt Sanctus Doctor Auguſtinus, qui in *Lib. XIII. de Civit. Dei cap.* VI. poſt-

quam horridam mortis ſpeciem, eique renitentes hominum animos deſcripſit, quodque in aliis ſuis operibus non ſemel docuerat, mortem nimirum eſſe peccati originalis pœnam, ibi quoque aſſeruit, & confirmavit; hæc ad rem noſtram appoſite ſubdit: *Quidquid tamen illud eſt in morientibus, quod cum gravi ſenſu adimit ſenſum, pie, fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non auſert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine proculdubio ſit mors pœna naſcentis; tamen, ſi proprietate iuſtitiaque pendatur, ſit gloria renaſcentis; & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, applicandaque ipſis Plenaria Indulgentia, cum nulla certa formula olim præſcripta foret, Sanctæ Memoriæ Prædeceſſor Noſter Benedictus Papa XIII. anno Domini 1726. pias quaſdam Preces, & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit: quarum exemplo, in his, quæ opportuna iudicamus, inhærentes, aliam de novo formulam cum his, quæ in hac Noſtra Conſtitutione præſcripta ſunt, magis congruentem confecimus, & inſtituimus, quam ab omnibus in poſterum uſurpari præcipimus: mandantes hoc ipſum inculcari, & iniungi in Apoſtolicis litteris, quæ deinceps pro conceſſione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ Moribundis impertiendæ, ut præmiſimus, expediendæ erunt.

Ac decernentes, ipſas præſentes litteras ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus perpetuo ſortiri, & obtinere, atque iis, ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari: non obſtantibus Apoſtolicis, & in Generalibus, ſeu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus, ac quibuſcumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium Decretis, & Reſolutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate approbatis, roboratis, & pluries confirmatis; uſibus quoque, ſtilibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, & ſingulis ad præmiſſorum effectum, motu, ſcientia, & poteſtate præfatis, ampliſſime derogamus, aliiſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut præfertur, in poſterum adhibendam eſſe præſcripſimus, talis eſt.

MODUS

A SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV.

Approbatus

Pro opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam.

Benedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veriſimiliter petiiſſent, vel dederint ſigna contritionis, impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, ceterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, Impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus dicat: Pax huic Domui, &c. *ac deinde*

Ægro-

AEgrotum , cubiculum , & circumſtantes aſpergat aqua benedicta dicendo Antiphonam : Aſperges &c.

Quod ſi AEgrotus voluerit Confiteri , audiat illum , & abſolvat . Si Confeſſionem non petat , excitet illum ad eliciendum actum contritionis ; de huius benedictionis efficacia , ac virtute , ſi tempus ferat , breviter admoneat ; tum inſtruat , atque hortetur , ut morbi incommoda , ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat , Deoque ſeſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit , & mortem ipſam patienter obeundum in ſatisfactionem pœnarum , quas peccando promeruit . Tum piis ipſum verbis conſoletur in ſpem erigens fore ut ex Divinæ munificentiæ largitate pœnarum remiſſionem , & vitam ſit conſecuturus æternam . Poſtea dicat :

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini .

℟. Qui fecit cælum , & terram .

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis eius .

Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon . Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem .

℟. Sed libera nos a malo .

℣. Salvum fac ſervum tuum (*vel* Ancillam tuam , & *ſic deinceps*)

℟. Deus meus ſperantem in te .

℣. Domine exaudi orationem meam .

℟. Et clamor meus ad te veniat .

℣. Dominus vobiſcum .

℟. Et cum Spiritu tuo .

OREMUS.

Clementiſſime Deus Pater miſericordiarum , & Deus totius conſolationis , qui neminem vis perire in te credentem , atque ſperantem , ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N. quem tibi vera Fides , & Spes Chriſtiana commendant . Viſita eum in ſalutari tuo , & per Unigeniti tui Paſſionem , & Mortem , omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem , & veniam clementer indulge , ut eius anima in hora exitus ſui Te Iudicem propitiatum inveniat , & in Sanguine eiuſdem Filii tui ab omni macula abluta tranſire ad vitam mereatur perpetuam . Per eumdem Chriſtum Dominum Noſtrum . *Tum dicto ab uno ex Clericis aſtantibus* Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Miſereatur &c. *Deinde*

Dominus Noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei vivi , qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi , atque ſolvendi , per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat Confeſſionem tuam , & reſtituat tibi Stolam primam , quam in Baptiſmate recepiſti ; & ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa Indulgentiam Plenariam , & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo . In nomine Patris &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis Myſteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes præſentis , & futuræ vitæ pœnas , Paradiſi portas aperiat , & ad gaudia ſempiterna perducat . Amen .

Benedicat te Omnipotens Deus , Pater , Filius , & Spiritus Sanctus . Amen .

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus , ut neque Confeſſionis generalis faciendæ , neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat , ſtatim Sacerdos ei benedictionem impertiatur .

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis , prorogationis , ampliationis , & conceſſionis , mandatorum , ſtatutorum , decretorum , ac derogationum infringere , vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum eius , ſe noverit incurſurum .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1747. Nonis Aprilis , Pontificatus Noſtri anno ſeptimo .

D. Cardinalis Paſſioneus .

I. Datarius .

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi

I. B. Eugenius

Loco ✠ Plumbi .

Regiſtrata in Secretaria Brevium .

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI 1747. Indictione 10. die vero 4. Maii Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Io. Baptiſtam Angelini Apoſt. Curſ.

Franciſcus Bartolotti Mag. Curſ.

CONSTITUTIO

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

Qua certus ordo præſcribitur pro cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis mature diſcutiendis, & valide definiendis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SI datam hominibus fidem frangere, conventioneſque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis neceſſe eſt obligatum Deo mentis propoſitum immutabiliter ſervari: Noſque præſertim, utpote ſacrarum Legum cuſtodes a Deo conſtitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino, & Eccleſiaſtico iure indiſſolubiles ſunt, perpetuam firmitatem, & obſervantiam aſſerere. Eam ob rem iam uſque ab anno Incarnationis Dominicæ 1741. Pontificatus Noſtri anno primo, Apoſtolicas litteras dedimus, incipientes: *Dei miſeratione*, in Bullario Noſtro deinde editas *Tom. I. num. 33.* quibus certum præſcripſimus ordinem in Tribunalibus Eccleſiaſticis ſervandum, cum in ipſis diſcuti, & definiri deberent cauſæ, in quibus de nullitate alicuius matrimonii contracti ageretur: non eo quidem conſilio, ut ſi quid forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuiſſet, de illius nullitate iudicium poſtulari, aut fieri prohiberemus; ſed, ut in hoc graviſſimo iudicii genere, in quo de ſacro Connubiorum fœdere agitur, pleniori veritatis elucidationi conſuleremus, utque Iudices non ſine certiſſima cognitione omnium, quæ ad rem maxime conducunt, huiuſmodi vinculum ex tot rationibus inſolubile ſententiis ſuis, tamquam irritum ab initio, diſſolverent. Cuius quidem Conſtitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; cum ex eo tempore neque tot cauſæ ſuper prætenſa matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant, nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis diſpenſationibus ſuper matrimonio rato, & non conſummato; dum ſcilicet ante omnium oculos propoſitæ ſunt difficultates paulo quidem maiores, ſed omnino iuſtæ, quæ, ex novo ordine a Nobis ſtatuto, cuilibet ſuperandæ ſe offerunt, antequam optatum finem aſſequatur.

Quemadmodum itaque pro matrimoniis carnalibus a nobis proviſum fuit; ita nunc & ſpiritualibus animarum nexibus, de Religioſis videlicet utriuſque ſexus Regularium Profeſſionibus, pari ratione ſtatuere decrevimus: nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam obſervare debeant Iudices Eccleſiaſtici, quoties iudicia ſuper nullitate Profeſſionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apoſtolica approbato factarum, coram ipſis agitari contingat: neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui iuſtis de cauſis huiuſmodi actiones intentare velint, ac poſtulent Profeſſionem a ſe factam ex capite nullitatis irritam declarari; ſed ut ipſi Iudices rerum veritatem in ſpecie dignoſcere, ſuaſque ſententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne umquam ex ignorantia factorum, aliquem decernant ſolutum vinculo, dum is forte valida ſolemnium Votorum Pro-

ſeſ-

Digitized by Google

feſſione emiſſa, Religioſo Ordini, cui nomen dedit, reipſa maneat aſtrictus. Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum ſimiliter obventurum ſperamus, ut & rariores in poſterum in Tribunalibus futuræ ſint cauſæ ſuper prætenſa Profeſſionum nullitate: & qui deinceps huiuſmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, & conſequenter a Religione diſceſſerint, non amplius anxia, aut male tuta conſcientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad officium Pœnitentiariæ Noſtræ Apoſtolicæ, ut non ſemel eveniſſe novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris eſt, in precibus nomine, fatentes ſententiam ſuper Profeſſionis nullitate pravis artibus extortam a ſe fuiſſe, decepto Iudice, vel per mendacia in facti expoſitione adhibita, vel per corruptos Teſtes, ideoque flagitantes, ut ex gratia, & diſpenſatione Apoſtolica, facultas manendi in ſæculo ipſis indulgeatur.

Ut autem ordinate procedamus, diſtinguendum initio eſt inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ Profeſſionis de illius nullitate actionem promovent, & eos qui poſt elapſum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre eſt de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *ſeſſ.* xxv. *de Regular. cap.* xiv. in hæc verba: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario*. In quo ſane decreto licet in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam feminæ Religionem profeſſæ comprehenduntur; cum, ex regulis iuris maſculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque cauſa pro feminis æque ac pro maſculis militat. Quamvis autem Decreti verba ſatis clara ſint, variæ tamen quæſtiones circa eorum ſenſum, ac vim excitatæ fuerunt.

Cum etenim ibi ſermo dumtaxat ſit de Regulari Profeſſo, qui ſuam Profeſſionem nullam fuiſſe contendat: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem* &c. nihil vero expreſſe ſtatuatur de ipſa Religione, cuius aliquando intereſt alicuius alumni ſui Profeſſionem irritam declarari, ut ſi quis exempli cauſa comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelaſſe, de quo interrogatus fuerat, adiecta declaratione, quod, eo forſan exiſtente, & non patefacto, ipſius admiſſio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in huiuſmodi caſu ſolus Superior Regularis ſine Ordinario procedere poſſet, an vero etiam in hac facti ſpecie diſcutienda eſſet cauſa coram Regulari Superiore ſimul, & Ordinario loci. Super quo Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad ipſius Concilii Tridentini Interpretationem ab Apoſtolica Sede deputatorum conſtanter decrevit, cauſas huiuſmodi ſuper nullitate Profeſſionis, tam a Regulari Profeſſo, quam a Religione intra quinquennium in Iudicium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario loci ſimul cognoſcendas eſſe.

Cum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adverſus Profeſſionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die Profeſſionis*; cumque potior, atque communis cauſa, quæ pro nullitate Profeſſionis adduci ſolet, in metu conſiſtat, metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perſeveret; quæſitum fuit, an ubi de metu agitur, initium quinquennii deſumendum ſit ab ipſo die Profeſſionis emiſſæ, an vero a die, quo Profeſſus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter caſu conceſſum quinquennii tempus a die emiſſæ Profeſſionis eſſe computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæſtio, an ſcilicet prædicti Ordinarius, & Superior Regularis cogno-

gnoſcere poſſint cauſas nullitatis Profeſſionis etiam poſt ipſum quinquennium, ubi nempe Profeſſus intra illius decurſum reclamaverit, ſed iudicium proſequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum eſt autem ab eadem Congregatione coram præfatis Iudicibus a Concilio memoratis agendam eſſe cauſam, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodo ſatis conſtet, eam intra præſcriptum tempus a reclamante ſerio intentatam fuiſſe.

De ipſis autem Iudicibus pro huiuſmodi cauſarum cognitione a Sancta Synodo deſignatis per ea verba, *coram Superiore ſuo, & Ordinario*, complures ſimiliter motæ ſunt quæſtiones, quæ maiori eorumdem verborum elucidationi cauſam dederunt. Et primo quæſitum fuit, quiſnam cenſendus eſſet Superior Regularis in caſu, & ad effectum, de quo agitur, utrum ſcilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis moderator. Congregatio autem eiuſdem Concilii Interpres definivit eſſe Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, ſive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpoſitum, ſeu Rectorem illius Monaſterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Profeſſionem emiſit; eum nempe, qui huiuſmodi Monaſterii, aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore cauſa ſuper nullitate Profeſſionis in iudicium deducitur. Quæſitum item fuit quiſnam Monialium proprius Superior dicendus ſit ad effectum iudicandi una cum Ordinario de eorum Profeſſionis nullitate. Reſponſum fuit, quod ſi agatur de Monialibus Ordinario loci immediate ſubiectis, tunc, quum nullus ſit earum Superior Regularis, ſolus Ordinarius iudicat de Profeſſione reclamantium intra quinquennium: ſi vero Moniales Regularium regimini ſubſint, tunc huiuſmodi cauſæ iudicandæ ſunt ab Ordinario loci ſimul, & a Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum eſt univerſum Monaſterii regimen, non autem a Confeſſario Regulari Monialium. Dubitatum eſt etiam, utrum Superior Regularis ius ſuum cedere poſſit Ordinario loci, eique permittere, ut in huiuſmodi cauſis ſolus procedat, & iudicet. Id autem prædicta Congregatio fieri poſſe negavit; permiſit tamen Superiori Regulari, ut ſi iudicium aſſumere nolit, aut non poſſit, alium ſubrogare valeat, vel Regularem, vel etiam Eccleſiaſticum ſæcularem iuris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Iudicis partes exerceat. Denique quæſitum fuit, ſi forte Ordinarii, & Superioris Regularis iudicia inter ſe diſcrepantia extiterint, quodnam ex ipſis alteri prævalere debeat. At in hoc caſu reſponſum fuit, cauſam ipſam ad Apoſtolicæ Sedis iudicium devolutam cenſeri.

Quum vero inter capita nullitatis Profeſſionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, ſi nempe aliquis Profeſſionem emiſerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem minime deſtinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædeceſſor Noſter Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus a ſe edita vim habere mandavit; ſi quis ex hoc capite Profeſſionem a ſe factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam ſi Religio intra idem quinquennium poſtulaverit alicuius Profeſſionem ex huiuſmodi capite irritam declarari; Decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædeceſſore Noſtro iuſtis, gravibuſque de cauſis, ac de conſilio præfatæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die 5. Ianuarii 1636. incipiens *Ad occurrendum*, quo ſtatutum fuit huiuſmodi cauſas ad eamdem Congregationem privative pertinere. Hæc ſunt potiora in genere Decreta ex regeſtis prælaudatæ Congregationis excerpta, quæ licet alias a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus Apoſtolica auctoritate non ſemel approbata fuerint, & confirmata; Nos tamen eadem præſentium litterarum tenore, atque auctoritate ſimili, novo approbationis, & confirmationis noſtræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu reſpective ſpectabit in poſterum, pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Quibus ita conſtitutis, firmataque perti-

tinentia cauſarum, quæ intra quinquennium a die Profeſſionis emiſſæ adverſus illius validitatem introducuntur; conſequens eſt, ut & ea indicemus, quæ de ordine, ac methodo in huiuſmodi iudiciis ſervanda, a Maioribus ſapienter conſtituta ſunt, tum ea proferamus, quæ nos ipſi opportune addenda cenſuimus, quæque pari auctoritate, ac præſentium litterarum vigore perpetuis futuris temporibus ſervari volumus, & mandamus. Iam de ipſa huiuſmodi cauſarum introductione notum eſt Decretum eiuſdem Concilii Tridentini *cit. ſeſs.*XXV. *cap.*XIX. *de Regular. Ut ſi quis antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam Apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis iuvetur*. Ex quo ſequitur Regularem poſtulantem iudicium fieri de ſuæ Profeſſionis nullitate, ab ipſo iudicii limine repelli, niſi conſtet eum in Religionis ſuæ clauſtris morari & habitum Regularem reſumpſiſſe, ſi ipſum antea depoſuerit.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinarioſque locorum uſu receptum fuiſſe, in re tanti momenti, iudicia ſua fundare in extraiudicialibus, atque atteſtationibus, quamtumvis iuramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cetero uſurpari prohibemus, volentes, atque diſtricte mandantes, ut ad aſtruendas probationes in huiuſmodi cauſis neceſſarias verus, & iudicialis proceſſus omnino conficiatur, in quo, & articuli exhibeantur ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit; & interrogatoria dentur ab ea parte, quæ ſtat pro ipſius Profeſſionis validitate; & teſtes tam ſuper articulis, quam iuxta huiuſmodi interrogatoria examinentur; utque hac forma non ſervata proceſſus ipſe, & ſententia dependenter ab eo prolata, inſanabili nullitatis vitio corruere cenſeantur; ſalva etiam diſpoſitione iuris communis quoad alia nullitatis capita, ſi quæ forte in ipſa proceſſus compilatione intervenerint.

Sub eadem pœna nullitatis decernimus, atque ſtatuimus, ut in hoc iudicio citari, aut audiri debeant tum Defenſores Monaſterii, ſeu Cœnobii, in quo Profeſſus vota Religioſa ſuſcepit, tum ipſius Profeſſi conſanguinei, ſive propinqui, ſive alii, quibus bona ſua donavit, aut ceſſit; uno verbo, omnes, quorum intereſt illius Profeſſionem ſuſtineri: in primis autem ii citentur (ſi ſuperſtites fuerint) qui iudicati erunt tamquam auctores, aut complices metus eidem incuſſi, ut Votis invitus ſe obſtringeret. Quemadmodum vero in citata Conſtitutione Noſtra, quæ incipit, *Dei miſeratione*, decrevimus, ut in ſingulis Diœceſibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate, ac doctrina commendatus, cuius officium eſſet in cauſis matrimonialibus in iudicio ſtare pro validitate matrimonii; ita nunc omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut perſonam aliquam ſimilibus qualitatibus præditam in ſuis reſpective Diœceſibus eligant, cui *Defenſoris Profeſſionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, iniuncta, & reſpective applicata eſſe cenſeantur quæcumque nos in præcitatis litteris de matrimonii Defenſore ſtatuimus: Nos enim eadem omnia, præſentium tenore, ad huiuſmodi Profeſſionum Defenſores expreſſe extendimus, & reſpective applicamus, & quoad iſtos pari modo locum habere decernimus. Id ſolum peculiariter pro Defenſore Profeſſionis in præſentibus ſtatuentes, ut ſcilicet quidquid pro ipſius honorario, aut mercede, ſive pro expenſis in defenſione cauſæ occurrentibus eidem præſtandum eſſe iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exolvi debeat, quibus a Profeſſo renuntiata fuerunt bona in Religionis ingreſſu dimiſſa; ſi vero hi non exiſtant, aut ſi Profeſſus nihil renuntiandum habuerit, ipſa Religio, quatenus ex illis ſit, quæ temporalia bona poſſident, ad huiuſmodi ſolutiones teneatur. Si autem nec adſint bona renuntiata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam poſſideat; tunc Defenſori Profeſſionis ſatisfiat ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo cauſa

Digitized by Google

agitata fuerit, ſive alterius, prout in aliis prædictis litteris Noſtris de matrimonii Defenſore ſtatuimus.

Lata demum ſententia a Superiore Regulari, & ab Ordinario loci, ſi ea pro validitate Profeſſionis pronuntiata fuerit, neque Profeſſus appellationem interponat, cauſam finitam eſſe non dubitatur. Si vero Profeſſus ad Iudicem ſecundæ inſtantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem cauſa retractanda fuerit, in omnibus hiſce Iudiciis volumus ſimiliter Defenſorem Profeſſionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorſus modo, quo in citata Conſtitutione decrevimus, Defenſorem matrimonii, in ſecunda, & ulteriori inſtantia iudicio ſemper adeſſe. Ac ſicuti præterea ſtatuimus huiuſmodi Defenſoris partes eſſe a Sententia Iudicis primæ inſtantiæ pro matrimonii nullitate lata ad ulterioris inſtantiæ Iudicem provocare, & formam proſequendi iudicium in ulterioribus huiuſmodi inſtantiis præſcripſimus; ita porro volumus, ut Defenſor Profeſſionis a Sententia in prima inſtantia pro nullitate Profeſſionis edita appellare omnino debeat; atque in ſecunda, ſeu ulteriori huiuſmodi cauſarum reviſione, eadem omnia volumus obſervari, quæ pro cauſis matrimonialibus in eadem Conſtitutione mandavimus.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem conſtituimus adverſus eos, qui poſt unicam obtentam Sententiam pro prioris matrimonii nullitate, ſive pendente appellatione, ſive ea per incuriam, aut fraudem Defenſoris non interpoſita, auſi fuiſſent novas nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera vota tranſire, niſi duæ ſaltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint: ita ſi quis in Ordine Regulari Profeſſus poſt unicam Sententiam favore nullitatis Profeſſionis pronuntiatam, ſive pendente, ſive omiſſa culpabiliter appellatione, e Clauſtris exire, a Religione diſcedere, quodque magis eſt, habitum Regularem abiicere præſumpſerit; volumus, atque ſtatuimus, omnibus eum pœnis, atque Cenſuris a Sacris Canonibus, & a Conſtitutionibus Apoſtolicis contra Apoſtatas latis, atque ſancitis, ſubiacere, & obnoxium eſſe: decernentes pariter in huiuſmodi cauſis de Profeſſionis nullitate, liberum Profeſſo non eſſe a Religione migrare, niſi duas ſaltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emiſſa Profeſſio nulla, & irrita declarata fuerit.

Et primæ quidem inſtantiæ Iudices ſuper validitate Profeſſionum, quæ intra quinquennium iudicialiter impugnantur, ut ſupra dictum eſt, Superior Regularis, ſimulque Ordinarius loci eſſe debent. Si vero eædem cauſæ in ſecunda, aut ulteriori inſtantia ſint diſcutiendæ, ſtatuimus, inhærentes antiquis quibuſdam ſæpe dictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretis, quæ pariter tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ut cauſæ huiuſmodi ad eos Iudices devolvantur, ad quos de iure aliæ omnes cauſæ Eccleſiaſticæ poſt Sententiam Ordinarii in gradu appellationis reſpective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Iudices, ſicuti Ordinarius in prima inſtantia una cum Superiore Regulari proceſſit, ſic & ipſi procedere, & iudicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monaſterii in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius Monaſterii eiuſdem Ordinis in eorum Civitate, aut Diœceſi exiſtentis, vel eo non extante, cum Superiore vicinioris Monaſterii eiuſdem pariter Ordinis, ſeu cum alia perſona Eccleſiaſtica, cui iuxta præmiſſa, Superior ille, ad quem pertinet, ſuas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem huiuſmodi cauſæ in ſecunda, aut ulteriori inſtantia ad Sedem Apoſtolicam devolvantur, & a prædicta Congregatione Concilii, ſive ab altera ſuper conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut reſpective aſſolet, diſcutiendæ fuerint; nullus erit locus ad iudicandum Superiori Regulari, qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii iuxta relatum ſuperius Urbani Prædeceſſoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Profeſſionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuiſſe aſſe-

aſſeratur in Monaſterio, aut Cœnobio Religionis Tyronibus inſtituendis minime addicto.

Hactenus de iudiciis ſuper nullitate Profeſſionis, quæ intra quinquennium a die ipſius Profeſſionis emiſſæ introducuntur: de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in Superioribus ſtatuta ſunt, ea omnia locum habere, & obſervari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis Noſtri, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiuſque Diſtrictu Vicarii in ſpiritualibus Generalis, quoties huiuſmodi cauſas intra idem quinquennium in ipſius Tribunali Ordinario iudicandas eſſe contingat. Iam vero videndum eſt de eiuſdem generis cauſis, quæ poſt elapſum quinquennium huiuſmodi in iudicium adducuntur.

Porro quum Sancta Tridentina Synodus, poſt quinque annos ab emiſſa Profeſſione tranſactos, omnem aditum ad reclamandum Profeſſis interclulum eſſe ſanxiſſet per ea aperta verba ſuperius relata: *Non audiatur, niſi intra quinquennium a die Profeſſionis*; adeo inhærendum huiuſmodi ſanctionis litteræ duxerunt Maiores Noſtri, ut ſub piæ mem. Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula ſtatutum, nullius cauſæ introductionem ſuper nullitate Profeſſionis, elapſo quinquennio, admittendam eſſe, etiamſi Profeſſio per vim, & metum facta diceretur, atque probari vellet, huiuſmodi vim, & metum toto quinquennii tempore permanſiſſe. Verba Decreti die 5. Martii anni 1598. editi, quæ habentur *Decretorum Congregationis Concilii Tomo IX. fol.* 55. hæc ſunt: *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim, & metum ſe Religionem profeſſos prætenderent, niſi intra quinquennium reclamaverint, eo elapſo, non eſſe audiendos, tametſi allegarent, vim, & metum ſemper duraſſe.*

At vero procedentibus temporibus, non ſine iuſtis gravibuſque cauſis, ut plane perſuaſum habemus, inductum fuit, ut admitterentur inſtantiæ pro *reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii*. De quibus tamen iudicium facere ad Apoſtolicam Sedem ſemper privative pertinuit ſive ex parte Profeſſi, ſive ex parte Religionis inſtantiæ huiuſmodi proponerentur, ac licet ipſa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perſeverans dilata fuiſſe diceretur. Hoc enim remedium reſtitutionis in integrum, extraordinarium in iure vocatur, cuius concedendi facultas Iudicibus inferioribus competere nequit, non obſtante quacumque contraria conſuetudine etiam immemorabili, aut quolibet aſſerto privilegio; ut patet ex compluribus in eamdem Sententiam Decretis eiuſdem Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, quæ recenſita fuerunt in Decreto edito die 24 Septembris anni 1740. in cauſa *Siculareſtitutionis in integrum*, quod a nobiſmetipſis die 28. eiuſdem menſis, & anni approbatum, & confirmatum fuit, quodque iterum præſentium tenore approbamus, & confirmamus; reſervato Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus iure concedendi Ordinariis, & Superioribus localibus in quibuſdam peculiaribus caſibus facultatem examinandi etiam cauſas reſtitutionis in integrum, ac ſuper ipſis pronuntiandi antequam ad Sententiam ferendam ſuper Profeſſionis validitate, aut nullitate deveniant; ut non ſemel ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione factum fuiſſe non ignoramus.

Huius autem iudicii methodus diverſa quondam fuit ab ea, quæ in præſenti obſervatur. Antiquis enim temporibus, viſa probabili ratione, ſeu fumo, ut aiunt, cauſarum reſtitutionis in integrum, ea ab Apoſtolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adverſus Profeſſionem, ut licet elapſum eſſet quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Iudicibus competentibus actionem promovere poſſent; pro cuius iudicii inſtructione deinceps a Superiore Regulari, & ab Ordinario loci legitimus conficiebatur proceſſus, atque Sententia ſuper validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ ſane methodus, ſi hoc etiam tempore in uſu eſſet, oporteret Nos eorum præcipue, quæ ad huiuſmodi iudicium conſequentia ſunt, rationem habere; ac providere, ne unius tan-

tantum Sententiæ vigore Profeſſiones Regulares diſſolverentur. Sed alius hodierno tempore eſt ordo, qui in præfatis Congregationibus, ſeu Tribunalibus pro concedenda reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii obſervatur: nam priuſquam ſuper eo quidquam decernatur, committitur Ordinario loci, & Superiori Regulari ut proceſſum conficiant; eoque demum tranſmiſſo, proponitur dubium ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, idque non minus accurate, ac ſevere examinatur, ac ſi dubium propoſitum eſſet ſuper ipſa validitate, aut nullitate Profeſſionis. Si autem petita in integrum reſtitutio concedatur, tunc Ordinario, & Superiori locali committitur, ut Sententiam proferant ſuper controverſa Profeſſionis validitate. Sed quamvis in huiuſmodi commiſſionibus plena ipſis relinquatur facultas iudicandi ſive pro validitate, ſive pro nullitate Profeſſionis, prout ipſis iuſtum viſum fuerit; uſu tamen compertum eſt, quod, quum iidem ſatis noverint quam diligenti, & gravi iudicio apud Sedem Apoſtolicam diſcuſſæ fuerint cauſæ, propter quas reſtitutio in integrum conceſſa fuit; viſo dumtaxat huiuſmodi conceſſionis reſcripto, nec ulteriori inſtituto examine, ad ferendam pro nullitate Profeſſionis Sententiam ut plurimum ſine dubitatione procedunt.

Accuratum huiuſmodi examen cauſarum reſtitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Iudices in more poſitum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione noſtra ſingulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum ab ipſis in poſterum obſervari volumus, ac iubemus; hoc tamen addito, ut in commiſſionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus, & Ordinariis locorum pro conficiendis proceſſibus, iiſdem ſub pœna nullitatis actuum iniungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defenſoris Profeſſionis; ad quem nimirum pertinebit interogatoria dare, iuxta quæ examinari debebunt teſtes, aliaque ad officium ſibi impoſitum pertinentia diligentiſſime præſtare. Item volumus, ut in ipſa propoſitione dubii ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, tam in præfatis Cardinalium Congregationibus Concilii Tridentini interpretationi, & Epiſcoporum, ac Regularium conſultationibus præpoſitis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congregatione peculiariter forſan deputata, ſub ſimili nullitatis pœna, Defenſor Profeſſionis, ab eo, qui Tribunalis caput eſt deputatus, expenſis eorum, de quibus ſupra, ſemper & in omnibus actibus in iudicio ſtare debeat; neque ſolum in prima huiuſmodi dubii propoſitione, ſed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima reiectus ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio reſtitutionis in integrum unica favorabilis reſolutio nequaquam ſufficiat, niſi ea per ſecundam conformem, iterato cauſæ examine, auditoque ſemper Defenſore Profeſſionis confirmata fuerit; quemadmodum in altera Conſtitutione Noſtra præſentis initio allegata, de cauſis ſuper nullitate matrimonii conſtituimus: Nos enim præſentium tenore decernimus, ac ſub pœnis adverſus Apoſtatas ſancitis diſtricte prohibemus, ne quis ſub clypeo unicæ reſolutionis pro conceſſione reſtitutionis in integrum obtentæ, e Religionis Clauſtris migrare, multoque minus habitum Regularem deponere audeat, ſeu præſumat: quum ad prædictas ſpœnas declinandas & altera reſolutio ſub reſtitutione in integrum priori conſentanea, & Sententia ſuper nullitate Profeſſionis a Superiore Regulari, & ab Ordinario ferenda expectari omnino debeant; nec niſi per huiuſmodi Sententiam a prædictis Iudicibus, præviis duabus reſolutionibus pro conceſſione reſtitutionis in integrum legitime latam, iudicium abſolutum cenſeri queat.

Quæ omnia ſi ita obſervabuntur, ut a Nobis conſtituta ſunt, utque omnibus ad quos pertinet, ac pertinebit in poſterum, ſedulo obſervanda, & implenda a Nobis præſcribuntur, & enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in poſterum futuræ ſint inſtantiæ, & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Profeſſio-

nis

Digitized by Google

nis emiſſæ, vel etiam eo elapſo, ſuſceptum Religioſæ vitæ inſtitutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, ſi a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admiſſionibus ea obſervabuntur, quæ & in eorum Conſtitutionibus, & in Decretis fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri ſtatuta ſunt, quæque omnia ab ipſis pleniſſime obſervari, & impleri Nos pariter ipſis præcipimus, ac iubemus; tum etiam ſi ipſi minus facile conſenſum ſuum præbebunt, ut admittantur ad Profeſſionem Tyrones, ſive qui ætatem quidem a Concilio præſcriptam compleverint, at non ad eam pertingerint, quæ a Conſtitutionibus Ordinis ſtatuta eſt; ſive illi, qui licet annum novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent iuxta præſcriptum ſuarum peculiarium Conſtitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, ſed per octo, aut ſex menſes dumtaxat tyrocinium poſuerunt: ac demum ſi ipſi Superiores haud ſe interponent, neque curabunt, ut Profeſſi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim, ſive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Conſtitutionibus, ſive in peculiaribus Ordinum Statutis, circa præmiſſa provide conſtituta ſunt, non parum habent momenti ad religioſam vocationem in hominum cordibus ſtabiliendam, & ad cohibendam verſatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut ſola, aut potiſſima cauſa eſt, qua Profeſſi adducuntur, ut vota, quibus obſtricti ſunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apoſtolica Sedes ullas umquam diſpenſationes in præmiſſis concedere conſuevit, niſi prævio aſſenſu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium, quibus nempe æquum, & neceſſarium eſt fidem adhiberi in expoſitione cauſarum, quas urgere aſſerunt pro concedendis diſpenſationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari poteſt, quod tamen apud pleroſque invaluiſſe conſtat, ut ſcilicet reclamantibus adverſus Profeſſionem ſive intra quinquennium, ſive poſt eius decurſum, Superiores ipſi contradictores ſeſe non exhibeant, aut etiam aperte ſuffragentur; ex falſa nimirum opinione, quod Religioſorum virorum ſocietate indignus cenſendus ſit quicumque ab ea diſcedere exoptat; quodque ex inutili Monacho utilis fortaſſe Clericus Sæcularis exiſtere poſſit. Numquam enim licitum eſt iuſtitiam deſerere aut prodere, quæ iubet omni ratione ſuſtineri actum adeo ſolemnem, & natura ſua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Profeſſo, ipſa quoque Religio intervenit.

Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, ſi & Eccleſiaſtici Præſules, & Iudices debitas Officii ſui partes explere non prætermittent. Eccleſiarum quidem Præſules, ſi anathemati ſubiectos declarabunt omnes, & ſingulos cuiuſcumque qualitatis conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, ſeu alias quaſcumque mulieres invitas, præterquam in caſibus in iure expreſſis, coegerint ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam Profeſſionem; iuxta Sanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *ſeſſ.* XXV. *cap.* XVIII. *de Regul.* ubi etiam pares cenſuræ ſtatuuntur adverſus eos, qui in huiuſmodi factis conſilium, auxilium, vel favorem dederint; ac ſi omnes ſimiliter, quotquot auſi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad vota profitenda, iuſtis, gravibuſque pœnis afficient. Iudices vero, ſi falſo ante omnia depoſito præiudicio, quo nonnulli arbitrantur latiſſimam viam, quoad fieri poteſt, aperiendam eſſe iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam iuſtitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem teſtium, qui ad comprobandam nullitatem Profeſſionis inducuntur, & vim maiorem a minori, metum gravem a levi, debilem a conſtantiori ſexu, interclusam a permiſſa reclamandi facultate diſcernent, aliaſque omnes circumſtantias ſedulo animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab Auctoribus conſiderari ſolent.

Itaque prædictis omnibus, & ſingulis gra-

graviſſime denuntiamus, diſtrictèque præcipimus, ut in cunctis quæ ad eorum officia pertinent, à iuſtitiæ tramite, & a præſcriptis ſibi legibus ne minimum quidem diſcedant: ac meminerint omnium, quæcumque geſſerint, ſeveriſſimam ſibi rationem tum apud Divinum Iudicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, ſi Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita ſervare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius, atque facilius de cauſis huius generis ab ipſis in poſterum iudicari valeat. Siquidem Nobis propoſitum eſt cum conſilio delectorum virorum in Theologica, & Canonica facultate præſtantium nonnullas quæſtiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus iactatæ, & varias ſpecies induentes, iuxta diverſas occurrentium caſuum circumſtantias ancipites, atque ſollicitos detinere ſolent iudicantium animos; ut Nobiſmetipſis in minoribus olim conſtitutis non ſemel eveniſſe meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Conc. Trid. Interpretum huiuſmodi cauſas ad regulam iuris exigendas præ manibus haberemus. Eiuſmodi ſunt exempli cauſa quæſtiones: Utrum Profeſſio, quamvis initio nulla fuerit, per ſubſequentes tamen actus convalidetur: quinam ſint actus ex quibus huiuſmodi convalidatio, ſeu ratificatio inducatur: & quid momenti habeat ad hunc effectum ſuſceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religioſæ paupertatis*. Præterea ſi quis forte ante legitimam ætatem ignorans Profeſſionem emiſerit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanſerit, ſeque valide Profeſſum exiſtimans, ea omnia, quæ Profeſſorum ſunt una cum ſociis præſtiterit, an hic deinde intelligens qua ætate vota emiſerit, non obſtantibus actibus veri Profeſſi a ſe geſtis, adhuc præfatæ ignorantiæ præſidio actionem habeat ad reclamandum adverſus Profeſſionem a ſe factam; an vero talis ignorantia nihil eidem ſuffragetur, quo minus Profeſſionem initio nullam per ſubſequentes actus ratam habuiſſe cenſeatur. Item, an Profeſſus, qui in Profeſſionis actu impedimentum aliquod; ſive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Conſtitutionum, quod ſcilicet Religio ipſum cum huiuſmodi defectu, aut impedimento forſan occultato admittere non intendebat: an, inquam, talis Profeſſus, qui Religioni dolum ſtruxit, eiuſmodi commodum ex propria fraude deſumere poſſit, ut validitatem ſuæ Profeſſionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad ſuadendam Iudici nullitatem Profeſſionis, quod reclamantes Profeſſi aſſerere ſæpe non dubitant, ſe in proferendis Religioſis votis, mentem ſervaſſe alienam a propoſito ſe obligandi. Hæc omnia aliaque ſimilia in huiuſmodi iudiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem hactenus diſputata, tum Noſtro, tum aliorum, quos, ut ſupra diximus, in conſilium advocaturi ſumus, diligenti ſtudio, Deo adiuvante, explanare deliberavimus.

Interim præſentes litteras, cum omnibus, & ſingulis in ipſis decretis, atque ſtatutis firmas, validas, & efficaces exiſtere, ac perpetuo fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime, & inviolabiliter obſervari volumus, & decernimus. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, prædictaſque S. R. E. Cardinalium Congregationes generales, & particulares, alioſque eiuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & S. Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, ubique iudicari, & definiri debere; ac nullum, irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus tam cauſarum forſan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem cauſas, in quibuſcum-

Digitized by Google

cumque ſtatibus, & terminis de præſenti reperiantur, iuxta ſuperius præſcripta omnino tractari, iudicari, & definiri debere expreſſe decernimus; quam Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de iure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis ediditis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & reſolutionibus a præfatis Cardinalium Congregationibus, ſive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis quibuſcumque Iudicibus, & Tribunalibus alias forſan, & aliter factis, conditis, & emanatis; necnon quibuſvis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore Iuris clauſis, aut litteris Apoſtolicis, quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, etiam Societatis Ieſu, & S. Io. Ieroſolymitani, aliiſve quibuslibet ſpecifica, & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam Clauſulis, & Decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes. illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime motu pari derogamus; & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta ad valvas Eccleſiæ S. Ioannis in Laterano & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi; ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos, concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Utque earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publice ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, voluntatis, mandatorum, ſtatutorum, decretorum, & declarationum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1743. quarto nonas Martii Pontificatus Noſtri anno octavo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

I. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

An-

Anno a Nativitate D. N. I. C. 1748. Indictione 11. die vero 17. Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. anno octavo ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Romolatium Apoſt. Curſ.

Horatius Mugnaini Mag. Curſ.

SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XIV.

CONSTITUTIO

Super deſignatione Confeſſariorum extraordinariorum pro Monialibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis curæ Nobis impoſitæ munus hanc, inter alias, ſollicitudinem a Nobis poſtulat, ut pupillorum animis in afflictione, & anguſtia conſtitutis opportuna ſolatia, ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conſcientiæ tranquillitatem recuperare, aut conſervare valeant, ſine qua impoſſibile eſt debitam Omnipotenti Deo ſervitutem alacri, & prompta affectione exhibere. Huiuſmodi angoribus, & afflictionibus confici paſſim conſtat Religioſas Mulieres in Clauſtris degentes, quibus certus, & unicus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter a Monaſterii Prælato ad tres, ut minimum, annos deſignari ſolet, cui, ſi aliquando, præ pudore, vel alia quapiam de cauſa, non omnes conſcientiæ ſuæ receſſus aperire audeant, atque ideo confeſſionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis æternæ ſe ipſas miſere coniiciunt. Quod ſane haud raro evenire, ſatis Nobis exploratum, atque compertum eſt tum ex iis, quæ in Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus conſtituti plurium annorum ſpatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio ſuſtinuimus; tum etiam ex iis, quæ in Epiſcopalis Anconitanæ primum, deinde in Metropolitanæ Bononienſis Eccleſiæ regimine frequenti uſu cognovimus; tum demum ex his, quæ ſæpius ad nos in Petri Cathedra octavum iam annum Dei miſeratione reſidentes deferri contingit, ſive ex parte diverſarum huiuſmodi Monalium, quæ animarum ſuarum anguſtias paternis oculis Noſtris identidem ſubiicere coguntur, ſive ex parte Ven. Fratr. Noſtrorum Eccleſiarum Antiſtitum, qui Nobis earumdem Monialium in ſuis Diœceſibus exiſtentium calamitates, ex præallegata cauſa ortas, aut viva voce, aut per litteras non ſemel repræſentarunt, ac ſuper ea re Apoſtolicæ providentiæ opem poſtularunt. Hinc eſt, quod Nos earum ſpecialibus indigentiis per hanc Noſtram perpetuo valituram Conſtitutionem opportune proſpicere volentes; non quidem intendimus conſultiſſimam illam, & veteris diſciplinæ auctoritate roboratam legem tollere, aut abrogare, qua generaliter ſtatutum eſſe dignoſcitur, ut pro ſingulis Monialium Monaſteriis unus dumtaxat Confeſſarius deputetur, qui Sacramentales Confeſſiones univerſæ earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confeſſarium pro libito ſibi deligere; ſed hoc dumtaxat Nobis propoſitum eſt conſtituere, ut ſi quando generalis huiuſmodi legis rigor in peculiaribus caſibus, non ſine animarum detrimento, aut periculo ſervari poſſe videatur, in promptu ſit opportunæ diſpenſationis, & indulgentiæ remedia occurrentibus neceſſitatibus admovere.

Sane iamdudum S. Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Eccleſiæque Doctor, *in Supplemento tertiæ partis*, *q.* 8. *art.* IV. *ad ſextum*, ſive *in quartum Sententiarum*, ex quo commentario deſumptum eſt huiuſmodi *Supplementum*, hoc

hoc Superioribus monitum dedit, & ſubditis ſuis, quibus certum, & unicum Confeſſarium deſignare ſolent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata ſua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi, & imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent ſine Sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipſa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore deſignato aperire. Iam vero Sacroſancti Conc. Trid. Patres hanc legem diſtricte ſanxerunt, *ſeſ.* xxv. *c.* 10. *de Regul.* ut Epiſcopi, aliique Monaſteriorum Prælati ſubiectis ſibi Monialibus Confeſſarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in ſingulos annos exhibere debeant, per hæc verba: *Præter ordinarium autem Confeſſorem alius extraordinarius ab Epiſcopo, aut aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat.* Quod quidem non alia de cauſa præſcriptum fuit, quam quia ſatis conſtabat nonnullas aliquando Moniales eſſe, quæ nulla ratione adduci poſſunt, ut aliquod peccatum ſuum ordinario Confeſſario confiteantur; adeo ut neceſſe omnino ſit alterius Confeſſarii copiam ipſis ſuppetere, ut apud hunc de peccatis ſuis integre, rite, atque utiliter confiteri poſſint. Id ipſum probe animadvertit Magnus Eccleſiæ Dei Sacerdos S. Carolus Borromæus, qui prædicti Conc. Trid. abſolutionem ope ſua plurimum iuvit, eiuſque executionem, & obſervantiam in ſua Mediolanenſi Civitate, & Provincia non ſine immenſis laboribus, & curis invexit; is enim hac de re decrevit: *Præterea Superiores ex Decreto Sacri Tridentini Concilii quot annis idoneum Confeſſorem extraordinarium Monialibus ſibi ſubiectis exhibeant, cui curent, ut univerſæ confiteantur, ut quæ huiuſmodi indigent medicina propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipſæ eam poſtulare, aut accipere ab uſitato Confeſſore umquam auderent, liberius mederi ſuis malis poſſint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confeſſario novo ſua peccata confitendo*, uti legere eſt *in Actis Eccleſiæ Mediolanen. impre. anno* 1599. *pag.* 53. *in editione autem Lugdonenſi Tom.* I. *pag.* 46.

Porro quicumque Conciliaris Decreti ſenſus penitus introſpexerit, non modo ſalutarem illius providentiam facile agnoſcet, ſed & circumſpectam eiuſdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo iniungitur, ut duabus, tribuſve vicibus infra annum Confeſſarium extraordinarium Monialibus exhibeant, *bis, aut ter in anno offeratur*. Huiuſmodi autem Confeſſarius iubetur earum omnium Confeſſiones excipere quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium Confeſſiones audire debeat*. Neque tamen omnibus, & ſingulis Monialibus præcipitur, ut peccata ſua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monaſterio, tam ſcilicet a Superioriſſa, ceteriſque Monialibus Profeſſis, atque Novitiis, quam a Sæcularibus, quæ vel educationis cauſa, vel alio titulo in eodem Monaſterio cum debitis facultatibus commorantur, niſi ut extraordinario Confeſſario ſingulæ ſe ſiſtant ſive ad Sacramentalem Confeſſionem apud ipſum, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confeſſionem ab ipſo accipienda. Atque ita prudentiſſime conſultum eſt, ne ſi Moniales aliquæ extraordinarium Confeſſarium adirent, aliæ autem coram ipſo non comparerent, ſuſpiciones, atque oblocutiones excitarentur, & illæ quidem cenſerentur neceſſarias habuiſſe cauſas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ eſſent; aliæ vero ab huiuſmodi neceſſitatibus, & cauſis immunes iudicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam ſan. mem. Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI. Edicto ſuo (quod eſt XV. *in ſecunda parte ipſius Bullarii*) inviolabiliter ſervari mandavit, eamdem omnium Diœceſium conſuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum ſupereſt, niſi, ut Vener. Fratres Noſtros Eccleſiarum Antiſtites enixe hortemur, ut quamvis Tridentina Synodus de ſolis Clauſtralibus Monialibus in præmiſſo Decreto loquatur

Digitized by Google

tur; nihilominus eamdem diſciplinæ formam obſervent tam cum aliis Monialibus, quæ licet Clauſuræ legibus minime aſtrictæ ſint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Cœtibus, ſeu Conſervatoriis, quoties tam illæ, quam iſtæ, unicum Ordinarium Pœnitentiæ Miniſtrum a Superioribus deſignatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigoroſa Clauſura viventes cavenda ſunt, eadem in aliis quibuſcumque Mulieribus, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus in Communitate, aut Collegio degentibus, locum habere poſſunt; ideoque pari providentia, iiſdem remediis arceri, aut emendari debent. Et nos quidem, quum hanc conſuetudinem offerendi Confeſſarios extraordinarios bis, aut ter in anno ſingulis tam Monialium non Clauſtralium Communitatibus, quam piis aliarum Puellarum, & Mulierum Cœtibus, & Communitatibus in Noſtra Civitate, & Diœceſi Bononienſi induxerimus (qua de re extat edictum Noſtrum num. 56. inter Paſtorales Inſtitutiones italico primum ſermone a Nobis vulgatas, de indeque in latinum converſas) omnibus teſtari poſſumus, vel potius debemus, uberem ſpiritualium utilitatum meſſem nos inde evidenter collegiſſe.

Quum vero ſuper relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullæ quæſtiones alias excitatæ, eædemque iampridem per opportuna Sedis Apoſtolicæ Decreta definitæ fuerint, operæ pretium ducimus huiuſmodi definitiones ab omnibus, ad quos ſpectat, omnino tenendas, atque ſervandas, his Noſtris Apoſtolicis litteris complecti, & auctoritatis quoque noſtræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primo quæſitum fuit ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confeſſorem Monialibus deputare, atque offerrre. Sed facilis fuit reſponſio, quam Nos quoque Decreto Noſtro ratam habemus; huiuſmodi ſcilicet deputationem ad eum regulariter ſpectare, ad quem pertinet Confeſſarii Ordinarii electio, & deputatio: ideoque Epiſcopus, ſive Ordinarius loci, qui Monialibus ſibi ſubiectis Confeſſarium ordinarium dare conſuevit, idem Confeſſarium extraordinarium bis, aut ter in anno ad normam Tridentinæ Sanctionis eiſdem offerre tenetur. Prælatus vero Regularis, ad quem pertinet Ordinarium Confeſſarium ſubditis ſibi Monialibus, ſervata Apoſtolicarum Conſtitutionum forma, deſignare, & conſtituere; ipſe etiam eiſdem extraordinarium Confeſſarium in vim præfati Decreti, & iuxta eaſdem Conſtitutiones, duobus, aut tribus per annum temporibus exhibere poteſt, ac debet. Quæ tamen ideo *regulariter* obtinere diximus: quia ſi Epiſcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo hac in re negligens eſſet, ut Monialibus ſuis, bis, terve in anno extraordinarii Confeſſarii copiam facere prætermitteret, obtendens, ut moris eſt, nullam hac de re Monialibus ipſis ſollicitudinem, aut curam eſſe; tunc volumus Dil. Fil. Noſtrum S. R. E. Cardinalem modernum, & pro tempore exiſtentem maiorem Pœnitentiarium, ſtatim ac pro parte Monialium huiuſmodi requiſitus fuerit, Ordinarii Paſtoris negligentiam ſupplere debere, earumque Monaſterio extraordinarium Confeſſarium ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confeſſiones ab ipſo Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus neceſſariis, & opportunis facultatibus concedere, & deputare. Quod ſi Prælatus Regularis eamdem Concilii legem de Confeſſore extraordinario bis, aut ter in anno Monialibus ſibi ſubiectis exhibendo ſimiliter implere neglexerit, tunc locus fiet Decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ad ipſius Concilii interpretationem, & executionem auctoritate Apoſtolica deputatorum, quo ſcilicet eadem Congregatio ad quæſtionem ab Epiſcopo Vercellenſi propoſitam *die 23. Auguſti anni 1631.* reſcripſit, ut infra. *Epiſcopus Vercellen. ſupplicat ſibi reſponderi, an deputatio Confeſſarii extraordinarii Monialium Regularibus ſubiectarum ſpectet. ad Ordinarium loci:* Sa-

Digitized by Google

Sacra Congregatio cenſuit, ad Epiſcopum non pertinere, niſi in caſu negligentiæ eorumdem Regularium, ut videre licet *Decretor. lib.* 14. *pag.* 493. Nec aliter reſpondit quæſtionibus ab Epiſcopis Belgii exhibitis, *die* 6. *Aprilis anni* 1647. ut legitur *Decret. lib.* 18. *pag.* 32. Quæ quidem reſcripta, & Decreta Nos etiam præſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus.

Quum autem Tridentina Synodus de univerſa quidem Monialium Communitate, ut ſupra, decreverit, ſed nihil de ſingulis Monialibus ſtatuerit, ut patet legenti Textum citati capitis X. utque etiam iam uſque ab anno 1585. iudicatum fuit ab ipſa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, per ſubſequens reſcriptum, quod extat *Decret. lib.* 4. *pag.* 90. *Sacra &c. cenſuit, extraordinarium Confeſſorem offerendum non alicui Moniali ſingulariter, ſed omnibus Monialibus univerſe, ut omnium Confeſſiones audire debeat; in arbitrio tamen cuiuſque Monialis eſſe, ut Confeſſario extraordinario velit confiteri*: hinc ortum habuit alterum controverſiæ, ſeu dubitationis caput; an ſcilicet, ubi iam univerſæ Communitati bis, terve infra annum Confeſſarii extraordinarii copia facta eſt, & nihilominus aliqua Monialis Confeſſarium peculiarem extra ordinem ſibi concedi petit, an, inquam, huiuſmodi petitioni ſit indulgendum. Id autem primo loco quæſitum fuit, propoſito caſu Monialis graviter ægrotantis, quæ in mortis periculo pro ſpirituali conſolatione poſtulet alium Sacerdotem, qui tunc non ſit ordinarius Monaſterii Confeſſor, ſuprema ſibi Eccleſiaſticæ pietatis officia, & pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare. Huic annuendum facile eſſe, prædicta Congregatio pluries iudicavit, ut videre eſt ipſius *Decret. Lib. XVIII. pag.* 522. *a tergo*, ſub *die* 6. *Aprilis ann.* 1647. & eodem libro *pag.* 586. *die* 22. *Februarii anni* 1649. quæ pariter Decreta a Nobis præſentium tenore approbantur, & confirmantur; ut ſcilicet Epiſcopi ſubiectis ſibi Monialibus in gravi infirmitate conſtitutis, & id expetentibus, peculiarem Confeſſarium concedere debeant; iidemque etiam idipſum præſtent erga Moniales Regularibus Prælatis ſubiectas, quum aliqua ex illis a ſuo Superiori Regulari hujuſmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem caſu nihil ſtatuitur de Cardinali Maiore Pœnitentiario, non ideo quia nequeat is pro ſingulis Monialibus idem facere, quod ſupra diximus eumdem pro toto Monaſterio facere poſſe; ſed quia tunc, ob temporis anguſtias intercluſa præſumitur via recurrendi ad ipſius Officium. Quod ſi nihilominus ipſius adeundi tempus, & modus ſuppetat; ad eum pertinebit eadem prorſus ratione peculiaribus ſupplicantium neceſſitatibus providere, qua dictum eſt ſuperius, univerſæ Religioſæ Communitati ab ipſo conſulendum eſſe.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibuſdam Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, Ordinario tamen miniſtro confiteri obfirmate recuſant. Iſtarum quoque animi debilitas commiſeranda eſt, & ſublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia ſuperari nequeat, Confeſſarius extra ordinem deputandus eſt, qui earum Confeſſiones peculiariter excipiat. Id vero circa Moniales Epiſcopo, ſive Ordinario loci ſubiectas ab ipſo Ordinario præſtari debet. Quod autem ad illas pertinet, quæ Regulari regimini ſubſunt, ad Regularem Prælatum pertinet, ſervatis ſervandis, peculiarem ipſis deſtinare Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario ad Confeſſiones Monialium; vel ſi Sacerdos ille, cui eiuſmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non ſit approbatus, cum ipſo Ordinario agendum erit, ut pro excipienda ſaltem illius Monialis Confeſſione, & pro tot vicibus, quot expedire iudicabitur, eumdem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum eſt) ut Regularis Superior ad concedendum huiuſmodi Confeſſarium extraordinarium Moniali communem Confeſſarium recuſanti nullo pacto adduci poſſit; iam huic caſui proviſum eſt per Decretum anno 1573. a prædicta Congre-

Digitized by Google

gregatione Concilii editum, & a fel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apoſtolicum Thronum obtinente approbatum, & confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Noſtræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Lib. I. Decretorum ipſius Congregationis pag. 66. a tergo*, hæc ſunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri Confeſſariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Epiſcopus Regienſis poſſet dare dictæ Moniali Confeſſorem alterius Ordinis Regularem, vel Sæcularem, cui illa ſemel, vel pluries confiteatur peccata ſua, & a quo abſolvi poſſit. Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex Sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum caput decimum ita eſſe intelligendum, ut etiam poſſit Epiſcopus concedere Confeſſarium alterius Ordinis, vel ſæcularem*. Præterea nihil obſtat quominus ipſa Monialis recurſum habeat ad Cardinalem maiorem Pœnitentiarium, a quo ipſi providendum erit, ut ſupra dictum eſt, per deputationem Confeſſarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

Quæſitum denique fuit de Monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recuſant Ordinarium Pœnitentiæ miniſtrum a Monaſterii Prælato pro univerſa Communitate deputatum; verum pro maiori animi ſui quiete, atque ulteriori in via Dei progreſſu facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confeſſiones iam approbato. Qua de re non ſemel Nobis in minori ſtatu degentibus accidit, ut cum aliquibus Epiſcopis, aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio ſeveros, qui aſpera quadam verborum brevitate reſpondebant: quod quum Moniali poſtulanti libera fuiſſet facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui univerſæ Communitati non ſemel eo anno iam datus fuerat, tunc oportebat eam conſcientiæ ſuæ conſuluiſſe: quod ſi oblata commoditate uti noluerat, id ſibi imputaret, neque pergeret Superiori moleſtiam afferre, ut peculiarem Confeſſarium extra ordinem ipſi concederet. Nobis autem obiicientibus, Monialem huiuſmodi ad Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Officium facile recurſum habituram, ibique haud ægre impetraturam id, quod ab ipſis Superioribus ei denegatum fuiſſet; iterum conſtanter reſpondebant, extraordinarium huiuſmodi Confeſſarium poſt impletam ab ipſis erga univerſum Monaſterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi poſſe, ſed a ſe numquam conceſſum iri.

At vero neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida iſthæc agendi ratio. Perſuaſum enim habebamus, adeoque habemus, non ſolum integræ Communitati, ſed ſingulis etiam Monialibus indulgendum eſſe in iis rebus, quæ iuſte, & rationabiliter petuntur, maxime quum illæ ad earum conſcientiæ quietem, & ſecuritatem conferre dignoſcuntur. Neque ſane huiuſmodi poſtulationes aut temere exaudiri, aut ſine cauſa reiici debere cenſemus; ſed inquirendum in primis eſſe de qualitatibus tum Monialis, quæ Confeſſarium extra ordinem petit, tum Confeſſarii, qui ab ea requiritur; ut utriſque diligenter inſpectis, deliberari poſſit, an illius votis annuendum ſit, an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adverſæ ſuſpicionis locum, ex altera vero Confeſſarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, ſed etiam commune probitatis teſtimonium pro ſe habeat, nullo modo probare poſſumus tam firmum huiuſmodi Prælatorum in renuendo propoſitum; nec intelligimus, cur poſt Confeſſarium extraordinarium integræ Communitati iuxta legem Conc. Trid. oblatum, nulla omnino Monialibus ſingulis ſpes relinquatur obtinendi peculiarem Confeſſarium, cuius conſilio, & opera iuſtis fortaſſe de cauſis indigere ſe arbitrentur. Non ita ſane hac de re ſentiebat ſapientiſſimus ille animarum Rector S. Franciſcus Saleſius, cuius doctrinæ Summam ex illius operibus, tum editis, tum manu ſcriptis, collectam bon. mem. Io: Petrus le Camus Epiſcopus Bellocenſis iuſto volumine complexus eſt, cui titulum fecit *Spiritus S. Franciſci Sa-*

Digitized by Google

Saleſii . In huius compendio , quod ex Gallico in Italicum ſermonem converſum Venetiis anno 1745. pro quarta vice typis editum eſt , Part. XVII. cap. vi. aperte legitur , quod , cum Beatus Epiſcopus non ita intelligeret præmiſſum Conc. Trid. Decretum , ut vetitum exiſtimaret , Confeſſarium extraordinarium , pluribus etiam quam tribus vicibus in anno , Religioſæ Communitati offerre , quæ quidem ſententia plures habet ſuffragatores , quos refert *Diana in editione coordinata Tom. VII. tract. 1. reſ.* 348. non ſolum ſolebat ſuis Monialibus Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis quater in anno , videlicet in ſingulis Hebdomadis Quatuor Temporum Confeſſarium extraordinarium deputare ; verum etiam earum reſpective Superioribus commendatum reliquit , ut ſingulis Monialibus , quæ non ex animi levitate , neque ex indiſcreta affectionis ſingularitate Confeſſarium extraordinarium peculiariter peterent , haud ſe difficiles in eo concedendo præberent . Nec aliter ſe gerere conſuevit ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patavinus . Is enim , ut teſtatur illius quondam Vicarius Generalis Ioannes Clericatus in *Tract. de Pœnit. dec.* 41. *num.* 7. & Patrum Tridentinorum Decretum quoad omnia Monialium Monaſteria in ſua Civitate , & Diœceſi exiſtentia quotannis re ipſa exequebatur , & nihilominus exorari ſe patiebatur a Monialibus , quæ aliquando rationabilibus de cauſis peculiarem pro ſe Confeſſarium expeterent . Hujuſmodi regulis , & exemplis noſtram quoque agendi rationem in Spirituali Monialium regimine conformare curavimus ; maximumque utilitatis , & quietis fructum nos inde percepiſſe cognovimus . Quapropter Ven. Fratr. Eccleſiarum Antiſtites , atque Dilectos Filios quarumcumque Religioſarum Mulierum Rectores hortamur in Domino , & enixe monemus , ut eamdem viam , quoad fieri poteſt , inſiſtere non recuſent , & non adeo difficiles ſe præbeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confeſſarium aliquando expetentibus ; quin potius niſi aut Monialis poſtulantis , aut Confeſſarii requiſiti qualitas aliter faciendum ſuadeat , earum iuſtis precibus obſecundare ſtudeant ; illud cogitantes , quod etſi liberum ſit cuilibet Moniali Cardinalem maiorem Pœnitentiarium adire , cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur ; nihilominus ea eſt aliquando neceſſitatis urgentia , ut remedium , quod de longinquo petendum eſt , non ſatis tempeſtive adveniat . Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones , quæ in Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ fiunt , ab omni vel minima pecuniæ ſolutione inviolabiliter ſint immunes ; non omnibus tamen Monialibus facile eſt invenire qui earum negotia in urbe procurare velit , & poſſit .

Iam vero poſtrema ſupereſt quæſtio , nimirum de qualitatibus Confeſſarii extraordinarii , qui vel pro univerſa Monialium Communitate , vel pro aliqua Moniali peculiariter deputari debeat . Porro nullo umquam tempore dubitatum fuit , an in huiuſmodi Sacerdote ætatis maturitas , morum integritas , prudentiæ lumen requiratur ; quas quidem dotes in eo , qui ad huiuſmodi munus adhibetur , neceſſarias eſſe , omnes fatentur . Sicut etiam minime dubitatur , quin idem ab Ordinario loci ſpecialiter pro Monialibus approbatus eſſe debeat , quum huiuſmodi approbatio ex Apoſtolicarum Conſtitutionum lege omnino requiratur non ſolum in omnibus tam ordinariis , quam extraordinariis Confeſſariis , qui Monialibus , etiam Regulalibus ſubiectis , ab earum reſpective Superioribus deputantur ; ſed etiam in iis , qui a Cardinali maiori Pœnitentiario , conceduntur etiam Apoſtolica Sede vacante , quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus , ut videre eſt in Noſtra Conſtitutione ſuper illius facultatibus edita , quæ eſt 95. in Tom. I. Bullarii Noſtri , ubi paragrapho 54. eidem conceditur , ut , vacante Sede , *Monialibus Confeſſarios extra ordinem valeat*

Digitized by Google

leat deputare , ſi eos ex aliqua rationabili cauſa petierint , pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confeſſiones eligendos. Quamobrem ad id dumtaxat redacta eſt controverſia , an ſcilicet e Clero Sæculari , an vero e Regulari eligendus ſit huiuſmodi Confeſſarius : tum inter Regulares an aſſumi poſſit ex quolibet alias permiſſo , an vero ſemper deputari debeat ex ipſo Ordine Prælati Regularis , ad quem Monaſterii regimen ſpectat.

Sane pro Monialibus Epiſcopo immediate ſubiectis , regula eſt , ut ordinarius earum Confeſſor ſit Sacerdos Sæcularis ; extraordinarium vero ex Ordinibus Regularibus ſæpiſſime aſſumi apud pleroſque Epiſcopos uſu ſeceptum eſſe conſtat ; deficiente forſan per ſingulas Diœceſes Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia . Regulares autem Prælati Monialibus ſibi ſubiectis Confeſſarium ordinarium deſignant e ſuo ipſorum Ordine ; extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare poſſunt iuxta Decretum a ſupradicta Congregatione editum *die* 26. *Septembris anni* 1595. ac relatum in *Lib. VIII. Decret. pag.* 149. *a tergo*, ubi ſic legitur *Sacra &c. reſpondit , Superiores Regulares teneri offerre Confeſſarium extraordinarium eiuſdem Ordinis , alterius vero Ordinis poſſe quidem , ſed non teneri* .. Numquam tamen , quod meminerimus , ullum Sacerdotem ſæcularem , aut diverſi Ordinis Regularem , vidimus a Regulari Prælato Monialibus ſibi ſubiectis extraordinarium Confeſſorem deputari . Denique quum aliquando evenire poſſit , ut in caſu negligentiæ Superioris Regularis ad Epiſcopum , ut ſupra dictum eſt , pertineat deputatio Confeſſarii extraordinarii , etiam pro Monialibus Regularium regimini ſubiectis , nulla ipſe lege tenetur ad huiuſmodi Confeſſarium eligendum ex eo Ordine , cuius eſt Monaſterii Prælatus ; ſed tali caſu liberum eſt illi quemlibet idoneum Preſbyterum Sæcularem , aut alterius Ordinis Regularem ad audiendas earum Monialium Confeſſiones deputare.

At quum ſuperioribus annis Apoſtolicæ Sedi expoſitum fuiſſet pluribus de cauſis , iiſque graviſſimis , quas hic referre opus non eſt , non tam opportunum , quam plane neceſſarium videri , ut Monialium Monaſteria Regularium regimini ſubiecta ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium diverſi Ordinis Regularem , aut e Sæculari Clero Presbyterum haberent ; hujus rei examen , iubente fel. record. Prædeceſſore Noſtro Innocentio Papa XIII. aſſumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus compoſita , cui Nos tunc in minoribus conſtituti in Secretarii munere operam præſtabamus ; quæque per annum , & ultra , ſingulis Hebdomadis cogebatur , ad diſcutienda , & definienda complura Eccleſiaſticarum quæſtionum capita , quæ deinde inſerta ſunt in Apoſtolicis litteris ab eodem Innocentio Prædeceſſore editis die 13. Maii 1723. quarum initium eſt : *Apoſtolici Miniſterii* , quæ etiam a ſan. mem. Prædeceſſore quoque Noſtro Benedicto Papa XIII. in forma ſpecifica confirmatæ fuerunt per alias ſimiles litteras datas die 23. Septembris anni 1724.

Cum autem negotia , quæ in ea Congregatione tractabantur , nullius privatas rationes attingerent , ſed de reſtituenda potiſſimum Trid. Concilii obſervantia in quibuſdam Catholici Orbis regionibus , ut ferebatur , non parum labefactata , unice ageretur ; neceſſarium minime iudicatum fuit , aliquem velut in iudicium vocare ad deducenda iura , ſi quæ ſibi adverſus illa , quæ decernenda viderentur , competere forſan putaret . Sed Noſtra peculiaris cura erat , ad ſingula propoſita capita totidem diſſertationes , unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas , elucubrare ; ad demonſtranda videlicet fundamenta illius diſciplinæ quæ in uſum revocanda cenſebatur . Nec aliter ſe res habuit , quum in eadem Congregatione ut præfertur , in deliberationem venit , an decernendum

ſo-

foret, ut Regulares Monaſteriorum Prælati, una ſaltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confeſſarium Monialibus ſibi ſubiectis in annos ſingulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque, ipſis hac in re deficientibus, liberum eſſet Epiſcopis locorum Ordinariis eorum defectum ſupplere, & emendare.

Verum quum Regularibus innotuiſſet, a prædicta Congregatione conditum eſſe Decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime aſtringi volebant ad hujuſmodi annuam deputationem Confeſſorum extraordinariorum e Clero Sæculari, vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujuſmodi Decreto obſtare putabant: cumque id facile impetraſſent, ac ſuam totiuſque Cœtus Regularium cauſam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curaſſent, ſed nihilominus prædicta Cardinalium Congregatio in priori ſententia permanſiſſet, placuit præfato Prædeceſſori Innocentio, antequam Decretum huiuſmodi approbatione ſua confirmaret, aliorum Cardinalium ſententias audire. Itaque excluſis illis omnibus, qui ex ipſius Pontificis deputatione in præcedentibus ſeſſionibus per annum integrum negotia diſcuſſerant, aliiſque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi ſecreto fecerat conſcriptarum allegationum exempla, Nobis etiam adeſſe iuſſis, qui rationum momenta a priori Congregatione præ oculis habita, ſi opus eſſet, exponere poſſemus, novam Cardinalium Congregationem ex improviſo coram ſe convocavit, in qua iterum propoſita quæſtio diligenter, ac mature diſcuſſa fuit; ac demum ipſe Pontifex de ipſius Congregationis conſilio, & aſſenſu, ſuper hac re decrevit, ut ſequitur. *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confeſſor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confeſſiones audiat, ſi impoſterum Superiores Regulares, quoad Monaſteria ipſis ſubiecta, toties prædictum extraordinarium Confeſſorem deputare neglexerint, vel ſi etiam ex proprio eorum Ordine ſemper deputaverint, nec ſaltem ſemel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Sæcularem, aut Regularem alterius diverſi Ordinis profeſſorem; in his caſibus Epiſcopi, pro ſui arbitrio, & conſcientia deputationem huiuſmodi facere poſſint, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus valeat impediri*. Perſcriptum ſane fuit huiuſmodi Decretum ea occaſione, qua agebatur de reſtituenda in certis quibuſdam Regionibus Eccleſiaſtica diſciplina ad formam Conc. Trident. Verum ipſius Decreti vigor ad eas dumtaxat Regiones minime reſtrictus fuit; quum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confeſſorum eiuſdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monaſteriis Regularium regimini ſubiectis locum habere poſſint; & quæcumque adverſus Decretum ipſum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum ſtatutis, & ex Conſtitutionibus Monialium Regularibus ſubiectarum fuerint deſumpta. Cumque iudicatum fuerit, ea omnia nequaquam obſtare, quo minus ita decerneretur; ſequitur ut, quamvis eidem Decreto cauſam dederint peculiarium quarumdam Regionum neceſſitates Apoſtolicæ Sedi eo tempore expoſitæ, illud tamen generale ſit, & univerſos per Orbem Regulares Monaſteriorum Monialium Prælatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus Prædeceſſor Benedictus XIII. Innocentii litteras in forma ſpecifica confirmarit, Nobis conſtat illius mentem fuiſſe, ut huiuſmodi Decretum univerſalis, & inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus, ne ulla apud aliquos ſuperſit dubitatio; Nos ipſi præſentium litterarum vigore, ac motu proprio, & certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ipſum relatum Innocentii Prædeceſſoris Decretum, ſtatutum, mandatum, atque præceptum ad omnia per Orbem ubique exiſtentia, & Regularium regimini ſubiecta

iecta Monialium Monaſteria, quatenus opus ſit, expreſſe extendentes, & ampliantes, decernimus, atque ſtatuimus, ut ſingulis annis, incipiendo a proximo milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monaſteriorum Prælati teneantur bis, aut ter in anno Confeſſarium extraordinarium univerſis Monialibus in iis degentibus offerre. Si vero ipſi forſan huiuſmodi Confeſſarii extraordinarii deputationes inter præſcripta tempora omiſerint, vel ſemper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint, ita ut præfatæ Moniales ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium e Clero Sæculari, aut ex alio Ordine Regulari non habeant; ad Epiſcopos Diœceſanos, omni appellatione remota, devolvatur ius ſupplendi eorumdem Prælatorum defectum (ſi nempe penſatis rerum circumſtantiis, ita expediens eſſe iudicaverint) per deputationem Confeſſarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero caſu, aut e Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine pro ipſorum arbitrio deligere poſſint, & valeant.

Quo circa dilecto filio noſtro S. R. E. Cardinali moderno noſtro, & pro tempore exiſtenti Romani Pontificis in Urbe, eiuſque Diſtrictu Vicario in Spiritualibus Generali, earumdem præſentium tenore committimus, & mandamus, ut hæc Noſtra Decreta, atque ſtatuta, tam in omnibus eiuſdem Almæ Urbis Monaſteriis, quæ Regularium regimini ſubſunt, quam in aliis quibuſque Regularium, aut Sæcularium Mulierum, aut Puellarum domibus, ſeu Collegiis, atque Conſervatoriis, quibus unicus ordinarius Confeſſor a Superioribus deputari ſolet, in omnibus, & per omnia iuxta earumdem litterarum præſcriptum, exactiſſime obſervari, & adimpleri faciat; ne forte audiri contingat, quod cum magna animi Noſtri moleſtia dictum aliquando eſſe cognovimus, Apoſtolicas Conſtitutiones Romæ quidem ferri, & publicari, ſed eas minime in ipſa Urbe ad effectum perduci.

Eamdem porro curam, & ſollicitudinem iniungimus, & demandamus Ven. Fratr. Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per omnes univerſi Orbis Eccleſias conſtitutis, quibus ut ſatis perſpectum putamus voluntatis Noſtræ ſtudium tam in eorum rationabilibus querelis, iuſtiſſimiſque petitionibus ſuſcipiendis, quam in corruptelis, quas irrepſiſſe iudicaverint eliminandis, idque non ex ingenio Noſtro quidquam ſtatuendo, nec peregrinas novitates inducendo, ſed veteres, ut plurimum, leges, & regulas, vigili Prædeceſſorum Noſtrorum providentia iam pridem conſtitutas, in priſtinum, debitumque vigorem, & uſum revocando; ita eoſdem meminiſſe volumus, proprium zeli Paſtoris Officium non in eo ſitum eſſe, ut adverſus ea, quæ contra leges fiunt, inutiliter deplorando, declament; ſed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem iam præſtitutis, implorato etiam Apoſtolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, & legum executioni afferri contingat, omneſque diligentias, & curas, quas corrigendis abuſibus ipſi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Quoniam vero tam in ſuperius allegato Clementis XI. Edicto, quam in Synodalibus plurium Epiſcoporum Conſtitutionibus ſtatutum eſſe conſpicimus, ut quo tempore extraordinarius Confeſſor alicui Communitati deputatus miniſterio ſuo fungitur, ordinarius Confeſſor nullum ipſi impedimentum afferre audeat, multoque minus præſumat per id temporis alicuius Monialis, ſive Superioriſſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, neque demum alterius cuiuſcumque perſonæ intra ſepta Monaſterii, aut piæ Domus commorantis Sacramentalem Confeſſionem audire; Nos id quoque approbatione Noſtra roborantes, & confirmantes, ſtatuimus, & mandamus, ut Epiſcopi quidem, ſi de Monaſteriis, aut Domibus eorum regimini ſubiectis agatur, Regulares autem Snperiores, quod ad illas Communita-

tes

tes attinet, quibus ipſi præſunt, pro huiuſmodi legis implemento advigilent, & contravenientes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

Ac demum quibuſcumque Confeſſariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti, conceſſi, ac deputati fuerint, diſtricte inhibemus, ſub pœnis adverſus accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, a Prædeceſſoribus Noſtris quandocumque ſtatutis (quas etiam præſentium vigore confirmamus, & innovamus) ne, poſtquam ſuum officium impleverint, ad idem Monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quomodocumque continuare, & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis obtentu, & colore, audeant, aut præſumant.

Decernentes, ipſas præſentes litteras, atque omnia, & ſingula in eis ſtatuta, etiamſi quicumque in iiſdem intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, aut alterius cuiuſcumque generis defectus forſan adverſus eas obiiciatur, ſemper, & perpetuo valida, & efficacia eſſe, & fore, & ab omnibus, ad quos ſpectat, atque in futurum ſpectabit, inviolabiliter etiam perpetuo obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Auditores, & S. R. E. Cardinalium Congregationes ordinarias, atque peculiariter deputatas, alioſque Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, iudicari, & definiri debere; ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate; atque irritum, & inane decernentes quidquid ſecus a quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſcumque etiam Apoſtolicis ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Eccleſiarum, & Ordinum Regularium, ſeu Congregationum aut Societatum, & Inſtitutorum, etiam S. Ioannis Ieroſolymitani, aliorumque Militarium Ordinum, ſeu Monaſteriorum Virorum, aut Monialium, aliarumque piarum Domuum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore Iuris clauſis, aut litteris Apoſtolicis, cuilibet præmiſſorum, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, etiam hic de neceſſitate exprimendis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel in ſpecie, & derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis, hac vice dumtaxat, & ad præmiſſorum effectum, illis alias in ſuo robore permanſuris, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus demum, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1748.

Digitized by Google

1748. nonis Auguſti Pontificatus Noſtri anno octavo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

I. Datarius

VISA DE CURIA

I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI 1748. Indictione 11. die vero 16. Auguſti Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIV. anno 8. ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Dominicum Contini Apoſtolicum Curſorem.

Horatius Mugnaini Mag. Curſ.

A D

Digitized by Google

AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM

DOGMATICO-MORALEM APPARATUS

LIBER PRIMUS.

DE LOCIS THEOLOGICIS,

ſeu

Purioris Ethices chriſtianæ fontibus:

DISSERTATIO PRIMA.

De natura humana peccato originali vulnerata, eiuſque viribus ad verum, & bonum; atque de neceſſitate doctrinæ divinitus revelatæ.

PRAELOQUIUM.

CHRISTIANAE THEOLOGIAE locos deſcripturus, illud primum omnium te admonere, lector optime, intereſt, me hanc ſuſceptam ſpartam haud poſſe pro meritis exornare, non modo quod ingenio, eruditione, & doctrina caream, verum etiam quod otii ad id neceſſarii penuria laborem. Inſtat quippe tempus verbi divini Romæ in proxima Quadrageſima an. 1751. prædicandi, & alia negotia urgent, quæ alio curas meas avocant. In id tamen incumbam ut præcipuos ſaltem huiuſce divinæ ſcientiæ fontes aperiam, in quos digitum intendere illius candidati ad hauriendas aquas perennes valeant. Eminet autem inter iſtos Scriptura divina, unde cum primis eruere ſua argumenta

Digitized by Google

Theologi debent: idcirco locum iſtum fuſius illuſtrare pro modulo & tenuitate mea curabo, præſertim quod communiter benigni moralis Theologiæ Doctores nonnulli hunc præ ceteris locum a ſæculo fere integro magna ex parte neglexerint. Ceteros brevi manu perſtringam, & illa tantum in medium adducam quæ ſatis ſint ad illos dedocendos qui præceptiones pro informandis Chriſtianorum moribus non a Scripturis ſanctis, non a traditione, non a Patribus, non a Conciliis, ſed a vana quadam argutandi arte, a nova opinandi ratione, a ratiunculis humana mente primigeniæ culpæ tenebris circumfuſa partis, & ab antecedentium Caſuiſtarum multitudine arceſſunt. Et profecto vix fieri potuiſſet ut tam lutulenti opinationum rivuli in chriſtianam Theologiam influerent, niſi relictis aquarum ſalientium in vitam æternam fontibus turbidæ ciſternæ reſeratæ fuiſſent. Sapientiſſimus MELCHIOR CANO, ſingulare & Ordinis mei, & præclaræ Hiſpanæ nationis decus & ornamentum, auro cedroque dignum de locis theologicis volumen edidit, quo Theologiam ſcholaſticam a plurimis inaniſſimarum quæſtionum nugis, & quiſquiliis purgatam ad ſuum primævum ſplendorem reſtitueret; eiuſque votis fauſtus ſucceſſit eventus. Tanti viri veſtigiis inſiſtens ipſe eo quoque conatus meos, qualeſcumque demum ſint, collineavi, ut ex intaminata morum Theologia invecta laxitatis paradoxa pro viribus exterminarem. Sin votorum meorum compos evaſero, id ſaltem ſpero fore ut eruditi doctique viri, qui edendis lucubrationibus deſudarunt, quoniam experti ſunt, quid vigiliarum, quid curæ, quid laboris in his inſumpſerint, aut probatur[i] molimina mea, aut inſitæ humanitatis officium donaturi ſint. Illorum vero qui ad ſcribendum inepti ſunt, moroſitatem, cenſuras, & maledicta nihil penitus curo, ſed illud Valerii Martialis Lib. II. epigr. 8. iſtis oppono:

Hæc mala ſunt, ſed tu non meliora facis.

Saperdis & rabulis ingenitus ferme eſt, fuitque ſemper cachoetes aliorum opera vellicandi, carpendique, in quorum garrulitatem, & petulantiam his verbis animadvertit S. Hieronymus *epiſ.* ad Domnionem virum ſanctiſſimum. *Non eſt grande, mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, ac de mundo ferre ſententiam. Hic bene dixit, ille male: iſte Scripturas novit, ille delirat: iſte loquax; ille infantiſſimus eſt. Ut de omnibus iudicet, cuius hoc iudicio meruit? Contra quemlibet paſſim in triviis ſtrepere, & congerere maledicta ſcurrarum eſt, & paratorum ad lites. Moveat manum, figat ſtilum, commoveat ſe, & quidquid poteſt ſcriptis oſtendat.* Sed garrulos iſtos obtrectatores, vanitatis fumo uſquequaque circumfuſos mittamus, cum ſint ad iudicium de rebus theologicis ferendum prorſus inepti. Enimvero Theologiæ penetralia ingreſſuris humilitas neceſſaria eſt, & inanis gloriæ ambitioniſque contemptio, ut S. Auguſtinus *Lib. III. Confeſſ. cap.* 1, docet. *Inſtitui animum intendere in Scripturas ſanctas, ut viderem quales eſſent: & ecce*

Digitized by Google

video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris; ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis: & non eram ego talis, ut intrare in eam poſſem. Repetitionis vitium mihi opponent præſertim illi qui eamdem ſcribendi rationem in morum regulis tradendis, ac in alterius generis ſcientiis deſiderant. Si me a repetitionis vitio immunem aſſererem, ſane ineptirem. At non minus ineptiunt illi, & ignorantiam produnt ſuam, qui non advertunt, in morum Theologia ſcribenda eaſdem paſſim veritates, eaſdem contrarias conſuetudines & corruptelas altius animis impreſſas recurrere; atque adeo modo ſub uno, modo ſub altero aſpectu eſſe evellendas. Morum præceptor non mentem modo illuminare, docere veritatem, & dedocere errores; verum etiam animum vitiis duratum emollire & flectere debet. Non uno autem aut altero, ſed repetitis ictibus opus eſt ad frangendam cordis duritiem, delendaſque vetuſtas formas diuturna conſuetudine obfirmatas. Hanc inſtitiſſe viam Patres compertum eſt. Ceterum quibus operis noſtri lectio tædium parit, dictum Martialis *Lib. X.* recordor:

Si nimius videor, ſeraque coronide longus
Eſſe liber; legito pauca, libellus ero.

Si plura de ſcribendæ chriſtianæ Theologiæ ſtilo cupis, lege præfationem noſtram in *Tom. I. Decalogi cap.* III. & IV.

C A P U T I.

Theologo chriſtiano in tradenda morum ſcientia primum omnium, quid ſit humana natura, quæ illius vulnera, & vires, ſerio expendendum.

I. NAturæ vox plures excipit ſignificatus penes cum Theologos, tum Philoſophos. In præſens accipitur pro libero humano arbitrio, intellectu nempe, & voluntate, non excluſis phantaſia, & appetitu ſenſitivo, aliiſque affectibus, & propenſionibus, quibus homo utitur ad ſuas exercendas operationes. Immo corpus ipſum naturæ nomine comprehenditur: ex varia quippe corporum diſpoſitione & temperamento, ex diverſitate ætatis, ſexus, ſanitatis, varii animi affectus, & motus dimanant.

II. Porro Theologus chriſtianus qui omnium primum huius naturæ indolem, vires, infirmitates, propenſiones non explorat, non meditatur, prima profeſſionis ſuæ ignorat principia. Siquidem munus illius eſt naturam hanc dirigere, moderari, inſtruere, & ad finem quo tendit, ducere. Si autem eiuſdem vires, inclinationes, morbos, & ceteras alias eiuſdem affectiones compertas non habeat, fungi officio ſuo nullo modo valet. Quid omnium primum peragendum medico eſt? Infirmi, quem curandum ſuſcipit, naturam, temperamentum, morbi gravitatem, eius radices, & effectus ſerio contemplari, & intimos ſubire receſſus debet, ut

Digitized by Google

opportuna remedia applicare eidem poſſit. An ſtultus non haberetur, ſi curationis methodum, ſi medicinas, ſi remedia præſcriberet, antequam infirmi temperamentum, naturæ ægrotantis extenuationem, aut robur, morbi qualitatem, & cetera quæ infirmitatem comitantur, non inveſtigaret, non expenderet, & habere, quoad poſſet, comperta non conaretur? Theologus medicus eſt, & doctor, qui expellendis mentis erroribus, curandis voluntatis vulneribus, comprimendæ concupiſcentiæ opportuna remedia definire, ſimulque quæ evangelicæ legis iugo portando neceſſaria, & quæ ponderis gravitatem delinire valent, patefacere debet. Si mentis tenebras, ſi voluntatis pravas inclinationes, ſi concupiſcentiæ rebellionem, ſi ceterarum paſſionum perturbationem ignoret, præſtare ne recte hæc omnia, & defungi officio ſuo optime poterit?

III. Conſtat igitur & quidem evidenter id quod propoſui, Theologo chriſtiano primum omnium inveſtigandas eſſe animi humani vires, & humanæ naturæ ægrotantis imaginem ſemper præ oculis habendam. Quid quod artifices omnes in ſuis exercendis artibus, prius materiæ quam tractare, & cui artificii formam imprimere debent, conditionem, aptitudinem, & qualitatem ſerio explorant, & perpendunt? Quænam ſit naturæ huius infirmitas, quinam morbi, quænam medicinæ, & eidem remedia idonea, infra declarabo.

IV. Confirmat quæ dixi, ſapientum Philoſophorum experientia. Viderunt illi, inquit Auguſtinus, naturæ humanæ morbos, cauſſam vero penitus ignorarunt: triſtia infirmitatis gravamina ſentiebant illi, at tantorum malorum radix illos fugiebat. Idcirco in pluribus aberrantes delirarunt, illorumque morum Philoſophia craſſiſſimis ſcatet erroribus; nec minus remedia quam malorum cauſſa, occulta illis fuere. M. Tullius, cuius ſcripta, quid ſine gratia præſtare natura valeat, patefaciunt, tantorum originem malorum ſcrutabatur; at ſuis viribus relictus, & undique tenebrarum caligine circumfuſus, naturam ut novercam accuſabat, & captivitatis vincula deferens, crimen tanti ſupplicii cauſſam deprehendere nequaquam valuit. Illius auctoritate abutebatur Iulianus, ut peccatum originale commentitium evinceret. Verum Auguſtinus hoc pacto *Lib. IV. contr. Iul. cap.* XII. illum redarguit. *Vide nunc, utrum iſta quæ dicam, non evertant aſſertionem tuam: In Lib. III. de Republica idem Tullius hominem dicit, non ut a matre, ſed ut a noverca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen ineſſet tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc Auctor ille male viventium moribus dixit effectum, ſed naturam potius accuſavit. Rem vidit, cauſſam neſcivit. Latebat enim eum cur eſſet grave iugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium: quia ſacris litteris non eruditus ignorabat originale pec-*

ca-

Digitized by Google

catum. Si qui moroſi & tetrici cenſores forent qui æquo longius me chriſtianæ Theologiæ tradendæ methodum arceſſere muſſitarent, pauca quæ delibavi, niſi me amor fallat, ſatis ſuperque illorum ora obſtruunt.

CAPUT II.

Status naturæ humanæ in Adamo innocente, illiuſque privilegia, & dotes.

I. VIx haberi plena notitia poteſt infirmitatis qua nunc natura humana laborat, niſi prius, quænam fuerit illius ſanitas, quæ fortitudo, quodnam robur, ſciatur. Sana illa fuit, integra, robuſta in Adamo innocente, primo humani generis parente, ut catholica fides docet. Quamobrem fabulam execrantur omnes Iſaaci Pereyri Calviniſtæ, aſſerentis Adamum Iudæorum dumtaxat primum fuiſſe parentem, ſecus Gentilium, quorum parentes præceſſiſſe contendebat Adamum, quos *Præadamitas* nuncupavit. Quod commentum una cum hæreſi calviniana Romæ, ſedente Alexandro VII. eiuravit. Plura Theologi diſputant de variis naturæ ſtatibus. Hominem in ſtatu naturæ puræ effingunt, qualem Philoſophi agnoverunt: & ex hac hypotheſi eiuſdem naturæ in tali ſtatu conſideratæ vires, perturbationes, luctam carnem inter & ſpiritum, & quæ præſtare officia potuiſſet, & alia, quæ inde conſequuntur, fuſo calamo exponunt. Rurſus hominem meditantur in ſtatu naturæ integræ, cogitatione ſeiuncto a ſtatu innocentiæ. Hæc omnia ego, utpote ab inſtituto meo aliena, alto premo ſilentio. Noſtræ humanæ naturæ in Adamo innocente a Deo conditæ dotes & privilegia paucis perſtringam ex S. Thomæ doctrina *I. Part. quæſt.* XCIV. *& ſeqq.*

II. Et primum, ſi palatium dumtaxat illud quod Deus pro huius humani generis Principis habitatione formavit, deſcribere quis vellet, quantacumque eloquentia inſtructus, id pro dignitate præſtare minime poſſet. Terram, Solem, Lunam, ſidera, univerſique mundi huius machinam ſupremus Architectus molitus eſt, alendi & conſervandi primi parentis noſtri cauſſa. Paradiſum terreſtrem tanta plantarum diverſitate, tanta fluminum copia ornatum, veluti illius regale ſolium conſtituit. Eiuſdem ditioni & imperio cuncta animantia ſubiecit. Quid de illius corporis pulchritudine, quid de ſenſuum vigore, de virium præſtantia dicam? Satis ſit indicare, nullum in eo fuiſſe vitium, nullum defectum: fuit enim divinis manibus e puriſſima terra, omnia tunc integra, & incorrupta pariente, formatum, tamquam aptiſſimum ſpiritualis animæ domicilium.

III. Illius vero animi ornamenta atque præſidia tanta fuerunt, ut vix enarrari ſermone valeant. Rerum omnium naturalium ſcientia, humano regimini neceſſaria, præditus fuit. Nullus in eius mente error, ignorantia nulla. Eam vero re-

Digitized by Google

rum ſupernaturalium Deus illi indidit cognitionem, quæ & ſuæ, & aliorum vitæ ſpirituali inſtituendæ opportuna erat. Gratiæ ſanctificantis dono, quo homo Deo gratus efficitur, ornatum Adam ante lapſum, docent Catholici omnes contra Pelagianos, quorum error in Synodo Dioſpolitana anno 415. proſcriptus fuit. Diſputant Theologi, infuſa ne Adamo fuerit in primo inſtanti ſuæ creationis, an vero poſt, gratia iſta? S. Thomas, & communiter Patres priorem, non pauci alii Theologi poſteriorem partem defendunt. Diſſidium iſtud parvi momenti eſt. Gratia iſta eminens, & fulgentiſſimis ornata dotibus, præſertim originali iuſtitia. Fuerit nec ne iſta iuſtitia originalis a gratia ſanctificante diſtincta, non attinet in præſens diſputare, ſed effectus illius exponere.

IV. Princeps iſtius gratiæ prærogativa intima fuit cum ſupremo opifice neceſſitudo, confœderatio, atque coniunctio. Hæc in ceteras animæ facultates intellectum, & voluntatem redundabat. Intellectus ſplendidiſſimo illuſtrabatur lumine; quo nec decipi, nec errare, ſed conſtanter adhærere vero poſſet. Voluntas donorum copia, fidei, ſpei, caritatis, religionis, iuſtitiæ, erat inſtructa, ut Deo cultum, honorem, & obſequium ſummum exhiberet. Ornamenta ſenſilis appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis erant virtutes morales, eminebantque temperantia, & fortitudo. Intellectus, & voluntas Deo, appetitiones omnes mentis & voluntatis imperio exactiſſime parebant. Omnia ibi ordinate & concinne diſpoſita. Hanc mirabilem harmoniam, & divinum ordinem nulla perturbatio, nulla rebellio, lucta nulla abrumpebat; ſed pace & tranquillitate ſumma fruebatur natura noſtra, uſque dum primus parens, ex cuius ſtirpe omnes orti ſumus, lapſus in peccatum fuit.

V. Si in eodem innocentiæ ſtatu perſtitiſſet Princeps noſter, immigraſſet in nos ingens illud & opulentiſſimum patrimonium. Omnes in illo ſtatu gratia ſanctificante, originali iuſtitia, ceteriſque opibus, veluti ex aſſe heredes, ornati in lucem prodiiſſent poſteri. In illo enim natura noſtra conſtituta erat omnibus ſuis bonis propaganda in ſucceſſores: quemadmodum enim in eiuſdem prævaricatione omnia mala contraximus; ſic eiuſdem conſtanti obedientia ad nos bona ſua transfuſa fuiſſent.

CAPUT III.

Lapſus Hevæ, & Adæ. Ordo in tentatione ſervatus. Opportuna inſtructio pro Theologis, & Confeſſariis.

I. BRevi calamo ameniſſimum innocentis, integræ, ſanæque naturæ noſtræ ſtatum deſcripſi. Permutanda nunc ſcena eſt, eo truculentior, quo fuit ante ſplendidior. Vix ac ne vix quidem intelligi iſtius naturæ infirmitas, vulne-

ra,

Digitized by Google

ra, ſervitus, & tragica calamitatum ilias, nedum ſermone explicari poteſt. Initia, progreſſus, & exitus tantæ viciſſitudinis paucis adumbrabo, cum hæc omnia ad noſtram magnopere pertineant eruditionem, ut optime advertit S. Auguſtinus *Lib. XI. de Geneſ. ad lit. cap.* IV. ubi cauſſam cur tentari Hevam & Adam Deus permiſerit, aſſignat his verbis. *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo male vivere ſuaderet; cum & in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti, adiuvante tamen illo qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Cur itaque tentari non ſineret, quem conſenſurum eſſe ipſe præſciebat, altitudine quidem conſilii eius, cum id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam: ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum Sanctorum, quam recte ipſe uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverſe uterentur naturis bonis?*

II. Serpentis formam induit dæmon, & mulierem ſeparatam a viro aggreſſus, hoc pacto eam eſt allocutus Gen. III. *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo, veſcimur; de fructu vero ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum*. En unde, inquit P. Iulius *Mercorus* celeberrimus Theologus, ſua orſa repetit Probabiliſmus. Dæmon lenocinante benignitate rigorem præcepti exaggerat. *Cur præcepit?* Rigoriſmus hic eſt. Poſſeſſio libertatis prævalet mandato. Quid mortem veremini? *Nequaquam moriemini*. Ultra pergit. Fructum ſuavitate, & vi aperiendi oculos præditum aſſerit. *Aperientur oculi veſtri*. Diis ſimiles futuros ex hoc eſu ſpondet, bonum & malum ſcientes. *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum*. His mendaciſſimis præſtigiis allecta mulier oculos in lignum intendit, contemplatur pulchritudinem, & delectationem captat. Tandem fructum rapuit, comedit, deditque viro ſuo. *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro ſuo, qui comedit*. Vaſerrimus diabolus noluit mulierem ſimul & virum adoriri, ne ſe mutuo armarent ad repellendum aggreſſum: neque virum recta impetiit, ſed muliebri uſus eſt miniſterio, inquit Auguſtinus, ut per infirmiorem vinceret fortiorem.

III. Artem qua uſus dæmon eſt in ſeducenda Heva, paucis expoſui. Adæ lapſus exponendus nunc eſt. Seductam a dæmone Hevam narrat textus ſacer; at ſeductum Adamum non exprimit: unde eruitur, diverſo modo lapſum Adamum fuiſſe. Erroris & deceptionis proprie dictæ expers Adam, ſubtiliſſimo ſuperbiæ

Digitized by Google

fumo obſcuratus corruit. Quamobrem non ſe excuſavit dicens, ſe a muliere deceptum, aut ſeductum, ſed inquit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Contra Heva ſe a ſerpente deceptam clare fatetur. *Serpens decepit me, & comedi*. Non ergo Adam dixit: Mulier quam dediſti mihi, ſeduxit me, & manducavi: ſed reſpondit Deo interroganti: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Idque confirmat S. Paulus *I. ad Timoth.* II. his verbis. *Adam non eſt ſeductus; mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. Quæ omnia a propria & preſſe accepta ſeductione Adamum liberum declarant, iuxta Theologos, ſecus ab omni prorſus deceptione. Porro ſi error in Adam non fuit, ſi ille minime credidit vera eſſe quæ mendax diabolus futura ſpondebat: qua igitur via lapſus eſt? Reſpondet S. Auguſtinus *de Gen. ad lit. Lib. XI. cap.* XLII. his verbis. *Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuerit quod per ſerpentem dictum eſt, ideo Deum prohibuiſſe ne fructu ligni illius veſcerentur, quia ſciebat eos, ſi feciſſent, futuros ut deos propter dignoſcentiam boni & mali; tamquam hoc tantum bonum creaturæ ſuæ Creator inviderit: hoc mirum, ſi homo ſpiritali mente præditus credere potuiſſet*. Deinde poſt pauca ſic reſpondet. *Ita Salomon vir tantæ ſapientiæ numquidnam credendum eſt quod in ſimulacrorum cultu credidit eſſe aliquid utilitatis? Sed ſimulacrorum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit, faciens quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contriſtaret. Ita & Adam, poſteaquam de ligno prohibito ſeducta mulier manducavit, eique dedit, ut ſimul ederent, noluit eam contriſtare, quam credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab eius alienaretur animo, & omnino illa interire diſcordia: non quidem carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum legi mentis ſuæ; ſed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*.

IV. Quod primo parenti noſtro ſemel accidiſſe, in ſacris litteris legimus, frequenter evenire filiis videmus. Dæmonis mendacia, fraudes, commentitiam Deitatis ſimilitudinem, & cetera præſtigia Adam cognovit; ſed mulieris lenocinio, & benevolentiæ illicio captus in peccatum conſenſit. His faſciniis ſeductus quoque Salomon fuit. Quot præſertim Theologos, quot Dei miniſtros, qui nec ſunt ut Adam innocentes, nec ut Salomon ſapientes, ſimili arte humani generis hoſtis excantat, faſcinat, ſeducit? Cognoſcimus & nos evangelicæ legis celſitudinem, perfectionem, & ſanctitatem ſummam. Cognoſcimus nihil tam hoſtiliter cum huiuſce legis mandatis pugnare quam hodiernam mollem vitam, otio diffluentem, epulis, comeſſationibus, ludis vacantem, ſcenis, & comœdiis adſtantem, ſuperbam, ambitioſam, avaram, invidentem. Agnoſcimus, quemadmodum Adam, & Salomon; at iſtorum imitatores interiori elatione tumentes, ut habeamur

mur

Digitized by Google

mur magiſtri in Iſrael, ut frequentiam populorum nobis conciliemus, ut in Magnatum conſeſſu arbitri ſedeamus, mundique auram captemus, legis divinæ ſeveritatem quibuſdam pigmentis, exquiſita ſubtilitate quæſitis & fabricatis, delinire, & humanis appetitionibus accommodare non raro ſatagimus. Peccamus, dum hæc ipſa peragimus, quemadmodum Adam. Expreſſe ille non erravit, cum ab errore, qui culpæ fructus eſt, immunis fuerit ante peccatum. Peccavit ille, peccamus & nos, non tam mentis errore decepti, quam *amicabili benevolentia* victi. Peccamus obtentu non contriſtandi delicias cordis noſtri, & delicias cordium fratrum & ſororum noſtrarum. Acute, & ad miſericordiæ humanæ ſpeciem ſimilia formamus ratiocinia. Qui nimis ſtringit, emungit ſanguinem. Si ſeveram præceptorum obſervantiam exigamus, in deſperationem, omnium malorum peſſimam, detrudimus imbecilles animas, quæ avelli ab hodiernis moribus, & vivendi conſuetudine nequeunt. Occludi templa, & ſacra tribunalia deberent, ſi arcendi a ſacramentis eſſent Chriſtiani qui ludis, comœdiis, pompis, luxui, ceteriſque ſæculi moribus indulgent. Elatio interior, amicabilis benevolentia, ſtudium placendi, & occupandi prima ſubſellia, & eminendi, atque reſplendendi in huius mundi theatro fucis indicatis obduci ſolent.

V. Confirmari hæc omnia lubet teſtimonio piiſſimi, atque doctiſſimi P. Vincentii Contenſonii *Tom. I. Lib. IV. diſſ.* v. *cap.* 11 *ſpecul.* 3. ubi, poſtquam demonſtravit, primum peccatum Adæ fuiſſe ſuperbiam, hæc ſubdit. „ Heu quoties Confeſſarii erga ſeipſos rigidi, & auſteri, politico, & aſſentatorio obſequio lenimenta quærunt perverſis hominum cupiditatibus accommodata! Non intendunt „ corrumpere mores, ſed flexibilibus inſtitutis omnes ad ſe allicere. Hinc quoti- „ die novas normas; novas formas excogitant, teneras, molles, cereas, & in „ quamcumque velis formam ductiles; variiſque ſuavitatibus iter ſalutis levigatum, & cum vitæ deliciis copulatum oſtendunt: quia pœnitentes ſuos alienare, vel contriſtare vaniſſime timent. Quoties peccatoribus in eadem ſemper „ flagitia relabentibus, & repetitis ſpurcitiis validum vitiorum habitum contrahentibus abſolutionem minime differunt ad emendationem eorum explorandam, ne Dominus ille, Princeps iſte, Comitiſſa, vel Baroniſſa liberalis *ex* „ *amicis fiant inimici: & plerumque offenditur Deus*, quia ſemper redeunt ad „ vomitum, nullaque in eis vitæ in melius mutatæ veſtigia apparent. Solumque „ ad eos convertendos remedium foret firmitas Confeſſarii hos relapſos intrepide „ ab altaribus removentis. “

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Superbia, aliis ſtipata vitiis, primum peccatum fuit, quod e faſtigio felicitatis exturbavit humani generis protoparentes.

I. PLura perpetraſſe crimina cum Adamum, tum Hevam, convenit penes omnes, & oſtendit S. Thomas 2. 2. *quaeſt.* clxiii. *art.* 1. Peccavit Adam tum nimia erga Hevam uxorem ſuam complacentia, & indulgentia, tum inobedientia, divinum mandatum tranſgrediendo, tum gula, ſeu inordinata appetitione comedendi fructum & viſu pulcherrimum, & guſtu ſuaviſſimum. Hevæ quoque peccata plura fuerunt; nempe error, quo credidit vera eſſe quæ ſerpens ſuggeſſit; gula, qua & appetiit, & comedit fructum vetitum; inobedientia, qua violavit mandatum; ſcandalum, quo ad peccandum pellexit virum ſuum; & tandem falſa excuſatio, qua in ſerpentem peccatum reiecit. Quodnam horum criminum primum fuerit, unde cetera manarunt, Theologi diſputant.

II. Primum peccatum Adæ fuit ſuperbia, unde cetera crimina tamquam a radice profecta ſunt. Ita docent divinæ Scripturæ: nam *Eccleſ.* x. hæc habentur. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, receſſit cor eius: quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia*. Non minus luculenter idem adfirmatur *Tob. cap.* iv. ubi ſic alloquitur filium ſuum. *Superbiam numquam in tuo ſenſu dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. SS. Eccleſiæ Patres communi aſſenſu hanc veritatem confirmant. S. Auguſtinus *Lib. XIV. de civ. Dei cap.* xiii. hæc ſcribit. *Non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod potuit eſſe niſi ſuperbia?* Initium *enim* omnis peccati ſuperbia *eſt*. *Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium*. Similia docet in *Enchiridio cap.* xlv. ubi Adami crimina enumerans, primo loco ſuperbiam recenſet. *Nam & ſuperbia eſt illic: quia homo in ſua potius eſſe quam in Dei poteſtate dilexit*. Et tandem *Lib. XI. Gen. ad lit. cap.* xxxix. adducit verba quibus Deus Adamum deridens, & quibuſdam veluti iocis perſtringens, illi ſuperbiam exprobrat *Gen.* iii. his verbis. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*. Ad quæ verba hæc adiicit Auguſtinus. *Verba enim ſunt hæc Dei, non tam huic inſultantis, quam ceteros, ne ita ſuperbirent, deterrentis*. Utique Deus increpavit quoque Adamum: *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti* &c. quoniam reipſa peccavit etiam ni-

Digitized by Google

nimia erga uxorem complacentia. Sed nunc, quodnam fuerit primum illud peccatum, unde cetera conſecuta ſunt, inquirimus; & aſſerimus, fuiſſe ſuperbiam. Idque confirmat S. Ambroſius ſerm. XIV. in Pſalm. CXVIII. *Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus eſt, ſolemus amittere.*

III. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXIII. *art.* I. de more validiſſima ratione non modo evincit primum peccatum Adæ fuiſſe ſuperbiam, verum etiam non potuiſſe aliud eſſe præter ſuperbiam: quandoquidem inquit: *Non amittitur corporis ſanctitas, manente animæ ſanctitate. Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem quam in id quod quæritur propter finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit eſſe primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in ſtatu innocentiæ inſtitutus, ut nulla eſset rebellio carnis ad ſpiritum. Unde non potuit eſſe prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appetierit aliquod ſenſibile bonum, in quod carnis concupiſcentia tendit, præter ordinem rationis. Relinquitur igitur quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc quod aliquod bonum ſpirituale inordinate appetiit .... Unde manifeſtum eſt quod primum peccatum primi hominis fuit ſuperbia.* Bonum porro ſpirituale quod appetiit Adam, non potuit eſſe terminus, ſeu obiectum ſuperbiæ, niſi quatenus in eius amore ſervata menſura non eſt quam divina regula præſtituit; ſed ea contempta, reiectoque omni limite, concupitum bonum ſpirituale fuit. Huiuſce vero ſuperbiæ obiectum fuiſſe quamdam Dei ſimilitudinem, Theologi aſſerunt, non omnimodam cum Deo æqualitatem: tam ſtulta enim cogitatio haud cadere in Adæ mentem poterat: ſed proprium bonum præter confinia & menſuram a Deo præfinitam appetiit.

IV. Hanc S. Thomæ ſententiam, ex Scripturis ſanctis, & Patribus hauſtam, defendunt communiter Theologi adverſus Scotum, qui cum pluribus aliis oppoſitum ſuſtinet. Quoniam vero controverſiam hanc ex profeſſo ego non diſcutio, ſed obiter tantum, & quatenus meo inſtituto deſervit; idcirco nec quæ obiici ſolent, diluo, nec ſuſius rationes urgeo. Sat mihi in præſentia eſt, malorum quibus humana natura laborat, radicem, & principium pateſeciſſe, ut heinc, quæ curandæ infirmitati medicina ſit applicanda, conſtet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De peccato originali Adami in poſteros transfuſo. Paucis Pelagianorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum errores perſtringuntur, & catholica veritas exponitur.

I. EO non ſpectat diſputatio mea ut graviſſimas de peccato originali controverſias diſpiciam; ſed pauca tantum brevi calamo delibabo, quæ ſcopo mihi præſtituto deſerviunt. Primum qui ſemina hæreſis Pelagianæ contra peccatum originale poſuit, fuiſſe Rufinum, contendunt plures, quorum alii Syrum, alii Aquileienſem volunt. Verum utut de hoc ſit, illud fatentur omnes, Pelagium primum omnium aperte negaſſe peccatum originale, quem ſecuti ſunt eius diſcipuli, Celeſtius, & Iulianus. Tam difficilia argumenta Pelagii reputavit S. Auguſtinus, ut *Lib. III. de peccat. merit. cap.* IV. hæc ſcripſerit. *Ego autem, etſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum eſse iis quæ in Scripturis ſunt apertiſſima, ut ex his revelentur obſcura; aut, ſi mens nondum eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inveſtigare, ſine ulla hæſitatione credantur.* Huc cogitationes ſuas convertant illi qui omnia mentis ſuæ acie definire, componere, attemperare contendunt. Ingeniorum Aquila Auguſtinus ſe imparem ad diluenda argumenta Pelagii contra peccati originalis propagationem aperte faſſus eſt. At non propterea minus firmus & conſtans fuit in dogmate catholico propugnando. Contra multi qui conciliare ſtudent cum efficacitate divinæ gratiæ libertatis humanæ indifferentiam, novas concordias, nova comminiſcuntur ſyſtemata, atque non a Deo, ſed a libera voluntate eiuſdem gratiæ efficacem vim proficiſci contendunt. Pelagius lædi & ipſe effutiebat libertatem, ſi a Deo applicaretur ad agendum. Ignorantiam quamlibet, ſive vincibilem, ſive invincibilem, & oblivionem negavit eſſe peccata ex libertatis defectu. Qui actualem advertentiam ad peccandum requirunt, an ignorantiæ peccatum de medio tollant, an vel nolentes in errorem ex parte ſaltem recidant Pelagianorum, mea non intereſt diſcutere. Solum ex S. Auguſtini documento colligo, in iis quæ mentis noſtræ aciem fugiunt, faſces ſubmittendos eſſe Patrum noſtrorum auctoritati; & ob difficultates, quæ negotium nobis faceſſunt, non eſſe apertiſſima Scripturarum teſtimonia, & antiquam Eccleſiæ doctrinam deſerendam.

II. In aliud extremum directe oppoſitum lapſi ſunt novatores, Lutherus, & Calvinus, qui contra Pelagium peccatum originale confitentes, docent per hoc pec-

Digitized by Google

peccatum originale penitus extinctum eſſe liberum arbitrium in genere moris; atque adeo homines peccato originali vulneratos neceſſario operari.

III. Adverſus Pelagianorum errorem catholica fides docet, peccatum originale Adæ poſteros contrahere. David *Pſalm.* l. inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* S. Paulus ad *Rom.* v. ait: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

IV. Peccatum originale, quod, teſte Apoſtolo, in omnes filios Adæ transfunditur, vere & proprie peccatum eſt, ut definitum fuit & in Concilio Arauſicano II. *can.* II. & in Tridentino *ſeſs.* v. *can.* II. ubi anathema in eum dicitur qui aſſeruerit, Adamum *mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſse, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; cum contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum* &c. Rurſus idem Concilium *can.* IV. anathema vibrat in eum qui aſſeruerit, parvulos *nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſse ſit expiari ad vitam æternam conſequendam: unde ſit conſequens ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur: quoniam non aliter intelligendum eſt id quod dixit Apoſtolus: Per unum hominem* &c. Tandem ſub finem decreti, ſeu *can.* v. concludit: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema ſit.* Quibus verbis aperte declarat peccatum, quod baptiſmate deletur, *veram & propriam peccati rationem* habere.

V. Explicandum nunc eſſet; quomodo peccatum iſtud originale voluntarium dicatur, & per generationem traducatur in Adæ poſteros. Verum hæc, & plura alia, quæ de hoc peccato dicenda eſſent, exponentur, cum ex inſtituto de peccato originali diſputabitur. In præſens enim ea tantum de hoc peccato exponere conſilium eſt quæ infirmitatum noſtrarum principia & radices oſtendunt. Pauca autem quæ curſim delibavi, id ſatis manifeſtant.

VI. Errorem Lutheri, & Calvini profligarunt cum Leo X. in ſua Bulla contra Lutherum, tum Concilium Tridentinum *ſeſs.* VI. *can.* V. his verbis. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam; anathema ſit.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Effectus peccati originalis cum in intellectu, tum in voluntate, & appetitu ſenſitivo.

I. PAucis hactenus principium & radicem, unde humanæ naturæ noſtræ morbus proficiſcitur, indicavi. Nunc infirmitatis noſtræ gravitas, qualitas, vulnera, & cetera omnia quæ illam comitantur, exponenda ſunt; ut quanta ſit & mentis noſtræ vis ad veritatem cognoſcendam, & voluntatis ad bonum operandum, palam fiat. Huc enim ſpectat tota hæc noſtra prima diſſertatio.

II. Ne autem plus iuſto infirmitatem noſtram exaggerare videar, præmoneo, naturam noſtram, nempe intellectum, & voluntatem, & appetitum ſenſitivum ntrinſecus non corrumpi, nec entitative, ut dicitur, minui: quoniam nihil phyſici a facultatibus noſtris ademptum eſt. Quamobrem Patres dicunt, *naturalia in dæmonibus integra permanſiſſe*. Similiter certum eſt, per peccatum ſive originale, ſive actuale non extingui penitus inclinationem ad bonum honeſtum, nec omnes virtutum radices evelli. Ipſi quippe Philoſophi, præſertim M. Tullius in *Tuſcul. & de finibus* in fundo humanæ naturæ ſparſa & inſita virtutum ſemina agnovere. Rationalitatem enim, quæ per peccatum deſtructa non eſt, conſequitur ad bonum honeſtum propenſio. Quam doctrinam perſpicue S. Thomas *in II. diſt.* xxx. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 3. tradidit. *Bona naturalia dicuntur dupliciter. Vel prout ſunt in ſe conſiderata, ſecundum quod naturæ debentur ex propriis principiis; & ſic nec homo, nec Angelus aliquid naturalium amiſit, vel in aliquo diminutus eſt ... Vel ſecundum quod ordinantur in finem ultimum; & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta ſunt, non quidem penitus amiſſa, inquantum uterque factus eſt minus habilis, & magis diſtans a finis conſecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis ſpoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus.* Quæ omnia adumbrantur *Luc.* x. in homine illo qui ab Ieruſalem deſcendens in Ierico incidit in latrones, a quibus non modo bonis ſpoliatus, verum etiam ſemivivus relictus fuit: in qua parabola Adamum repræſentari teſtantur Patres omnes. Ut autem, confuſione ſublata, peccati originalis funeſtos effectus, conſectaria, & pœnas recenſeam, hunc ſervabo ordinem.

III. *Primus* peccati originalis *effectus*, ſeu pœna eſt privatio iuſtitiæ originalis, qua anima Deo uſquequaque ſubiecta, ipſa ſimul dominabatur in omnes facultates inferiores, quæ erigere cervices contra rationis imperium minime audebant. Corpus ipſum ad nutum voluntati obſequebatur, ex cuius regimine robuſtæ ſanitatis, & immortalitatis vigorem accipiebat. Hac diſſoluta concinna harmo-

monia, hoc excuſſo iugo, omnia perturbata, & inteſtino paſſionum tumultu; pertinacique rebellione anima obſeſſa remanſit.

IV. *Secundus effectus* mentis ignorantia, quam inter omnia contractæ infirmitatis vulnera ſi dixero principem tenere locum, non abludam a vero. Idcirco hæc perſpicue, & fuſius explicanda. Quatuor intellectum noſtrum vulneratum plagis docet Auguſtinus. Et primo ipſarum rerum, quæ conſervandæ vitæ neceſſariæ ſunt, ignorantia obducta mens noſtra eſt, inquit S. Doctor *Lib. I. de peccat. merit. & remiſs. cap.* XXXVIII. ubi ait: *Pulli, quamvis ſint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutiſſimi & currunt, & matres agnoſcunt, nec ſugendis uberibus cura & ope admoventur aliena, ſed ea ipſi in maternis corporibus loco abdito poſita mirabili facilitate noverunt. Contra, homini nato nec ad inceſſum pedes idonei, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles, & niſi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi ſint, ſentiunt, & iuxta ſe iacentibus mammis magis poſſunt eſurientes flere quam ſugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis: nec fuiſſet caro Chriſti in ſimilitudine carnis peccati, niſi caro eſſet iſta peccati, cuius pondere rationalis anima ſic gravatur.* Hanc ignorantiam in adultis fuſius explicat *Lib. de nat. & grat. cap.* LXVII. Alterum vulnus eſt hebetudo, & fatuitas mentis, quæ aliquibus a nativitate ita hæret, ut neque ea diſcernere valeant quæ ſibi aut convenientia, aut noxia ſunt. Quam calamitatem nulli animantium communem explicat Auguſtinus *epiſ.* XXVIII. *cap.* IV. inquiens: *Tam tardi nonnulli ſunt, & obliviosi, ut ne prima quidem diſcere litterarum elementa potuerint. Quidam vero tantæ ſunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant.* Platonici, qui peccati originalis arcanum ignorabant, hæc ob prioris vitæ flagitia, quæ animas, antequam cum hoc corpore iungerentur, perpetraſſe fabulabantur, evenire contendebant. Quem errorem refutat Auguſtinus *Lib. I. de pecc. mer. cap.* XXII. Iulianum Pelagianum vero *Lib. IV. oper. imperf. cap.* LXXV. & LXXVI. his verbis ad incitas redigit. *Dic potius, ſi potes, unde humana ingenia cum tanta plerumque vitioſitate naſcantur, cum inter nos conveniat totius hominis eſſe opificem Deum iuſtum, & vos negatis ullum originale peccatum? Non autem diceres aliorum peccata nos aliis imputare, qui ibi, quando commiſſa ſunt, non fuerunt, ſi recoleres, in lumbis Abrahæ fuiſſe Levi .... Ibi enim videres, ſi te pervicacia non cæcaret, in lumbis Adæ fuiſſe genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum.* Difficultas illa ingens ſcientias comparandi tertio loco mentem noſtram torquet. Quot in tenebris ignorantiæ iacent, ne acquirendarum ſcientiarum moleſtiam, tædiumque perferant? Quid quod illi ipſi qui acumine ingenii præditi, & docti, eruditique habentur, ut Ethnicorum Philoſophi, cæcutiunt vel cir-

Digitized by Google

circa ipſius Dei naturam ? ut colligere licet ex libro M. Tullii *de natur. deor.* Quid quod vel unius pulicis naturam, membrorum ſtructuram & artificium comprehendere humanum ingenium nequit ? Quid quod quæ intra nos ſunt, ſeu noſmetipſos ignoramus, & ſæpe an peccaverimus nec ne, diſcernere minime valemus ? Quamobrem clamat Propheta Regius : *Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me. Ignorantias meas ne memineris*. Quartum denique mentis vulnus eſt illa evagatio, inconſtantia, levitas, qua veluti plantarum folia in utramque partem volvimur, rapimurque. Deum oraturi accedimus, firmiter conſtituimus nihil ibi niſi divina attributa, & altiſſima redemptionis noſtræ myſteria contemplari, noſtrumque ſalutis æternæ negotium tractare : & continuo alio vel inviti abſtrahimur, & ſæpe in rebus vaniſſimis, in luto turpium cogitationum, in rebus quæ, ſi paterent, magno nos ſuffunderent pudore, detinemur. Quæ omnia deſcribit Hieronymus in *dial. adverſus Luciferianos* illa ipſa enarrans quæ patiebatur. *Nunc vero creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.*

V. Undique ergo mens noſtra offuſa tenebris eſt. Heinc innumera illa opinionum multitudo, atque ſententiarum varietas, non de rebus nihili tantum, verum etiam de ipſa actionum noſtrarum turpitudine, aut honeſtate. Quæ mihi vera, tibi falſa; quæ illi probabilia, tibi improbabilia ; quæ mihi certa, illi dubia ſunt. Unde tanta ingeniorum diverſitas, tanta ſententiarum varietas, tanta diſputationum pugna, tanta tenebrarum caligo ? Omnia hæc ex prima illa graviſſima culpa. Ne tamen deſperatione angaris, dum in hac tenebrarum ærumnoſa valle te incluſum vides, ſurſum oculos intende, unde cæleſtes divini radii affulgent ad illuminandas gentes omnes. Depicta ignorantia, quatenus neſcientia eſt veritatis, pœna eſt; prout autem voluntarium admixtum habet, vitium contrahit plus minuſve iuxta maiorem aut minorem libertatem qua oculi clauduntur luci cæleſti. Quandoquidem Deus qua voluntate vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, eadem illuſtrationes immittit, quibus tenebræ iſtæ diſſipentur. Sed ingens hominum multitudo huic divinæ luci oculos claudit, ut fatuo humanarum ratiuncularum lumini aperiat. Supremus humani generis ſator, & rector lumen infundit, quo ea omnia cognoſcantur quæ omnino ad æternam comparandam ſalutem ſunt neceſſaria. Quare iuris naturalis ignorantiam invincibilem reiiciemus infra.

VI. *Tertius effectus* peccati originalis eſt voluntatis inordinatus amor, quo erga proprium bonum ardet. Ex hoc perverſo amore, & iniqua cupiditate omnia mala proficiſcuntur, quæ S. Auguſtinus deſcribit *Lib. XXII. de civ. Dei cap.* XXII. Pauca tranſcribam. *Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignoran-*

Digitized by Google

rantiæ , ex qua omnis error exiſtit , qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit , ut homo ab illo liberari ſine labore , dolore , timore non poſſit ? Quid amor ipſe tot rerum vanarum , atque noxiarum , & ex hoc mordaces curæ , perturbationes , mœrores , formidines , inſana gaudia , diſcordiæ , lites , bella , inſidiæ , iracundiæ , inimicitiæ , fallacia , adulatio , fraus , furtum , rapina , perfidia , ſuperbia , ambitio , invidentia , homicidia , parricidia , crudelitas , ſævitia , nequitia , luxuria , petulantia , impudentia , impudicitia , fornicationes , adulteria , inceſta , & contra naturam utriuſque ſexus tot ſtupra atque immunditiæ , quas turpe eſt etiam dicere , ſacrilegia , hæreſes , blaſphemiæ , periuria , oppreſſiones innocentium , calumniæ , circumventiones , prævaricationes , falſa teſtimonia , iniqua iudicia , violentia , latrocinia , & quidquid talium malorum in mentem non venit , & tamen de vita hominum non recedit ? Verum hæc hominum ſunt malorum , ab illa tamen erroris , & perverſi amoris radice venientia , cum qua omnis filius Adam naſcitur . Nam quis ignorat , cum quanta ignorantia veritatis , quæ etiam in infantibus manifeſta eſt , & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis , quæ in pueris incipit apparere , homo veniat in hanc vitam ; ita ut ſi dimittatur vivere ut velit , & facere quidquid velit , in hæc facinora , & flagitia quæ commemoravi , & quæ commemorare non potui , vel cuncta , vel multa perveniat ? Præter hæc omnia inteſtinum bellum voluntatis contra voluntatem . Hæc , quaſi diviſa eſſet in factiones duas , pugnat contra ſeipſam , machinatur , & ruinam ſibi parat . Nunc vult , nunc non vult ; modo odit , modo amat , pugnantium affectuum pondere preſſa , ut idem S. Auguſtinus *Lib. VIII. Conf. cap.* x. de ſe ipſo fatetur . *Ego cum deliberabam ut iam ſervirem Domino Deo meo , ſicut diu diſpoſueram , ego eram qui volebam , ego qui nolebam , ego ego eram . Nec plene volebam , nec plene nolebam : ideo mecum contendebam , & diſſipabar a me ipſo . Et ipſa quidem diſſipatio me invito fiebat ; nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ , ſed pœnam meæ . Et ideo iam non ego operabar illam , ſed quod habitabat in me peccatum de ſupplicio liberioris peccati , quia eram filius Adam .*

VII. *Quartus effectus* libido eſt , & amor voluptatis in parte ſenſitiva . Hæc eſt profunda plaga ex peccato originali relicta , quæ ultimos receſſus , & occultiores humani cordis latebras penetrat , quæ naturæ ordinem invertit & perturbat . Præſtitutus naturæ ordo poſtulat ut inferiora ſuperioribus pareant , ſenſus & appetitiones rationi , ratio Deo . Exturbata de ſolio ratione per primum Adæ peccatum , ſenſitiva factio tyrannidem uſurpavit . Quam rebellionem Tridentinum Concilium *ſeſs.* v. pœnam peccati , & S. Paulus peccatum appellat , quatenus *ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat* . Hæc ſenſitiva pars in concupiſcibilem , & iraſcibilem dividitur . Hi duo ſunt hoſtes intimi , & domeſtici ; quorum inſidias , moleſtias , inſultus , dolos , molimina perferre , uſque dum peregrinamur

Digitized by Google

a Domino, cogimur. E domo cordis noſtri pellere illos haudquaquam valemus; ſed contra eorum machinationes, & aggreſſus vigilandum, præliandum, vincendumque, ſi bravium conſequi volumus. Superare, divina adiuvante gratia, & profligare illos, minime vero expellere, aut deſtruere poſſumus. Militia quippe perpetua in hoc mundo eſt vita noſtra: & hi ſunt hoſtes quibuſcum dimicandum ſtrenue nobis eſt. Colaphos a concupiſcentia ſua patiebatur S. Paulus, ut *Rom.* VII. narrat. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Luctam hanc, & inteſtinum bellum Sancti omnes experti ſunt, cuius victoria præmium aſſecuti ſunt æternum. S. Bernardus *ſer.* III. *in* VI. *Dom. Pent.* hæc ſcribit. *Primus continentiæ noſtræ hoſtis caro eſt adverſus ſpiritum concupiſcens. Quam domeſticus hoſtis, quam perioloſa lucta, quam inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus, o anima mea, nec fugare: circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis. Nam (quod periculoſius eſt, & miſerabilius) hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet.*

VIII. Quænam ex his duabus ſenſitivæ partis appetitionibus prævaleat, quænam rationi ſuperiori infeſtior, quænam fraudulentior? Concupiſcibilem prævalere iraſcibili, cladeſque maiores animæ inferre, docet S. Thomas *quæſt.* IV. *de malo art.* 2. *ad* 12. propter duo. *Primo quidem quia omnes paſſiones iraſcibilis ab amore oriuntur, qui eſt in concupiſcibili, & ad gaudium, vel triſtitiam terminantur, quæ ſunt etiam in concupiſcibili: unde & communiter tam motus concupiſcibilis, quam iraſcibilis, concupiſcentia dici poteſt. Secundo quia peccatum originale traducitur per actum generationis, in quo maxime eſt delectatio, circa quam apparet inordinatio concupiſcibilis. Unde concupiſcibilis dicitur non ſolum corrupta, ſed etiam infecta, inquantum per huiuſmodi actum traducitur peccatum originale.*

IX. *Quintus effectus* difficultas recti, mors, & innumeræ calamitates. Ex concupiſcentia voluptatum, & illecebrarum enervatur inclinatio in bonum rationis, & magnam experitur voluntas difficultatem, ut rectum honeſtumque aſſequatur. AErumnarum ſtragem, quæ peccatum conſequitur, deſcribit S. Auguſtinus *Lib. IV. contr. Iulian. cap.* XVI. ubi hæc habet. *Ecce circumſtat ſenſus tuos miſeria generis humani. Homo es, humani nihil a te alienum puta: & in iis quæ non pateris, compatere patientibus. Quamvis & ipſe, quantalibet felicitate præpolleas, nullum ſine bello inteſtino diem ducis; ſi tamen quod profiteris, implere conaris. Sed in iis quæ meminiſſe iam non potes, parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus creſcant. Deinde iam grandes etiam Deo ſervientes tentat error, ut decipiat; tentat la-*

Digitized by Google

labor, aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mœror, ut ſternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia feſtinanter, quibus gravatur iugum ſuper filios Adam? Huius evidentia miſeriæ gentium Philoſophos, nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes, ſive credentes, compulit dicere, ob aliqua ſcelera, ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſa nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus eo ſupplicio, quo Hetruſci prædones captos affigere conſueverant, tamquam vivos cum mortuis eſſe coniunctos. Apoſtolus autem amputat opinionem, qua creduntur ſingulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diverſis corporibus inſeri. Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati? Sed quia nec iniuſtus, nec impotens eſt Deus, reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quod grave iugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet. Quibus verbis finem imponit libro quarto contra Iulianum.

X. Innumeræ aliæ ſunt pœnæ, & calamitates quæ peccatum originale conſequuntur; ſed quæ paucis perſtrictæ ſunt, ſatis indicant naturæ humanæ infirmitatem, vulnera, plagas, & ærumnoſam miſerandamque conditionem. Idcirco ab aliis recenſendis effectibus, & pœnis abſtineo.

XI. Illud te nunc monere intereſt, peccatum actuale animam delinquentis interimere, atque vulnera eis ſimilia quibus peccatum originale univerſam ſauciavit naturam, menti, & voluntati infligere. Quodlibet crimen mortale vulnera originalis culpæ refricat, concupiſcentiam inflammat, rebellionem firmat, mentis tenebras obſcuriores efficit, voluntatis vires extenuat, libertatis captivitatem novis vinculis obſtringit. Quodlibet letale ſcelus quædam truculenta peſtis eſt, quæ animam ipſam corrumpit, ignis qui omnium virtutum ornamenta incendit, & tragicam omnium malorum cladem inducit. Quæ omnia parva ſunt, ſi cum offenſa atque infinita iniuria conferas quam Dei maieſtati irrogat. Sed non eſt huius inſtituti actualis culpæ malitiam, pravoſque effectus deſcribere. Satis ſit innuiſſe, eam, proportione ſervata, letale crimen malorum ſtragem in perſonam peccantis derivare quam originale ſcelus in univerſam naturam humanam induxit.

XI. Ex his quæ dicta ſunt, colligas velim, quam monſtroſus ſit titulus illius operis inſcripti, *De privilegiis ignorantiæ*. Si titulus eſſet *De privilegiis peccati originalis*, omnium aures offenderet, horrorem, & ſcandalum incuteret. Et tamen reipſa eiuſmodi eſt præfatus titulus: ſiquidem ignorantia unus eſt, & quidem graviſſimus peccati originalis effectus.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quam ſint intellectus, & voluntatis humanæ, ſeu liberi arbitrii ad verum, & bonum infirmæ vires Extinctæ tamen non ſunt, ut contendunt Lutherus, Calvinus, & Janſenius. Et verum cognoſcere, & bonum aliquod honeſtum morale operari homines etiam infideles valent.

I. Tragicam infirmitatis noſtræ picturam levi penicillo depinxi, ut lector in eam oculos, & ſerias mentis cogitationes intendat. Seria iſtius picturæ contemplatio ſaluberrima eſt, utpote quæ humilitatis virtutem excitat, quæ implorandi divini auxilii, quæ parum fidendi humanis ratiunculis, quæ doctrinæ divinitus revelatæ neceſſitatem evincit. Quam ſint ſive intellectus ad cognoſcendum verum, ſive voluntatis ad bonum operandum exiles vires, ex iis quæ dicta ſunt, manifeſte patet. Et quoniam ignorantia omnium vitiorum fons eſt & mater, ut hanc potiſſimum depellamus conandum eſt. Ignorantiæ iſtius caligo, quam pœnam peccati diximus, tum cæleſti lumine, tum induſtria, & diligentia noſtra diſſipatur. Non ceſſat clementiſſimus luminum Pater ſuæ lucis radios ſuper vultus filiorum hominum effundere; ſed homines magna in parte ignorantiam, quam ex matris utero ſecum deferunt, non modo labore, induſtria, & ſtudio expellere, ſed otio, ſocordia, & flagitiorum perpetratione fovere, atque craſſiorem efficere ſatagunt. Incredibiles labores, moleſtias, incommoda patiuntur, pericula extrema ſubeunt, ut divitias, & bona, quibus ſenſus demulceant, & appetitiones expleant, ſibi comparent. In artibus addiſcendis deſudant, in veritatis inquiſitione torpent, otioque diffluunt, & uſquequaque tenebrarum caligine circumfunduntur. Voluntas, quæ cæca facultas vocatur, a rationis lumine regitur. Si obſcurum lumen iſtud eſt, voluntas errabunda per anfractus & præcipitia divagatur. Hæc affectuum pravitate gravata in corporeas irruit voluptates, & quodam inteſtino lenocinio mentem ſecum rapit, ut bonitatis colore depingat quidquid ipſa impotenter deperit. Mutua confœderatione in propriam conſpirant ruinam.

II. Si, miſſis rationibus a peccato tum originali, tum actuali arceſſitis, experientiam conſulamus, ſpiſſæ, & funeſtiſſimæ ignorantiæ tenebræ, quæ humanum genus operiunt, cuique ſuperiori lumine illuſtrato occurrunt. Si univerſum hunc terrarum orbem cogitatione percurramus, quæ in religionis negotio deliria, quæ portenta, quæ monſtra in qualibet trium mundi partium provincia & regno non offendimus? Una eſt vera religio, unicus Deus colendus: & tamen tot numina effin-

effinxere homines, ut inter deos non homines modo ſceleſtos, impios, infames veneratione proſecuti ſint; ſed brutis etiam, bobus, vaccis, vitulis, immo lapidibus, & cæpis thus adoleverint. Dum hæc ſerio nobiſcum reputamus, in admirationem defixi vix noſmetipſos cohibere poſſumus, quin exclamemus: Ecquodnam hominum genus iſtud, talia numina adorans? Et tamen cæcitas iſta occupavit ſapientiores & eruditiores tot regnorum, tot nationum Philoſophos, & Sacerdotes qui tanta fuerunt in rerum naturalium pandendis arcanis ſcientia ornati, ut illorum auctoritatem nos ipſi magnifaciamus. Sed ab Africa, America, Aſia ad cultiſſimam Europæ gentem oculos convertamus. Quot hic religionum ſectæ, quæ factiones, quæ diſſidia? Quid, ſi ad ſolam gentem ſanctam, regale ſacerdotium, genus electum, populum dico catholicum, cogitationes noſtras reſtringamus? Continuo ac iſti divinæ fidei confinia tranſiliunt, & de iis diſputationis certamina ineunt quæ in utramque controverti partem, divina fide ſalva, poſſunt, quæ inter illos unitas, quæ conſenſio, quæ harmonia? Non ſecus iſti mutuo, dum propriæ humanæ rationi indulgent, ac infideles in religionis myſteriis, diſſident, pugnant, digladiantur. Scholæ contra ſcholas, cœtus contra cœtus, Religiones contra Religiones, domus contra domum, Conventus contra Conventum vociferantur, & Theologia unius cellæ pugnat cum alterius cellæ Theologia. Quiſque a ſe veritatem ſtare contendit; & cum veritas una ſit, omnes præter unam ſolam factiones per errorum abrupta & tenebrarum chaos obambulant.

III. Verum ad id quod caput eſt, accedamus. Naturæ humanæ morbos, vulnera, & infelicem ſtatum paucis perſtrinxi. Quorſum hæc omnia? Ut infirmos in deſperationem adigerem? Abſit. Huc tendunt conatus mei, ut lectores cognita, qua laborant, infirmitate expergefacti, ſeduli ſint & vigiles in adhibendis quæ opportuna ſunt ad vulnera ſananda remediis infra aſſignandis. Neque enim infirmitas noſtra, tametſi graviſſima, & profundis vulneribus circumſepta, deſperata eſt. Obſcurata mens noſtra eſt, extenuata voluntas, inteſtinum paſſionum noſtrarum bellum implacabile, obfirmata carnis ſenſuumque rebellio, diminutum illud arbitrii imperium, cui olim omnia inferiora ad nutum parebant. Verum enimvero e ſolio exturbatus penitus non eſt principatus arbitrii noſtri, ut crocitant Lutherus, Calvinus, Ianſenius cum aſſeclis ſuis. Iſtorum dementiam miſerandum in modum lugendam redarguunt Ethnicorum Philoſophi luculentiſſime, & extremo illorum pudore. Hi ſiquidem in ſplendidiſſimæ & unicæ veræ religionis ſinu concepti, nati, adulti, educati, & uſquequaque divina luce circumfuſi veritates illas oppugnarunt pro quibus vindicandis Ethnici ipſi in tenebris infidelitatis caligantes ſtilum armarunt. Audiant iſti Senecam epiſt. xcv. *Omnium honeſtarum rerum ſemina animi noſtri gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter quam ſcintilla flatu levi adiuta ignem ſuum explicat.* Audiant Ciceronem *Lib. III. Tuſcul.* inquientem: *Sunt*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum : quæ ſi adoleſcere liceret , ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret .

IV. P. Dominicus Soto, egregius ſane Theologus, *Lib. I. de nat. & grat.* explicatis variis naturæ noſtræ, integræ, innocentis, & lapſæ, ſtatibus, duas graviſſimas quæſtiones ampla eruditione diſpicit *cap.* XVIII. *& ſeq.* de poteſtate nempe liberi arbitrii noſtri poſt primi parentis lapſum ad bonum morale operandum. Lutherus, Calvinus, Ianſenius, ut ſibi conſtent, erroribus errores agglomerant. E ſolio penitus detruſo, & in nihilum redacto libero humanæ voluntatis arbitrio, ad tyrannicum imperium evexerunt vitiatam concupiſcentiam, quæ ſuprema & abſoluta poteſtate omnium affectuum noſtrorum tumultuantem turbam, immo & voluntatem ipſam humanam ad nutum regit, opprimit, & quo ipſa impotenter tendit, ſecum eam abripit. Porro ſi radix mala, inquiunt, fructus quoque mali ſint neceſſum eſt. Concupiſcentia carnalis, delectatio libidinoſa veluti regina in throno dominatur. Ergo omnia peccatorum hominum, ſive infidelium, ſive fidelium, opera vitioſa & criminoſa ſunt. Neque hæc deliria ſolus ſomniavit Lutherus; ſed Proteſtantes ipſi in Confeſſionis Auguſtanæ apologia hæc docent. *Falſum eſt & hoc, & contumelioſum in Chriſtum, quod non peccent homines facientes præcepta Dei ſine gratia . . . Vere peccant homines , etiam cum honeſta opera faciunt ſine Spiritu ſancto, quia faciunt ea impio corde, iuxta illud : Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt.* Appoſite clamat P. Dominicus Soto loc. cit. *Profecto ſi natura humana figmentum eſſet cacodæmonum, non peius de illa iſti obloquerentur.*

V. Lutheri, Calvini, & Ianſenii ſyſtema ſua fatuitate corruit. Et primo, ſi de homine chriſtiano ſermo ſit, in quo macula originalis culpæ ſacro lavacro abluta eſt, patet, quam ſit monſtroſum illorum commentum, quo peccatum in Chriſtiano regenito eſſe concupiſcentiam effutiunt. Pluribus capitibus iſtorum errorem convellit laudatus *Soto*. Peccatum vero originale, quod eſt in infidelibus, nequit inficere opera quæ ex illo non prodeunt; quemadmodum unum peccatum actuale, puta odii, non influit in peccatum adulterii. Præterea peccatum originale non eſt actuale. Nullo ergo modo inficere alia opera valet, quæ neque natura ſua, neque ex prava operantis intentione mala ſunt. Homo infidelis in ſudore vultus ſui panem acquirit, ut alat ſe, uxorem, familiam: egenis erogat, obedit patri, commiſeretur fratris, cuſtodit iuſtitiam, tuetur patriam, non ex Dei odio, non ex aliqua perverſa intentione, ſed honeſtate rationis ductus. Unde hæc opera peccata dici queunt? Ex infecta concupiſcentia? At homo non ſola concupiſcentia conſtat; ſed ratio potiſſima eſt quæ in illo ſplendet. Peccatum originale transſmutavit ne hominem in brutum? Delevit ne rationis principia? Sicuti ergo quando ex concupiſcentia prævalente operatur, peccat, quia a ratione recedit; ita e contrario, quando iuxta regulas rationis, concupiſentia cohibita, agit, officia honeſta exercet,

Digitized by Google

cet. Peccatum originale ſupernaturalia omnia ſurripuit. Quare dum homo pecca-to mortali, ſive originali, ſive actuali, infectus eſt, nullum edere opus valet æter-na vita dignum. At inter hæc ſupernaturalia opera, & peccata, media ſunt ope-ra moralia ordinis naturalis, quæ ab homine ratione prædito manant. Argumen-ta Lutheri, Calvini, & Ianſenii ex Scripturis, & S. Auguſtino repetita, nullius momenti ſunt. Utique gratia ſecundum merita non datur. Neque aliquis Catholi-corum umquam dixit, bona hæc opera moralia mereri aliquo modo gratiam. Vel ipſum meritum de congruo, quod aliqui pauci admittunt, reiiciunt alii; quamvis meritum iſtud improprium ſit, quacumque ratione iuſtitiæ excluſa. Quæ ex aliis Scripturis opponunt, ſoluta, & convulſa penitus ſunt non modo a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* x. antequam ex orco in mundum revocaretur Lutherana hæreſis, ſed a quo-cumque etiam Theologo catholico.

VI. Reiecto Lutheranorum errore, quem Calvinus, & Ianſenius adoptarunt, diſpu-tat P. Dominicus Soto *cap.* xix. adverſus Gregorium Ariminenſem, negantem aliquod opus moraliter bonum edi ab homine peccatore poſſe abſque ſpeciali auxilio Dei. Hanc opinionem, veluti peregrinam, & ab ipſo Gregorio invectam, novitatis P. Soto accuſat, inquiens: „Ante Gregorium Ariminenſem neminem legiſſe memini, „ qui, quantum iudicio aſſequi poſſum, negare hoc cogitaverit, poſſe nimirum ho-„ minem, dum eſt in peccato, ſuapte natura, citra ſpecialem ſuccurſum Dei cum „ noſſe, tum etiam velle, & exequi officium aliquod naturali honeſtate præditum. " Tempore ergo Dominici Soto Theologorum nemo, præter Gregorium Ariminen-ſem, præfatam opinionem defendebat. Quare Soto omni argumentorum genere, & potiſſimum auctoritate SS. Auguſtini, & Thomæ, quos pro ſe ſtare contendebat Gregorius Ariminenſis, evincit, & intellectum aliquod verum cognoſcere, & volun-tatem aliquod bonum velle poſſe abſque ſpeciali Dei auxilio. Quoniam homo, cum ſit rationale animal, ea quæ rationi, ſeu naturæ ſuæ conſona ſunt, operari valet quemadmodum cetera agentia omnia. Peccatum autem Adæ iuſtitiam origi-nalem, & cetera quæ illam perornabant, ſupernaturalia dona abſtulit: læſit quo-que nos in naturalibus ipſis; & ideo nec omne verum cognoſcere, nec omne bo-num velle cum ſolo generali auxilio valemus. Verum naturam noſtram non de-ſtruxit: naturalia læſit, non ſurripuit. Vivit enim, tametſi vulneratum, arbi-trium liberum. Ergo aliquod bonum rationis ſibi proportionatum velle poteſt.

VII. Concedit hoc & ipſe Gregorius; at opus iſtud, ex officio bonum, referen-dum in Deum eſſe ſubdit. Hoc eſt ultimum effugium quo ſe recipit Gregorius. Verum duplici ex latere illum adoritur P. Soto. Aut ſermo eſt de relatione in Deum finem ſupernaturalem; aut de relatione in Deum finem naturalem. Non de pri-ma: quoniam nunc ſermo eſt de operibus mediis inter opera vitæ æternæ meri-toria, & peccata. Diſputatum inter Catholicos & Pelagianos fuit, eſſent ne eiuſ-

modi opera media vitæ æternæ mercede digna, aut ſaltem diſpoſitiones ad gratiam merendam. Negarunt utrumque ſemper Catholici, definivitque Eccleſia opera iſta media a peccatore facta neque diſponere ad gratiam, neque digna eſſe æterna mercede. Nullibi vero declaravit eſſe peccata; immo definivit omnia opera infidelium non eſſe peccata. Ergo aliqua ſunt opera moralia media inter peccata & opera ſupernaturalia. Quam doctrinam pluribus Soto confirmat. Si ſermo ſit de relatione naturali, opus non eſt ſpeciali auxilio; cum omnia opera honeſta natura ſua ordinata in Deum ſint. Omnia quippe propter ſemetipſum operatus eſt Deus. Ergo quoties perverſa intentione operantis non detorquetur opus in finem pravum, tendit ex ſe in ſuum naturalem terminum. Commentitia ergo eſt illa neceſſitas auxilii ſpecialis. Et profecto monſtroſum eſſet, ſi ſolus homo libertate præditus non poſſet uſu ſuæ libertatis & rationis referre honeſta officia in ſcopum & terminum ſibi a natura præſtitutum; cum reliquis omnibus creaturis poteſtas adſit ſuos adipiſcendi fines.

VIII. S. Thomas *I. Part. quæſt.* XXXIII. *art.* I. duos eſſe præſtitutos homini fines docet: alterum naturæ vires excedentem; alterum eidem proportionatum. Primum virtute alterius, nempe Dei; ſecundum viribus naturæ ſuæ homo attingit. *Finis autem ad quem res creatæ ordinantur a Deo, eſt duplex. Unus qui excedit proportionem naturæ creatæ & facultatem; & hic finis eſt vita æterna, quæ in divina viſione conſiſtit, quæ eſt ſupra naturam cuiuslibet creaturæ . . . Alius autem finis eſt naturæ creatæ proportionatus, quem ſcilicet res creata poteſt attingere ſecundum virtutem ſuæ naturæ*. Ad priorem vero homo a Deo tranſmittitur, concludit Angelicus. Quem vel unum locum, inquit Soto, ſi conſideraſſent qui S. Thomam in opinionem Gregorii aſciſcunt, numquam id feciſſent. Quandoquidem ſecundum eum non omne opus moraliter bonum pertinet ad prædeſtinationem: quod idcirco fieri ab homine naturaliter poteſt. Addit Sotus, S. Thomam 2. 2. *quæſt.* X. docere, non omnia opera infidelium eſſe peccata; & 1. 2. *quæſt.* CIX. poſſe hominem abſque auxilio gratiæ implere præcepta quoad ſubſtantiam operum: conſequenter aſſerere, opera moraliter bona fieri abſque ſpeciali auxilio poſſe. Cum enim iuxta ipſum nullum ſit opus indifferens, ea quæ non ſunt mala, continuo bona ſunt. Conſulenda ſunt quæ docet idem Angelicus 2. 2. *quæſt.* XXIII. *art.* 7. & 1. 2. *quæſt.* LXV. *art.* 2. Quæ omnia confirmat Sotus hac ratione. Poteſt homo ex ſuis naturalibus id quod ſuopte genere bonum eſt, ob malum finem agere: ergo idem propter finem honeſtum præſtare valet. Poteſt homo naturali conamine ſiniſtra intentione deambulare, puta ad inveniendam meretricem: ergo facere id poterit aut valetudinis, aut ſuccurrendi egenti ſtudio. Poteſt comedere, quando ei nocet: ergo poteſt, quando prodeſt. Certe riſum moveret qui diceret, poſſe me comedere ſine ſpeciali auxilio pomum quod eſt ante me, dum eſt peſtilens; non autem dum eſt ſalu-

Digitized by Google

ſalubre. Poteſt quis proiicere denarium in flumen abſque ſpeciali auxilio, & non poterit eadem virtute donare pauperi ob ſolam honeſtatem? Neque me latet iſtorum reſponſio, nimirum honeſta hæc opera referri in ultimum finem non poſſe abſque ſpeciali auxilio. At reſponſio hæc petitio principii eſt. Numquid efficere homines hæc minima bona propter honeſtatem abſque ſpeciali auxilio valent; dirigere vero illa in finem eidem proportionatum nequeunt, ſive in Deum, ut eſt finis naturalis? Sane qua ratione producere hæc opera ex officio bona homines poſſunt, eadem propter finem honeſtum eiſdem proportionatum agere valent. Et qui hoc negant, ſane ridiculos ſe produnt, inquit Soto. Nec eſt quod inſiſtant, præceptum caritatis urgere ut omnia fiant propter Dei gloriam, atque adeo in finem ſupernaturalem dirigantur. Nam hoc præceptum, cum adfirmans ſit, non pro ſemper obligat, ut conceptis verbis S. Thomas tradit. Et ſi adverſari inſiſtant, ſemper obligare; nulla ergo media opera erunt inter illa quæ vitæ æternæ utilia ſunt, & ea quæ vitio ſordent: contra quam ſententiam non ſolum Eccleſiæ conſtitutiones clamant, ſed ipſe Redemptor noſter *Matth. V.* inquit: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Hic ſane non vituperantur officia quæ fiunt propter naturales neceſſitudines, humanamque honeſtatem, quæ bonis maliſque communia ſunt; ſed imperfectæ dumtaxat aſſeruntur virtutes iſtæ, niſi ex vero germanoque Dei amore fiant. Et huic ſententiæ favere quoque S. Paulus videtur ad *Rom.* IV. his verbis. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Si opera illa fuiſſent vitioſa, non gloriam, ſed vituperium penes ipſos homines meruiſſent.

IX. Hæc tamen officia moralia, media inter peccata, & opera ſupernaturalia, non ſunt veræ perfectæque virtutes, ſed imperfectæ, &, ut inquiunt in ſcholis, ſecundum quid. Heinc eſt quod S. Auguſtinus negat, apud Gentiles veras reperiri virtutes; non ſolum quod plurima bona opera propter vanam gloriam faciunt, ſed quod veri Dei cognitione & caritate carent. At non heinc ſequitur, eſſe peccata, quia non ſunt veræ virtutes; ſed tantum a legitimo virtutis gradu deficere, ut interpretatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXV. *art.* 5. Inſuper advertit P. Soto, hominem peccatorem hæc opera, utcumque bona, nec longo tempore, nec urgentibus gravibus, arduiſque difficultatibus peragere abſque peculiari Dei auxilio. Idque in perditis obſtinatiſque ſive Chriſtianis, ſive infidelibus patet, qui de abyſſu in abyſſum ſcelerum prolabuntur. Deum illuſtrationes, auxilia ſpecialia quandoque immittere ipſis infidelibus, communis eſt Theologorum ſententia. Illud dumtaxat ratum firmumque ſit, peccatorem abſque ſpeciali auxilio gratiæ poſſe multa opera moralſaceria e quæ peccata non ſunt neque ex officio, neque ex fine.

X. Hæc

X. Hæc pauca de hac celebri controverſia perſtringere operæ pretium exiſtimavi, duplici ratione ductus. Primum, ut exploratum ſit, quæ fuerit Theologorum ſententia tempore Concilii Tridentini, cui P. Soto ut Theologus interfuit. Neminem ſe legiſſe teſtatur ille qui oppoſitum docuerit ante Gregorium Ariminenſem. Univerſalis iſte conſenſus omnium Theologorum uſque ad ſæculum ſextum decimum ſummam conciliat ſententiæ noſtræ auctoritatem; & quantum probabilitatis concedat alteri quæ a paucis Theologis invecta fuit, ceteri iudicent. Accedit quod præter præfatum omnium Theologorum conſenſum, Pontifices ſummi, S. Pius V. Gregorius XIII. ceterique ſucceſſores, & potiſſimum Alexander VIII. ſin minus expreſſe, & definite, fere evidenter noſtræ favent opinioni. Alterum momentum, quod mihi ad hanc ſententiam confirmandam calcaria adiecit, eſt, ut patefaciam, liberum arbitrium noſtrum in genere moris vivere. Quandoquidem ſi nullum in genere moris actum producere, ſi illum in ſuum proportionatum finem dirigere nequit, qua ratione defendi eiuſdem vita poteſt? Vita quippe eius, quemadmodum & corporis, actibus ſuis conſiſtit. Et tunc liberum arbitrium mortuum revera eſt in genere moris, quando in hoc genere nullum bonum opus edere, & dirigere in finem ſuum proportionatum valet. Infirmum, læſum, vulneratumque primi peccati granditate liberum arbitrium humanum fatemur, mortuum negamus, vivumque aſſerimus: idque fides catholica docet. Si moraliter vivit; ergo non ſemper actus mortiferos, ſed plures honeſtos, vitæ rationali congruos, edere valet. Si enim omnes eſſent vitioſi, nullus rationis vita frueretur; & ſic mortuum arbitrium diceretur: quod damnatum in Concilio Tridentino eſt. Doctrina noſtra non modo Tridentini Concilii auctoritate, ſed & perenni ſummorum Pontificum traditione nititur. Oppoſitam opinionem poſt Baium Ianſenius propugnandam ſuſcepit, & commentis ſane vaniſſimis Sedis Apoſtolicæ conſtitutiones deludere conatus eſt. Theologi tamen catholici, qui negant aliquod opus bonum abſque ſpeciali auxilio fieri poſſe, a Baio, & Ianſenio multum & maxime diſtant; atque ab omni erroris ſuſpicione ſuam purgare doctrinam ſtudent.

XI. Si plura hoc de argumento cupis, conſule quæ dixi *Tom. I. in Decal. diſſ.* IV. *cap.* XIII. ubi ex inſtituto controverſiam hanc diſpexi, & doctrinam SS. Auguſtini, & Thomæ pro modulo meo expoſui, & a vanis commentis aſſerui. Hic dumtaxat alterum Auguſtini teſtimonium promo ex *Lib. III. Hypognoſticon contr. Pelag.* (quamvis opus iſtud abiudicent Auguſtino eruditi) ubi de libero arbitrio poſt lapſum primi hominis hæc ſcribit. *Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certe peragere; ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere*

Digitized by Google

habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam, quæ omnia ſine gubernaculo divino non ſubſiſtunt, immo ex ipſo, & per ipſum ſubſiſtunt. An luculentius explicare, & confirmare S. Auguſtinus doctrinam noſtram potuit? Diſtinguit opera quæ ad Deum, ſeu quæ ad vitam æternam viam ſternunt, & ducunt; & opera quæ ad præſentem attinent vitam. Priora nec inchoare, nec perficere homo valet viribus ſuis ſine ſpeciali Dei auxilio. Poſteriora vero poteſt ſolo Dei generali concurſu. Quænam autem ſunt opera quæ producere homo poteſt viribus ſuis? Habere amicum, uxorem ducere, artem diſcere, & *quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam*. Porro hæc opera, iuxta regulas rationis peracta, moraliter bona ſunt. Evidens igitur eſt S. Auguſtinum, cuius doctrinæ adverſarii fidunt, noſtram propugnare ſententiam. Heinc collige, Baium, & Ianſenium turpiter falli, dum effutiunt, S. Auguſtinum docere *omnia infidelium* opera eſſe peccata, & Philoſophorum virtutes vitia. Verum de hoc alibi fuſius diſputatum eſt.

§. Unicus.

Recentiorum plurium zeli diverſitas in affigenda Baianiſmi cenſura ſententiæ defendenti neceſſitatem referendi omnia opera in Deum; & in patrocinandis laxis opinionibus, quæ primum caritatis mandatum aut penitus de medio tollunt, aut nimium extenuant.

I. DUo æqui rerum arbitri veritate facti coacti teſtari debent. Unum, numquam corruptiores mores, numquam malitiam liberius impudentiuſque quam ætate noſtra inundaſſe. Alterum, numquam e contrario tot clamores, numquam tot cenſuras adverſus *Rigoriſmum*, numquam tot lamentationes adverſus diſciplinæ auſteritatem. Odioſiſſimam vero Rigoriſmi, immo Ianſeniſmi, & Baianiſmi cenſuram appingunt non pauci doctrinæ propugnanti præceptum referendi omnia opera in Deum ultimum finem noſtrum. Porro, ut dignoſcere lector queat, quam ſint eiuſmodi cenſuræ inconſideratæ, paucis perſtringam quæ penes Catholicos omnes certa ſunt, & quæ diſputationi ſubiecta.

II. Omnes Catholici execrantur errores Michaelis Baii proſcriptos a S. Pio V. in prop. 25. & 26. *Omnia opera infidelium ſunt peccata. Et Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Propugnabat Baius omnia infidelium opera facta ſine fide perfecta, & gratia Spiritus ſancti inhabitantis, ſeu abſque gratia ſanctificante, & caritate habi-

bituali, malitia ſordeſcere, & vera eſſe peccata. Quem errorem ab Eccleſia proſcriptum omnes catholici Theologi improbant.

III. Convenit ſimiliter inter Catholicos, opera tametſi natura ſua bona, directa in finem malum pravitate infici, & vera eſſe peccata. Heinc conſequitur infidelium opera, quæ extrinſecus bona apparent, plerumque & communiter eſſe peccata, ob circumſtantiam pravi finis: quia ſcilicet ſuperbiæ vanæque gloriæ tipho inflata turgent.

IV. Si communiter & paſſim opera infidelium ſunt peccata ob finem pravum, in quem ipſi habitualiter converſi talia opera detorquent; quid in diſputationem a catholicis Theologis revocatur? Ecce. Diſſertatur, utrum aliquod opus bonum fieri interdum ab infideli poſſit, ſolis naturæ viribus, cum generali Dei auxilio, abſque gratia ſpeciali. Negant plures & celeberrimi Theologi. Quoniam ex una parte, inquiunt, omnia opera referenda ſunt, ſin actu, ſaltem virtute in Deum tamquam in ultimum finem. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, OMNIA in Dei gloriam facite*: I. Cor. x. Ex altera parte: *Sine me nihil poteſtis facere*: Ioan. xv. & S. Paulus II. Cor. v. ait: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Porro cum infideles verum Deum non agnoſcant, quomodo in Dei gloriam referre opera ſua valent? Omnia ergo infidelium opera peccata erunt? Negant. Quia dum infidelis nudum operit, ſuccurrit periclitanti, honorem parentibus præſtat &c. in operis honeſtate ſiſtens, eiuſmodi opera ſunt ex officio bona. Omiſſio vero relationis in Deum, non opus, ſed hominem inficit. At hoc non tollit, inſtant alii, quin infidelis in omni opere peccet. Hunc autem errorem proſcripſit in prop. 8. Alexander VIII. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*. Reſpondent, Deum ipſis infidelibus aliquando lumen imperfectæ fidei, & auxilium gratiæ actualis infundere, vi cuius in Deum aliquod opus honeſtum dirigunt infideles ipſi.

V. Hanc doctrinam ſumma perſpicuitate declarat doctiſſimus Cardinalis Noriſius ſacri Collegii ſplendor & ornamentum in *Vindic. Auguſt. cap.* III. *§.* IV. *pag. mihi* 21. his verbis. *Unum autem contrariæ ſententiæ Auctores opponere ſolent, optime huc-uſque dicta concludere, ſi eliciens actus honeſtos inde apud ſemetipſum inani complacentia turgeſcat: at fieri poſſe ut quis honeſte operetur, v. g. det eleemoſynam pauperi, ac ſtatim eiuſdem mens alio avocetur, in quo caſu neque apud ſemetipſum de bono opere per actum reflexum gloriabitur. Fateor quidem, ſi ſtatim mens alio a novo obiecto trahatur, fieri poſſe ut nulla apud ſeipſum gloria, vel iactantia titilletur; at id per accidens contingit. Nam agens morale debet conſiderare an recte operatus ſit, an optime ſe habeat erga ſuum finem ex illa actione. Quæ quidem conſiderans, amat ſuum opus, ac in ſeipſo gloriatur. Cenſeo tamen, hæc opera bona non fuiſſe facta ab infidelibus ſuis ipſorum viribus derelictis, ſed præmunitis ſpecialibus divinæ gratiæ au-*

auxiliis, quibus forte aliquando factum eſt ut recte operantes, novo propoſito obiecto; de bono opere minime gloriarentur.

VI. Quid in hac doctrina carpere, non dicam æqui, ſed vel ipſi moroſi, & tetrici cenſores valent? Conceduntur ipſis infidelibus auxilia gratiæ, & imperfectæ fidei lumina. Ergo improbatur error Baii non diſtinguentis caritatem habitualem Spiritus inhabitantis ab actuali imperfecta Spiritus moventis, fidem imperfectam a perfecta gratia habituali formata. Edi ab infidelibus aliquod opus tum ex officio, tum reſpectu operantis bonum, quia vi talium auxiliorum in Deum relatum, adfirmatur.

VII. Ego tum capite ſuperiore, tum *Tom. I. in Decal. diſſ.* IV. *cap.* XIII. fuſo calamo oppoſitam propugnavi ſententiam, quod perſuaſum mihi ſit S. Thomam docere præceptum referendi omnia opera in Deum eſſe adfirmativum, quod ſemper, & non pro ſemper obligat, ut referantur omnia opera in Deum. Sat ergo interdum erit ut homo infidelis eliciat opus bonum propter ipſam honeſtatem operis. Tale quippe opus natura ſua in Deum tendit. Viribus autem naturæ cum auxilio generali poſſe hominem efficere opus bonum morale facile, ut nudum operire, pauperi ſuccurrere, quin illud in finem pravum detorqueat, fatentur omnes. Huc dumtaxat diſſidium recidit, num ſcilicet *pro ſemper* urgeat præceptum referendi omnia opera actu vel virtute in Deum. Si pro ſemper mandatum aſtringit, ut contendunt adverſarii, dubio procul neceſſarium eſt auxilium ſpeciale. Si aliquando non urget, infidelis ſine auxilio ſpeciali interdum opus moraliter bonum operatur.

VIII. Verum ut etiam luculentius percipias quam leve ſit hoc Theologorum diſſidium, recogita, Theologos qui propugnant neceſſitatem referendi *pro ſemper* omnia opera in Deum vel actu, vel virtute, ſimul docere hoc præceptum obligare dumtaxat ſub veniali, atque adeo venialiter tantum peccare infidelem qui omitteret hanc operis relationem in Deum. Paucis itaque rem totam habeto. Omnes fatentur, opera infidelium plerumque peccata eſſe. Omnes ſimiliter adfirmant, interdum bona opera moralia infideles ipſos operari aut vi ſpecialis auxilii, ut contendunt plures, aut viribus naturæ, ut nos defendimus cum auxilio generali. Totum ergo diſſidium huc recidit, num infideles aliquando perpetrent peccatum veniale omiſſionis propterea quod negligant referre opus bonum in Deum. Quæ omiſſio nullo modo opus, ſed ſolum operantem inficit.

IX. Quæ cum ita ſe habeant, quis ſatis mirari recentes nonnullos Theologos poteſt qui adverſus opinionem ex una parte leviſſimi momenti, & ex altera parte non leviter Scripturis, & Patribus conformem tam furenter abripiuntur? Referent, quæſo, nobis arcanum iſtud. Negare ne acuti recentiores iſti valent totam celeberrimam Auguſtinianorum Scholam, alioſque graviſſimos Theologos, & hos in-

inter Cardinales ampliſſimos ſapientiſſimoſque præfatam opinionem omni argumentorum genere propugnare? Factum hoc certiſſimum atque luculentiſſimum eſt. Probabilis ergo præfata opinio eſt. Sit minus probabilis, ut & ipſe ſentio, quid inde? Nonne Probabiliſtæ acriter defendunt quatuor, aut ſex Caſuiſtas, quales ſunt Tamburinus, Burgaber, Eſcobar, Alcozer, Caramuel, Leander, Sanchez &c. efficere opinionem probabilem? Nonne illi ipſi violati decreti Innocentii XI. reos poſtulant qui *non cavent ab omni cenſura & nota, nec non a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur?* Quo ergo auſu, qua fronte convicia, atque invidioſiſſimam hæreſis cenſuram inurunt opinioni non a manipulo Caſuiſtarum levioris armaturæ, ſed ab inſigni Theologorum legione ſuperioris ſubſellii propugnatæ?

X. Verum enim vero, ut magis magiſque pateat illorum zeli indoles & natura, immigrare in eorumdem caſtra parumper licet. Quid? Tanto zelo inardeſcunt contra eos qui omnia opera in gloriam Dei referenda eſſe aiunt: & muti ut piſces ſunt adverſus eos qui primum maximumque caritatis mandatum aut de medio auferunt, aut ita extenuant, ut vel ad mortis articulum, vel ad quinquennium, vel ad biennium eiuſdem obligationem coerceant? Qui præceptum contritionis ſublatum a Chriſto IESU, inſtituendo ſacramentum pœnitentiæ, docere non verentur? Qui fenora fucant: qui ieiuniorum diſciplinam laxant? Unde quæſo, unde hæc tanta zeli diverſitas? Adverſus doctrinam inſignium Theologorum patrocinio fultam, quæ gloriam Dei promovet, quæ, ſi praxis ſpectetur, formandis moribus potius opportuna eſt, tot clamores emittuntur, tot turbæ cientur, tot tragediæ excitantur, & odioſiſſimæ hæreſum cenſuræ catholicis viris affinguntur? E contrario adverſus laxarum opinionum portenta, quæ in dies latius manant; quæ non cum Evangelio modo, ſed cum communi ſenſu pugnant; quæ animas Chriſtianorum depopulantur; & propter quæ tandem ſcandala graviſſima non ſolum *populus chriſtianus patitur* (inquit piiſſimus atque ſapientiſſimus Ieſuita Cardinalis BELLARMINUS de gemitu columbæ Lib. III. cap. IV. pag. 397.) *ſed etiam populi Turcarum, & hæreticorum, apud quos blaſphematur propter nos nomen Domini, & Chriſti DOCTRINA peſſime audit.* Legantur quæſo 333. propoſitiones, quas novem ſapientiſſimi Epiſcopi, & Archiepiſcopi Hiſpaniarum Romanæ Sedi proſcribendas obtulerunt. Quod factum, præter innumera alia argumenta, evincit, quam fervens ſit celeberrimæ nationis Hiſpanicæ pro ſana doctrina ſtudium. Theologorum neminem legi qui tam ſolide, & ſapienter profligaverit laxam Ethicen, ac præſtiterunt aliqui doctiſſimi Theologi Hiſpani. Heinc eſt quod ego peculiari obſequio, & veneratione præclariſſimam illam gentem colam ſuſpiciamque. Chriſtiana quæſo ſinceritate ultro citroque loquamur. Quænam amabo doctrina apud Turcas, apud hæreticos peſſime audit? Illa ne quæ omnia propter Dei gloriam agen-

agenda docet; an illa quæ Dei amandi neceſſitatem intra biennium, & illo ipſo tempore quo ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum eſt, pernegat? Quæ occidendum hominem propter pomum ait? Ab integro & amplius ſæculo nonnulli zelatores plurium Catholicorum ſaniorem doctrinam traducunt, & infamant tamquam Calviniſmi, Baianiſmi, & Ianſeniſmi labe infectam. Cedo: quis iſtorum umquam tubam exaltavit contra innumera laxarum opinionum paradoxa? Quis iſtorum umquam pernicioſiſſimæ laxitatis doctrinas apud Romanos Pontifices accuſavit? Quis iſtorum umquam Romanam Sedem ſollicitavit, ut opiniones libertati & appetitionibus humanis æquo accommodatiores, & corrumpendis moribus opportuniores damnaret exterminaretque? Unicum afferant documentum. Quid ſi contra Romanis decretis proſcribentibus doctrinam laxam & ſcandali plenam obſtitiſſent, aut eadem captioſis commentis eludere pertentaſſent? Unde, repeto, tam manifeſta, & comperta zeli diverſitas? An ſtudium defendendi doctrinam Eccleſiæ, & Dei gloriam promovendi, æque non deteſtatur ambo extrema & nimii rigoris, & immoderatæ laxitatis? Iſti contra vel ipſam rigoris umbram clamant, vociferantur; & contra Laxiſmum quaquaverſum graſſantem non modo obmuteſcunt, ſed in eiuſdem præſidium turmatim ad arma conclamant? Quodnam extremum, Rigoriſmus, an Laxiſmus, reipſa & *practice* dominatur inter Chriſtianos? Maius ne periculum quod Chriſtiani nimia ieiuniorum ſeveritate, veſtitus aſperitate, diſciplinarum, ciliciorum rigore ſeſe conficiant; an quod mollitie, luxu, crapula, deliciis, oblectamentis, & voluptatibus æternum pereant?

XI. Hæc nunc obiter indicavi, ex inſtituto declaraturus in tempore, codice documentorum adducto, ut inconſiderati Cenſores a perturbanda Eccleſia tandem aliquando deſiſtant. Neque heinc inferat quiſpiam, me tantillum a mea propugnata ſententia, quam probabiliorem iudico, recedere. Sed id tantum colligant omnes, me a partium ſtudio, quantum cognoſcere imbecillitas mea ſinit, alienum eſſe. Illuc conatus mei pertinent, ut nonnullorum recentiorum auſus reprimantur, dum inſignium Theologorum ſententias notare hæreſeos cenſura, eaſque cum Calvinianis, Baianis, & Ianſeniſtis erroribus permiſcere non erubeſcunt. Sæpe numero mecum animo reputavi, cur tanto ardore, & ſtudio Baianiſmum, Ianſeniſmum, & Rigoriſmum diſſeminare, confingere, & affingere nonnulli ſoleant iis Catholicorum doctrinis quæ ad eorum palatum non ſapiunt? Si quo animo & intentione id præſtent inveſtigare vellem, temerarius forem, & divini iudicii vices mihi arrogantia incredibili uſurparem. Rectum eſſe zelum, piamque intentionem, præſumendum nobis eſt. Verum ſi factum ſpectetur, eo tandem hæc pugna tam acris recidit, ut Theologis plurimis occupatis in propulſandis hæreſeos calumniis ſibi impactis, interea doctrinæ, quæ morum corruptioni viam aperiunt latam & ſpatioſam, triumphabundæ diſcurrant, & vel ipſa ſacratiora loca pervadant. Quid ergo agendum?

Ca-

Caſtra belligerandi recta ante arcem Laxiſmi collocentur. Iſthic utroque immoto pede bellum geratur, ut deperdita morum ſanctitas recuperetur, ut depreſſa tum monaſtica, tum eccleſiaſtica diſciplina aliquo ſaltem gradu reſurgat ad ſuum priſtinum ſplendorem, ut ab altari, & a ſacramentis indigni arceantur, & nativa chriſtianæ pœnitentiæ imago reviviſcat, atque reſulgeat: ſententiis, quas non unus & alter Theologus, ſed plurimi, & celeberrimi, atque univerſa aliqua Schola catholica docent; quæ ad Romanam Sedem ſæpius delatæ immunes ab omni cenſura evaſerunt; quæque non corrumpendis, ſed formandis moribus inſervire videntur, hæreſeos infamia non inuratur: ſed ſi eædem minus probabiles apparent, chriſtiana modeſtia, & argumentorum efficacitate oppugnentur, donec veritas, divina affulgente luce, appareat. Huc mutuo inito fœdere, & poſitis vanis & ineptiſſimis diſſidiis, molimina, ſtudia, & conatus noſtros collineemus: atque adverſus tum hæreticas, tum morum corruptrices doctrinas coniunctis mutuo viribus ſtrenue, ut Chriſti milites decet, pugnam ineamus: & tunc revera præliabimur bellum Domini, æmulabimur chariſmata meliora, aſſequemur promiſſam coronam, & ex noſtro apoſtolico certamine æternos cantabit Romana Eccleſia triumphos.

C A P U T VIII.

Neceſſitas doctrinæ revelatæ ex imbecillitate humanæ rationis evincitur. Animadverſio contra nonnullos, qui ratiunculis humanis divinam doctrinam ſubdere non reformidant.

I. QUæ hactenus dicta ſunt de mentis noſtræ imbecillitate ad ea cognoſcenda quæ vel ipſum naturæ ordinem non excedunt, inſcitiæ, ne dicam dementiæ, arguunt Puſendorſium, Barbeyracum, Heinnecium, ceteroſque eiuſdem farinæ homines, qui iuris naturæ arcana, morumque ſcientiam, humanæ ſocietati moderandæ inſervientem, ſolo intellectus humani lumine, neglecta doctrina cælitus revelata, interpretari contendunt. Vidimus quam denſæ ſint mentis noſtræ tenebræ, quam exiles vires ad cognoſcendas veritates etiam quæ ſub ſenſibus cadunt. Heinc neceſſario conſequitur, recurrendum eſſe ad lumen cæleſte, quo in tam obſcuro itinere dirigamur.

II. Doctrinæ divinitus revelatæ neceſſitatem evincit S. Thomas tum in prologo Sententiarum tum *Lib. I. contr. Gentes cap.* IV. tum in Summa *Part. I. quæſt.* I. *art.* I. ubi ex inſtituto inquirit, utrum præter philoſophicas diſciplinas neceſſaria alia doctrina ſit, qua cognoſcantur non ſolum quæ mentis humanæ aciem ſugiunt, ſed etiam quæ intra naturæ ſphæram continentur. Diſtinguit enim duo veritatum

ge-

Digitized by Google

genera. Primum continet ſolas veritates ſupernaturales, puta myſteria revelata: alterum veritates naturales includit. Et pro utroque genere definit neceſſariam eſſe doctrinam divinitus revelatam. De ſecundo enim hæc ſcribit. *Ad ea etiam quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, neceſſarium fuit hominem inſtrui revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem inveſtigata, a paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret, a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis ſalus, quæ in Deo eſt*. Quam ſit hæc ratio ſolida, patefaciunt Ciceronis libri de natura deorum. Non modo itaque ad cognoſcenda religionis divinæ myſteria, verum etiam ad ipſius naturalis religionis ſecreta recte intelligenda neceſſaria eſt doctrina divinitus revelata. Aliam rationem, quæ evincit doctrinæ revelatæ neceſſitatem, aſſignat 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. eamque repetit a natura ipſius hominis. Natura rationalis, inquit, immediatum ordinem ad Deum prodit. Hæc univerſam boni, & entis rationem cognoſcit. Ordinem ergo habet ad univerſale eſſendi principium. Rurſus natura hæc rationalis ad ordinem ſuperiorem, cæleſtem, divinumque evecta eſt, in quo ſolo ſuam veram aſſequitur felicitatem. Porro, ut hunc finem obtineat, Deo docenti & inſtruenti adhibere fidem debet. Doctrina ergo divinitus tradita neceſſaria eſt. Tandem Angelicus Doctor 1. 2. *quæſt.* XCI. *art.* 4. ex imbecillitate humanæ mentis, & incertitudine iudicii noſtri infert legis divinitus datæ neceſſitatem. Hominum enim iudicia varia ſunt, oppoſita, &, ut experientia conſtat, contrarias leges mutuo pugnantes rogant, dum proprio genio indulgent. Ut itaque uniformitas actionum conſiſtat, ut quid agendum, quid cavendum ſit, certo ſciant, requiritur lex divinitus tradita, nulli errori obnoxia, ad quam reſpicere ceu ad normam debent.

III. Exempla quæ hanc S. Thomæ doctrinam confirmant, ſupra dedi, & aliqua hic adiiciam. S. Paulus *cap.* 1. *ad Roman.* Sapientum Romanorum delirantem ignorantiam deſcribit. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*. Cetera illorum ignorantiæ portenta, quæ ibidem numerat Apoſtolus, prætereo. Porro ſi, doctrina divina neglecta, comparationem inſtituamus Sapientes ethnicos inter & chriſtianos, quot, quæſo, nunc homines eo præditi ingenio ſunt quod æquet Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, & aliorum plurium ingenia? Utique vetula chriſtiana ſimplex & indocta, fide divina imbuta, Platone, Ariſtotele, Cicerone ſapientior eſt & eruditior. At nunc rationem cum ratione, ingenia cum ingeniis conferimus. Ergo ſi ſumma illa ingenia in tot graviſſimos lapſa ſunt errores: numquid ingenia noſtra longe inferiora ab ignorantia & erroribus immunia ſunt? An nos ipſi, dum extra fidei articulos diſputamus, invicem non diffidemus? Quid, ſi populi idiotæ ſeipſis dirimere graviſſimas controverſias vellent? An non tenentur iſti doctos conſulere & magiſtros? Porro longius diſtant iudicia, & ingenia ſapien-

Digitized by Google

pientum Theologorum a doctrina divinitus tradita, quam populorum exiſtimatio a doctiorum Theologorum iudicio. Si ergo hi magiſtros audire debent; potiori iure magiſtri, & Theologi conſulere unicum Magiſtrum divinum, eiuſque legem aſtringuntur.

IV. Si novam opinandi methodum a Probabiliſtis invectam ſpectemus, argumentatio noſtra vim amittit. Omnia illis probabilia, ſive vera, ſive falſa, dummodo humanæ mentis rationibus nixa ſint. Verum etiam Philoſophorum variæ, & invicem certantes ſectæ, Athenienſes, Romanæ, aliæque ſua propugnare hac methodo dogmata poſſent. Plures enim non probabiles modo, ſed etiam certos & veros proprios reputabant errores. Alterutrum ergo concedant oportet Probabiliſtæ: aut deſipuiſſe ſanctos Eccleſiæ Patres, Doctoreſque omnes, dum ex diſſidiis Philoſophorum inſufficientiam humanæ rationis in conciliandis, dirimendiſque morum controverſiis, & neceſſitatem doctrinæ revelatæ demonſtrarunt; aut ineptiſſimam illam novam rationem eſſe vera & falſa una conciliandi, quam excogitavit Probabiliſmus. Si enim ab errore excuſaretur homo, quoties errorem probabiliter verum firmiter iudicat; in vanum laboraſſent per tot ſæcula doctiores & Patres, & Theologi in veritatis inveſtigatione. Aberraſſent, dum per verum, vel falſum dirimendas eſſe morum quæſtiones docuerunt, ſi ſatis eſſet Probabiliſmus, a vero & falſo præſcindens. Quid quod inter ipſa probabilia, & improbabilia eadem, ac inter verum & falſum, diſſidia fervent? Ergo in utroque ſiſtemate neceſſarius eſt recurſus ad doctrinam revelatam. Accedit, Theologiam non conſtare probabilibus, ſive quæ a vero & falſo præſcindant, ſive quæ falſa ſint; ſed principiis certis, veris, & quæ cognoſci & inveniri poſſunt, ut omnes fatentur. Ergo nec Theologiam addiſcere, nec Theologi eſſe poſſumus, niſi unus Magiſter noſter Deus veritatem nobis oſtendat, viamque aperiat, qua invenire eam valeamus.

V. Heinc quoque evidenter emicat inſania quorumdam ſciolorum, qui, Scripturarum, & Patrum auctoritate neglecta, ſtandum rationi in dirimendis morum controverſiis inclamant. Ipſe expertus ſum nonnullos, quibuſcum diſputabam de graviſſimis morum controverſiis Scripturarum adductis teſtimoniis. Ipſi vero Pufendorfii, aliorumque novatorum præſtigiis obducti, clamare audacter non erubeſcebant, divinas Scripturas iuxta principia iuris naturæ interpretandas eſſe, effutientes rationem naturalem eſſe legitimum iudicem honeſtatis, aut pravitatis actionum. Quid? Stipites ne, vociferabant, homines erunt & trunci, qui ſuſcipere Scripturarum, Patrumque auctoritatem debeant, ratione conculcata? Qui ſic argutantur, ſuperbiæ caligine obcæcati ſunt. Porro eo minor ſplendet ratio, quo maior in animo dominatur ſuperbia, quæ ignorantiæ, omniumque malorum mater fuit in Adamo peccante, regnatque in nobis, & vires inſtaurat, dum actualia perpetramus crimina. Illi autem potiſſimum plus ceteris nimium fidunt rationi,

&

Digitized by Google

& ad rationis humanæ tribunal morum cauſſas revocant qui plus ceteris vitiis ſordeſcunt, & vehementiore ſuperbiæ typho agitantur. Adhibendam rationem humanam in controverſiis omnibus, nemo, niſi qui hac ratione caret, inficiatur. At ratio hæc infirma, obſcurata, errabunda eſt, quæ, non ſecus ac ægrotus, adiuvari medicinarum vi, & lumine veritatis illuſtrari eget. Quamobrem ipſa ſuperiori divino lumini, non lumen divinum ipſi parere debet.

VI. Opponunt. Admittendam doctrinam revelatam fatemur, & divinas Scripturas. At numquid in eiſdem interpretandis ab errandi periculo immunes ſumus? Neceſſaria ergo erit alia doctrina divinitus tradita, quæ erroneas falſaſque interpretationes declaret, corrigatque; & rurſus alia, ne erremus: & ſic erit proceſſus in infinitum. Idemque formari adverſus Theologiam argumentum poteſt. Siquidem Theologia non eſt ipſa divina doctrina expreſſe ſaltem revelata, ſed doctrina ex veritatibus revelatis hauſta, deducta, & collecta. At in his deducendis colligendiſque ratiociniis errare, decipi, falli, & fallere valemus. Neceſſaria ergo alia doctrina revelata, quæ veras, errorumque expertes concluſiones inferat.

VII. Argumentatio hæc, quo eſt ſpecioſior, eo eſt ad fallendum accommodatior. Quare perſpicua ſolutio eſt, quemlibet Doctorem, tametſi ſapientiſſimum, quemlibet Theologum, licet doctiſſimum, errare & quidem graviſſime in ſuis eruendis ex revelata doctrina concluſionibus tum in fidei, tum in morum controverſiis poſſe. Quin non modo ex rationis imbecillitate, ſed ex malitia etiam, & pertinacia contradicendi veritati errare quiſque privatus Doctor poteſt, & hæreticus atque hæreſiarcha evadere, mactare animas, & in orcum æternum detrudere. Quid hinc? Numquid propterea neceſſaria ſcitu non eſt revelata doctrina? Multi manducando moriuntur, multi ambulando corruunt, multi navigando naufragio pereunt. Ergo manducandum, ambulandum, navigandum non eſt? Illud dumtaxat conſequitur, in vera Dei Eccleſia interpretem fallere, & falli neſcium admittendum eſſe, qui iudicium in cuiuſcumque privati Doctoris, quantumvis ſcientiſſimi, ſententias, & interpretationes ferat. Et huic ſupremo, certo, & indubitato iudicio, omnes parere debent, ut *diſſert. ſeq.* luculentius palam fiet. Supremus autem interpres iſte & iudex eſt ipſa ſanctiſſima mater Eccleſia, quæ organum eſt, quo Spiritus ſanctus nos inſtruit, corrigit, atque errantes in veritatis ſemitas revocat. In Eccleſiæ ergo auctoritatem omnes cuiuſcumque privati Theologi & Doctoris interpretationes revocandæ ſunt.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE SACRA SCRIPTURA ET TRADITIONIBUS.

PRAELOQUIUM.

SUperiori diſſertatione humanæ naturæ infirmitatem, varia vulnerum genera, morborumque omnium radicem palam feci. Cognita infirmitatis natura, remedia & antidota infirmitati curandæ idonea exponenda ſunt, ut rectus curationis ordo ſervetur. Duo remediorum genera divinus Medicus ſanandæ naturæ noſtræ ineffabili ſapientia & miſericordia præparavit. Internum primum, quod gratia nuncupatur. Hæc vulnera intus ſanat, animæ maculas delet, mentem illuſtrat, voluntatem erigit, movet, applicat. Iſtius divini antidoti uberrimam vim, efficacitatem, effectus, & cetera, quæ illud comitantur, explicanda nunc eſſent, ut demonſtrarem quam dives ſit in miſericordia Deus: quoniam ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia. Mortalia ſunt vulnera, & ingentia mala quæ ex primi hominis terreni culpa nobis obvenere; ſed longe ſuperiora ſunt remedia quæ primus homo cæleſtis Chriſtus IESUS nobis comparavit. Verum inſtituti mei ratio haud ſinit me hanc in præſens ampliſſimam exornare ſpartam, quæ a tot ſæculis ſapientum ingenia torquet. Alterum remedium externum eſt, nempe doctrina divinitus tradita, quæ mentem extrinſecus illuſtrat, dirigit, mores informat, viamque pandit qua pergere ad patriam debeamus. Doctrina hæc divinis concluditur libris, de quorum numero fuſe olim diſputatum fuit. At nunc Eccleſiæ definitione lis omnis ſublata eſt. Miſſis illis graviſſimis controverſiis, quæ de ſacra Scriptura verſare eiuſdem interpretes ſolent, quæque præter meum inſtitutum ſunt, ea dumtaxat argumenta tractabo quæ moribus formandis opportuna iudicavero. Quis ſit univerſæ Scripturæ ſanctæ ſcopus & finis, quis ſit illius ſpiritus, & veluti anima, pleno in lumine ponere pro modulo meo ſatagam.

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid ſit ſacra Scriptura : quotuplex eius ſenſus : quænam ſit authentica editio : & an omnia dictaverit Spiritus ſanctus.

I. SCriptura ſacra eſt verbum Dei ſcriptum, ſeu epiſtola Dei ad homines, ut communiter Patres docent. Chryſoſtomus *hom.* 2. *in Geneſ.* hæc ſcribit. *Humani generis conditor ab initio per ſe ipſum hominibus loquebatur, quemadmodum homines audire poſſibile eſt : ſic enim ad Adam venit, Cain increpavit, cum Noe locutus; ſic cum Abraham hoſpitatus eſt. At ubi in magnam malitiam omnis hominum natura prolapſa eſt; neque ſe totum ab humano genere avertit opifex univerſi; ſed quia ſua familiaritate indigni fuerant, ſuam erga illos amicitiam renovare volens, quaſi longe abſentibus litteras mittit conciliaturus ſibi humanum genus.* Similia tradunt S. Auguſtinus *conc.* II. *in Pſal.* xc. Et S. Gregorius Magnus *Lib. IV. epiſ.* lxxxiv.

II. Non uno, ſed multiplici modo ad homines Deus ſcripſit. Primo librum naturæ edidit, quatenus univerſæ naturæ creaturas condidit, quæ grandioribus characteribus referunt Dei maieſtatem, ut inquit S. Paulus ad Rom. I. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Secundo per ſe ipſum legem ſcripſit tum in veteri, tum in novo fœdere, non atramento in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordium, intus homines divina ſua lege imbuendo. Tertio duas Decalogi tabulas, proprio digito ſcriptas, Moyſi conſignavit, ut habetur Exod. cap. xxxI. *Dedit Dominus Moyſi completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei.* Quarto ſcripſit non per ſe ipſum, ſed per ſuos Prophetas, Apoſtolos, alioſque Scriptores ſacros, quibus univerſam ſacram Scripturam ceu amanuenſibus dictavit, ut dicitur II. Reg. cap. xxIII. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* Quinto tandem modo Deus ad homines ſcribit, non per ſe ipſum, non aliis dictando, ſed committendo & confirmando quæ ab aliis ex ſua auctoritate ſcripta ſunt. Sic in veteri teſtamento Pontifices ſummi in cathedra moſaica ſedentes decreta & ſtatuta condidere, quæ Deus probavit, confirmavitque, ut legitur Deut. cap. xIx. *Qui noluerit Sacerdotis imperio obedire, ex decreto iudicis moriatur.* Et Chriſtus Dominus *Matth.* xxIII. inquit. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Hoc modo Chriſtus Dominus in novo teſtamento ſuos Vicarios conſtituit ſummos Pontifices, & œcumenica Concilia, quibus commiſit ut decreta, & canones ederent, quos ſua auctoritate & ſigillo confirmat; ut teſtatur *Luc. cap.* x. his verbis : *Quis*

Digitized by Google

vos audit, me audit: & Matth. cap. XVIII. *Qui Eccleſiam non audit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

III. Scriptura itaque ſacra, quam Deus per recenſitos Scriptores dictavit, appellatur modo *Verbum Dei*, quia a Deo dictata eſt; modo *Teſtamentum Dei*, quia in eodem infinitam hereditatem nobis ſpondet, ſuamque declarat voluntatem; modo *Scriptura divina*, quia per ſpiritum Dei inſpirata eſt; modo *Scriptura ſancta*, quia omnia in eo contenta ad ſanctificationem hominum ordinata ſunt. Dicitur quoque *Lex divina*, quia legem datam & Iudæis, & Chriſtianis enarrat. Vocatur denique *Biblia*, nempe libri a voce græca Βιβλίον.

IV. Hæc Scriptura ſacra conſtat ex definitione Eccleſiæ Libris LXXII. quorum XLV. conſtituunt teſtamentum vetus, ceteri XXVII. novum teſtamentum componunt. Dividuntur in legales, hiſtoriales, ſapientiales, & prophetales. In prima claſſe ponitur Moyſis Pentateuchus. Ad ſecundam attinent libri Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, unus Tobiæ, Iudith, Eſther, Iob, duo Machabæorum. Ad tertiam pertinent Pſalterium, Proverbia, Cantica, Eccleſiaſtes, Sapientia, Eccleſiaſticus. In quarta collocantur Iſaias, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, & duodecim Prophetæ minores. Simili partitione dividitur novum teſtamentum. Siquidem ad legales quatuor Evangelia; ad hiſtoriales Acta Apoſtolorum; ad ſapientiales quatuordecim S. Pauli epiſtolæ, S. Petri duæ, S. Ioannis Apoſtoli tres, S. Iacobi Apoſtoli una, S. Iudæ Apoſtoli una; ad Prophetales Apocalypſis S. Ioannis Apoſtoli revocantur. Hos Libros omnes canonicos eſſe definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* IV.

V. Senſus ſacræ Scripturæ multiplex. Prima diviſio eſt in litteralem, & ſpiritualem, ſeu myſticum. Diviſionis rationem ex Patribus hauſtam tradit S. Thomas *I. Part. quæſt.* I. *art.* 10. his verbis. *Auctor enim ſacræ Scripturæ eſt Deus, in cuius poteſtate eſt ut non ſolum voces ad ſignificandum accommodet (quod etiam homo facere poteſt) ſed etiam res ipſas. Et ideo cum in omnibus ſcientiis voces ſignificent, hoc habet proprium iſta ſcientia, quod ipſæ res ſignificatæ per voces etiam ſignificant aliquid. Illa ergo prima ſignificatio qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui eſt ſenſus hiſtoricus, vel literalis: illa vero ſignificatio qua res ſignificatæ per voces, iterum res alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis qui ſuper litteralem fundatur, & eum ſupponit.*

VI. Rurſus ſenſus ſpiritualis dividitur in allegoricum, tropologicum ſeu moralem, & anagogicum. Senſus *litteralis* eſt qui immediate per ipſa verba ſignificatur. *Spiritualis* ſeu *myſticus* ille eſt, quem efferunt res ſignificatæ per verba. *Allegoricus* eſt, iuxta quem geſta aliqua veteris teſtamenti quidpiam ſignificant faciendum in novo, ut exaltatio ſerpentis in deſerto portendit Chriſtum in cruce exaltandum. *Tropologicus* ſeu moralis eſt qui morum integritatem ſpectat.

Ana-

Digitized by Google

Anagogicus ea quæ ad æternam gloriam attinent ſignificat. Senſus litteralis alius eſt grammaticalis, ut hic, *Littera occidit*: qui interdum falſus eſſe poteſt, quia non intentus a Spiritu ſancto. Alter theologicus, quem ut intentum a Spiritu ſancto Theologi conſiderant, quique numquam falſus eſſe poteſt. Senſus metaphoricus, ſeu figuratus continetur ſub litterali improprio. Senſus litteralis proprius eſt quem verba preſſe accepta ſignificant, ut ſunt hæc: *Diliges Dominum Deum tuum*. Improprius eſt, ſeu metaphoricus, cuius verba a ſua propria ad impropriam ſignificationem transferuntur, ut hæc: *Oves meæ vocem meam audiunt*. Oves metaphorice populum fidelem perhibent. Rurſus allegoria altera vocum, altera rerum eſt. Recenſiti quatuor ſenſus his duobus verſibus comprehenduntur.

Littera geſta docet: quid credas, allegoria:
Moralis quid agas: quid ſperes anagogia.

Hæc ſola vox *Ieruſalem* quadruplicem præfatum ſenſum exprimit. Nam litteraliter metropolim Paleſtinæ urbem, *allegorice* Eccleſiam, *tropologice* animam iuſti, *anagogice* cæleſtem patriam ſignificat. Plures pro diſcernendo genuino ſacræ Scripturæ ſenſu regulas aſſignant Interpretes, quos conſulere poteris.

VII. De authentica ſacrorum codicum editione pauca perſtringam. Nulla hodie reperiuntur ſacræ Scripturæ autographa, ſed omnia apographa, diverſa lingua edita, nempe Hebraica, Græca, Latina, & vernacula. Sub Hebraica continentur Chaldaica, Syriaca, & Samaritana. Ad Græcam revocantur plures verſiones, quarum princeps illa eſt ſeptuaginta Interpretum: ſuccedunt aliæ, nempe *Aquilæ*, *Theodotionis*, *Symmachi*, *Origeniana*, *Luciani Martyris*, & aliæ. Verſiones Latinæ iam a tempore S. Auguſtini tot obtinebant, ut numerari vix poſſent. Duæ tamen eminebant. Una *Itala*, quam S. Auguſtinus *latinam*, S. Hieronymus *communem*, S. Gregorius *veterem*, Oroſius *vulgatam* appellat: & iſtius uſus frequentiſſimus in Eccleſia erat. Altera, quam edidit S. Hieronymus. Contentio fervebat in Eccleſia, quænam ex his duabus præferenda eſſet. Pro *Itala* S. Auguſtinus, pro *Hieronymiana* S. Iſidorus ſtabat. Viri eruditi non pauci contendunt, *Italam* verſionem numquam extitiſſe in Eccleſia, mendumque in Auguſtini verba amanuenſium vitio irrepſiſſe. Legendum enim putant, *ita illa*, non vero *Itala*. Sed mea non intereſt hanc diſpicere controverſiam. Circiter tempora S. Gregorii Magni, aut non longe poſt, conflata tertia editio eſt, quæ *Vulgata* noſtra eſt plurium ſæculorum uſu in Eccleſia recepta, & in Tridentino Concilio probata, & authentica declarata. *Vernacula* illa eſt quæ in cuiuſque nationis linguam verſa eſt, ut Italica, Gallica, Germanica, Anglica, Hiſpanica.

VIII. Sola vulgata, ab Eccleſia declarata authentica, ea eſt unde Theologus

eruere ſuas concluſiones debet. Quare in morum ac fidei diſciplina non licet ab authentica noſtra ad exemplaria Græca vel Hebraica appellare: tum quod incredibiles ex hoc recurſu manarent diſſenſiones, & turbæ ob Interpretum varietatem, ut patet in hæreticorum verſionibus: tum quia illa ſola pro authentica haberi debet quæ Eccleſiæ iudicio talis declarata eſt; alioquin perpetua confuſio, & ingens eſſet in Eccleſia diſcordia. *Non eſt verum quod variat*, inquit S. Hieronymus *epiſ. ad Damaſum*. Olim frequens erat ad Hebraicam, vel Græcam verſionem recurſus ob magnam Latinorum Codicum diſcrepantiam. In præſentia autem univerſa catholica Eccleſia abſque ulla diſſenſionis vola in vulgatam verſionem conſentit.

IX. Diſputant Theologi, num omnes apices, ſyllabæ, & particulæ ſint Spiritu ſancto afflante ſcriptæ? Sixtus Senenſis, Melchior Cano, Bellarminus, Vega, & alii contendunt, plura eſſe in Scriptura ſancta non ab ipſo Spiritu ſancto dictata, ſed ab ipſis Scriptoribus ſacris ad libitum expreſſa, aſſiſtente tamen Spiritu ſancto, & providente, ne quid falſum, ne quid vitioſum, ne quid reprehenſibile, ne rem pro re, verbum pro verbo, litteram pro littera ſcriberent. Oppoſita ſententia mihi eſt probabilior, videlicet non ſolum res & ſententias, ſed omnia uſque ad minimos apices eſſe a Spiritu ſancto dictata. Hæc eſt communior Doctorum ſententia, quæ ex ipſis ſacris Scriptoribus colligitur. Siquidem Prophetæ frequenter teſtantur, ut Iſaias, Ieremias, Ezechiel, & alii. *Hæc dicit Dominus*. *Factus eſt ſermo Domini ad me*. Sanctus Petrus *epiſ.* II. *cap.* I. inquit: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Item S. Paulus *II. ad Timoth. cap.* III. ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*. Verum diſſidium iſtud eiuſmodi non eſt, ut longiorem requirat diſputationem. Quandoquidem penes omnes convenit, vel minimos apices ab errore & falſitate immunes eſſe. Quod poſtea Scriptores ſacri has particulas, reſque minimas ſcripſerint vel Spiritu ſancto inſufflante, & dictante, vel aſſiſtente, & providente ne errarent, res tanti non eſt, ut accuratiorem inſtituere diſcuſſionem debeamus, præſertim quod pauca & obiter tantum de Scriptura perſtringimus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Cur Deus non tantum in tabulis cordium, ſed etiam in tabulis externis legem ſuam ſcribendam diſpoſuerit. Ingens deceptio plurimorum Caſuiſtarum, qui neglectis divinis Scripturis opiniones hominum amplectendas proponunt.

I. PLuſquam viginti ſæculorum intervallo ſolo interno ſuo afflatu primos Patriarchas, noſtroſque maiores Creator omnium & Magiſter ſapientiſſimus Deus legem ſuam docuit. Nulla tum lex ſcripta, nulli codices, nulla Theologorum, nulla Caſuiſtarum diſputatio. Voce divina intus reſonante regebantur homines. Nullum tum verbum ſcriptum, ſed traditum tantum a Deo Patriarchis, a Patriarchis filiis, a filiis nepotibus perenni & non interrupta ſucceſſione obtinuit. Quod ſolum argumentum extremo ſuffundere pudore debet novatores Septentrionales, quos cæca temeritate divinas pernegare traditiones non pudet. Creſcente in dies hominum pravitate, eo ſcelera & flagitia pervenere, ut divina mandata, humanorum cordium tabulis impreſſa, obſcuraverint, & quaſi deleverint. Ebulliere continuo laxæ & depravatæ opiniones, & ſophiſmata humano ingenio parta, quæ vim legis obtinebant. Porro, ut has ignorantiæ tenebras atque teterrimam cæcitatis caliginem divina clementia diſſiparet, deletaque ex animo infuſa documenta inſtauraret, non amplius interno afflatu eſt uſus, ſed legem extrinſecus ſcriptam rogavit, ſervandamque impoſuit Moyſis miniſterio. Hac eadem methodo Redemptor noſter uſus eſt. Sola ſua voce Apoſtolos, atque diſcipulos docuit, imbuit, erudivit. Nihil ipſis ſcriptum, ſed ſanctiſſima ſua mandata, divina conſilia, & altiſſima arcana ore proprio explicata, animorumque tabulis impreſſa reliquit. Ad Patrem regrediens ſpopondit, ſe miſſurum e cælo non legem aliquam ſive ſcriptam, ſive ſcribendam, ſed Spiritum ſanctum, qui lucis plenitudine illorum perfunderet mentes, qui inflammaret divini amoris igne eorumdem corda, doceretque omnia ſcitu neceſſaria. *Paraclytus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia:* Ioan. XIV. Hoc interiori afflatu edocti, hac divina flamma ſuccenſi Apoſtoli ſancti abſque codicibus, abſque libris per univerſum orbem diſperſi, Chriſti doctrinam promulgarunt.

II. Primus omnium S. Matthæus Evangelium ſcripſit lingua Hebraica, quæ tum obtinebat, vocibus Chaldaicis, & Syriacis mixta, non quod abſolute neceſſarium id iudicaret, ſed ut indulgeret Iudæis ad Chriſti fidem converſis, qui Re-

dem-

Digitized by Google

demptoris acta legere ſummopere optabant. Marcus, Lucas, & Ioannes lingua Græca ſcripſerunt, plurimis barbaris nationibus ignota. Nec ceteri Apoſtoli hæc Evangelia in aliena idiomata verterunt, ſed dogmata & præcepta, quæ cordibus impreſſa habebant, nationum cordibus imprimere ſatagebant. Accedit quod ſacri Evangeliſtæ non omnia ſcriptis commendaverint, ſed plura Eccleſiæ cuſtodienda abſque ſcripto reliquerint.

III. Quæ hactenus perſtrinxi, Patres docent. Primus omnium S. Ioannes Chryſoſtomus in medium prodeat. Is *hom.* 1. *in cap.* 1. *Matth.* hæc ſcribit. *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus ſancti uteremur: & ſicut atramento illi, ita corda noſtra inſcriberentur a Spiritu. Quia vero hanc a nobis excuſſimus gratiam, age vel ad ſecundam navigationem animum adiiciamus. Equidem quod primum illud fuerit profecto ſublimius, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit. Nam & Noe, & Abrahæ, eiuſque poſteris, & Iob, & Moyſi, non per litteras, ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda repererat. Poſtquam vero omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſario iam inde litteræ dantur, ac tabulæ, & ea quæ per has adminiſtratur admonitio. Et hoc non tantum veteris teſtamenti Sanctis, ſed etiam novi accidiſſe perſpicimus. Siquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquod tradidit Chriſtus, ſed pro litteris, ſancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit.* Ille, *inquit*, docebit vos omnia. *Atque ut diſcas quia hoc multo ſit illo melius, audi Dominum per Prophetam loquentem.* Et diſponam, *inquit*, vobis teſtamentum novum. Dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perſcribam eas: & erunt omnes docibiles Dei. *Paulus quoque hanc eminentiam deſignando dicebat ſe accepiſſe legem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Quia vero progrediente iam tempore alii quidem propter dogmata, alii vero propter vitam, & mores graviter impegerunt, ea rurſus quæ conſtat litteris admonitione fuit opus. Iam vero conſidera quam ſit extremæ omnino dementiæ ut qui tanta deberemus vitæ perfectione pollere, ut nihil prorſus litteris egeremus, ſed ſcribenda Spiritui ſancto corda pro paginis præberemus: quale, inquam eſt, ſi quia illam perdidimus dignitatem, & minoribus indigemus, ne ſecundo quidem remedio ad noſtram utamur ſalutem. Si enim illis egere, & non gratia Spiritus ſancti ſplendere, culpabile eſt; vide quanti ſit criminis nec per illud auxilium velle proficere, ſed quaſi fruſtra, ac varie poſita cæleſtia ſcripta deſpicere, & maius abſque dubio ſubire ſupplicium.

IV. Hæc ultima Chryſoſtomi documenta omnium Chriſtianorum, ſed potiſſimum plurium Caſuiſtarum mentibus altius impreſſa ſint oportet. Non modo Doctor, verum etiam Propheta, ad hoc quod attinet, Chryſoſtomus extitit. Quoniam

niam quod ille portendit, reipſa reſpectu aliquorum contigit. Amiſimus primam dignitatem, accipiendi nempe conſcientiæ noſtræ conſilia, & regulas ab ore ipſius Dei. Hominum ſuperbia interrupta eſt illa interior locutio, & proxima illa diſciplina, qua Deus per ſeipſum loquebatur Patribus noſtris. Scriptæ leges ſunt, non cordium tabulis, ſed in papyri foliis, tamquam ſecundum remedium, quo ab erroribus, & ignorantia liberati in veritatis ſemitam reducamur. Quid, ſi neque hoc ſecundo remedio proficeremus? clamat Chryſoſtomus. Quale & quantum hoc crimen eſſet? Et tamen quot ſunt qui divinis Scripturis neglectis, ſuas in conſcientiis dirigendis conſulunt cogitationes?

V. Scripturæ ſanctæ falſis hominum interpretamentis obnoxiæ ſunt, cum plures ſubire ſenſus valeant. Huic incommodo ſapientiſſimus Magiſter noſter Chriſtus providit. Conſtituit ille Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, & Scripturarum Interpretes, ſanctos inſuper Patres, Concilia, & Pontifices ſummos, qui legis ſuæ ſenſus ſublimes declarent. Duodecim ſæculorum ampliſſimo intervallo Patrum, Epiſcoporum, Conciliorum, Pontificum ſcripta divinis conſtant Scripturis, ad populorum captum explanatis. Sæculo XIII. primi Theologiæ ſcholaſticæ Auctores nihil reſolverunt in dogmatum, & præceptorum controverſiis, Scripturis ſanctis inconſultis. Tanta mentis indagine in divinas Scripturas incumbebant primi Theologiæ ſcholaſticæ Doctores, ut illas memoriter diſcerent. Hoc ſæculo in lucem prodiit prodigioſum illud opus quod *Concordantiæ Scripturarum* nuncupatur, cuiuſque Auctor fuit Hugo de S. Charo O. P. & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

VI. S. THOMAS AQUINAS Eccleſiæ Doctor, & Scholaſticorum facile Princeps opera ſua theologica tanta Scripturarum copia ornavit, ſeu verius ex divinis Scripturis tanta perſpicuitate opera ſua derivavit & collegit, ut illas omnes memoriter præſentes habuiſſe, luculenter appareat. Breviſſimæ digreſſionis facultas concedatur. Advocavit Aquinas ancillas quoque ad arcem, Philoſophorum ſcita frequentiſſime adhibuit, ſic ferente illorum temporum conditione, immo etiam ſic poſtulante religionis noſtræ propagatione faciliori. Revincendi tum infideles erant illorum propriis principiis, demonſtrandaque fidei cum ratione concordia. Huic autem ſcopo quid accommodatius quam Philoſophorum doctrinæ uſus? Quandoquidem ſi verum vero non opponitur, oſtendendum erat, divinas Scripturas nullo modo cum ratione pugnare, ſed mirabili fœdere coniungi. Quid ergo garriunt moroſi & vaniſſimi cenſores, S. Thomæ Summam nimium ſcatere Philoſophorum doctrinis? Sibilis, non argumentationibus deridendi ſunt blaterones ſane leviculi, quos S. Thomæ ſingularem & angelicam dotem carpere non pudet. Enimvero quænam ad retundendam infidelium ſuperbam dicacitatem, & ad labefactanda adverſus religionem noſtram ſophiſmata, & dicteria efficacior ar-

Digitized by Google

argumentatio præ illa quam S. Thomas adhibuit? Unum ex potiſſimis ev angelicæ legis credibilitatis argumentis eſt eiuſdem cum ratione conformatio. Si Aquinas, divinis Scripturis neglectis, Philoſophorum teſtimonia adduceret in medium ad confirmanda *theologica dogmata*, dignus ſane reprehenſione foret. At provoco moroſos cenſores, ut vix unum & alterum articulum ex univerſis operibus theologicis S. Thomæ afferant Scripturarum teſtimoniis vacuum. Quod porro divinis Scripturis rationes & Philoſophorum ſententias adiungat ad religionis veritates confirmandas, muniendaſque, hoc ne cenſura dignum? Id viris ineptiſſimis apparere poteſt. At contra docti eruditique homines hanc ratiocinii cum fidei articulis concordiam, tam luculenter ab Aquinate depictam, vix efferri dignis præconiis poſſe exiſtimant. Sed hæc per tranſennam, & eo unde digreſſa oratio eſt, revertatur.

VII. Non modo S. Thomas, ſed communiter illius ſæculi & poſterioris etiam Theologi indefeſſi fuerunt in Scripturarum ſtudio, eorumque opera ſancto Dei Verbo undique redundant una cum rationibus a iuris naturalis ſcientia repetitis. Verum labente ſæculo XIV. Theologi plures tum Scholaſtici, tum Moraliſtæ, neglectis Scripturis, totos ſe dederunt humanis ratiociniis, & volumina innumera evulgarunt plena metaphyſicis ſubtilitatibus, ſophiſticis ratiunculis, & opinionibus humanis: quæ proinde non Dei, ſed hominum doctrinam continent.

VIII. Sed, quod amarioribus lacrymis lugendum eſt, non modo Caſuiſtæ plures amiſerunt primam & ſecundam dignitatem, non modo neglexerunt divinarum Scripturarum remedium, verum etiam neglexere vel ipſos ſacros Interpretes Eccleſiæ, nempe SS. Patres, Concilia, ſummorum Pontificum conſtitutiones. Immenſam caſuum congeriem excogitarunt; diſputationum catenas texuerunt, & medullas reſolutionum propria mente fabricarunt: ſe ſe mutuo in præſidium advocant, & fœdere inito, ſolam recentiorum Caſuiſtarum multitudinem probabiles efficere honeſtatis regulas contendunt non pauci. Sed quid dico recentiorum multitudinem? Eo progreſſa eſt opinandi licentia, ut duo vel tres in hac nova opinandi arte doctiſſimi ſufficiant loco divinarum Scripturarum, SS. Patrum, Pontificum, & Conciliorum ad dirimendas æternæ ſalutis noſtræ controverſias. Quid, ſi hac ætate S. Ioannes Chryſoſtomus viveret? Quas zeli flammas non emitteret, quæ eloquentiæ iacula non intorqueret contra hanc inauditam opinandi formam? Doluit eo prolapſos eſſe homines, ut adminiculo legis ſcriptæ indigerent. Quid, ſi neque hoc ſecundo remedio Scripturarum uteremur ad ſalutem? *Si enim illis egere, & non gratia Spiritus ſancti ſplendere culpabile eſt; vide quanti ſit criminis nec per illud auxilium velle proficere, ſed quaſi fruſtra ac vane poſita cæleſtia ſcripta deſpicere, & maius abſque dubio ſubire ſupplicium.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Scripturæ divinæ, ſanctorum Patrum neglectus, & humanæ rationis præſumptio radices ſunt laxioris Ethices.

I. S. Ioannis Chryſoſtomi doctrinam confirmat S. Auguſtinus, qui hæc in *Pſal.* lvii. ſcribit ſub initium enarrationis. *Omnibus enim tamquam in concione generis humani veritas clamat :* Si vere utique iuſtitiam loquimini, recta iudicate filii hominum. *Cui enim iniquo nondum facile eſt loqui iuſtitiam? Aut quis de iuſtitia interrogatus, quando non habet cauſam, non facile reſpondeat, quid ſit iuſtum? Quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit : Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde iudicarentur & quibus lex non eſſet data. Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in tabulis quæ in cordibus non legebant : non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quod in conſcientia videre cogerentur, & quaſi forinſecus admota voce Dei, ad interiora ſua homo compulſus eſt, dicente Scriptura :* In cogitationibus enim impii interrogatio erit. *Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris ſunt, etiam a ſeipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique eſt comprehenderis, & ad te ipſum intro revocaris.* Hanc eamdem doctrinam luculentius tradit Auctor Lib. quæſt. vet. & nov. teſtam. quæſt. iv. *Ubi naturalis lex evanuit conſuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifeſtari, ut in Iudæis omnes audirent, non quod penitus obliterata eſſet, ſed quia maxima eius auctoritate carebant.*

II. Quia igitur homines paucas illas, & ſimplices leges intus in eorum cordium tabulis ſignatas conſulere noluerunt, ſcripta extrinſecus lex fuit. Verum hanc quoque negligere, aut propriis ratiociniis obſcurare, adulterare, corrumpere pertentarunt homines plures. Alii, ut illam propriis appetitionibus inflecterent, incredibilia paradoxa excogitarunt. Sed cur malunt homines propriæ rationi quam Scripturarum, & Patrum auctoritati in morum controverſiis definiendis fidere? Quia ratio mentis ob intimam cum voluntate & appetitu connexionem negotium voluptatis promovet, domeſticis amicis favet, eorumque inclinationibus indulget. Contra divinæ Scripturæ, ſanctique Eccleſiæ Patres divini Legislatoris cauſſam orant, dura & difficilia præſcribunt, carnem affligunt & ſanguinem, & perpetuo contra ſenſus pugnant. En reſeratum arcanum, cur homines plures malunt ſuas ratiunculas quam divinas Scripturas conſulere.

Digitized by Google

III. Porro quantum iſti a veritate aberrent, declarat S. Thomas *quodlib.* IV. *artic.* 18. ubi conſtituit principia unde Theologus ſuas haurire concluſiones debet, eſſe doctrinam divinitus revelatam in Scripturis ſanctis. *Videtur quod magiſter determinans quæſtiones theologicas magis debeat uti auctoritatibus quam rationibus. Quia in qualibet ſcientia quæſtiones optime determinantur per prima principia illius ſcientiæ. Sed prima principia Theologiæ ſunt articuli fidei, qui nobis per auctoritatem innoteſcunt.* Et poſt plura hæc ſubdit. *Quilibet actus exequendus eſt ſecundum quod convenit ad ſuum finem. Diſputatio autem ad duplicem finem poteſt ordinari. Quædam enim diſputatio ordinatur ad removendam dubitationem, an ita ſit: & in tali diſputatione theologica maxime utendum eſt auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus diſputatur ... Si autem nullam auctoritatem recipiunt, oportet ad eos convincendos ad rationes naturales confugere. Quædam vero eſt diſputatio magiſtralis in ſcholis, non ad removendum errorem, ſed ad inſtruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis. Et tunc oportet rationibus inniti inveſtigantibus veritatis radicem, & facientibus ſcire quomodo ſit verum quod dicitur: alioquin ſi nudis auctoritatibus magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita eſt; ſed nihil ſcientiæ, vel intellectus acquiret, ſed vacuus abſcedet.*

IV. Duo hic ab Angelico Doctore traduntur ſumma digna animadverſione. Uſum tum auctoritatis, tum rationis neceſſarium Theologo aſſerit, hoc præſtituto ordine, ut auctoritas præire, ſequi vero ratio debeat. Doctrina divinitus revelata rationem ipſam illuſtrat, vivificat, dirigit. Ratio vero ſic inſtaurata auctoritatem divinæ Scripturæ luculentiorem efficit, fortius defendit, promovet, amplificat. Ancilla dominæ inſervit, & domina ancillæ miniſterio ſplendidior fulget, & facilius hominum mentes ingreditur. Verum cum ancilla ſuperbiuſcule inflata præcedere dominam, & ſublimis atque incognitæ viæ receſſus penetrare audet, continuo claudicat, atque præceps ruit. In hoc impedito, & continuis anfractibus obſito tramite, maiorum veſtigiis, ut pericula & præcipitia declinentur, inſiſtendum eſt, quemadmodum divinæ ipſæ Scripturæ admonent Deuter. XXXII. *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi.* Item Eccleſiaſt. cap. VIII. *Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum.* Rurſus Salomon Prov. III. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Quæ repetit Paulus Apoſtolus & ad Rom. XII. *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos:* & I. ad Corinth. I. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

V. Divinis Scripturis concinunt Patres. S. Auguſtinus *Lib. de mor. Eccl. cap.* XII. inquit: *Quamlibet rationis acumine polleamus, naturæ ordo ita ſe habet, ut dum aliquid diſcimus, rationem præcedat auctoritas.* Et iterum *cap.* XXV. ſubdit:

Digitized by Google

dit : *Unde illud exoritur quod ab initio ſatis egimus , nihil in Eccleſia catholica ſalubrius fieri quam ut rationem præcedat auctoritas* . Innumera alia Patrum teſtimonia prætereo prolixitatis vitandæ gratia.

VI. Non multis opus eſt ut evincam , hunc Scripturarum , & ſanctorum Patrum neglectum laxatæ Ethices , corruptæque diſciplinæ radicem eſſe . Ecqui enim fieri umquam poteſt ut limpidi ſint rivuli qui non a limpida , ſed lutulenta fonte manant ? Humana ratio , ut ſuperiori diſſertatione palam feci , undique tenebris, & caligine circumfuſa , affectuum internorum , & pravarum appetitionum præſtigiis, & proprii amoris & voluptatis deguſtandæ lenociniis faſcinata , occultiſſima & efficaciſſima vi inſtigatur , inflectitur , detorquetur ad eas fucandas, & honeſtandas opiniones quæ humanis obſecundant cupiditatibus . Numquid ex his turbulentis fontibus caſtiſſima & limpidiſſima proficiſci veritas poteſt ? Quid itaque mirum , ſi plurium Caſuiſtarum volumina laxis & erroneis opinionibus , quæ recenſitis vitioſis principiis conceptæ & partæ ſunt , ſcateant . An planta vitioſa & venefica edere fructus bonos valet , nullo antidoto adhibito ? Remedium humanæ rationis a divinis Scripturis, a doctrina ſanctorum virorum repetendum eſt . Hoc remedium negligunt Caſuiſtarum non pauci , & ſolam infirmam , vulneratam , & vitiatam rationem conſulunt . Idcirco laxa paradoxa , & inaudita commenta evulgarunt , quorum plura apoſtolico anathemate confixa ſunt .

VII. Sed quænam eſt prima & potiſſima tantorum malorum origo ? Peccatum originale, ſeu ſuperbia, quæ animum noſtrum ſupra ceteros effert , illumque tumentem inflatumque reddit . Superbia itaque turgidi cum ſimus , omnes faſces ſubmittere ceteris naturæ impetu reſpuimus ; ſed eminere & coruſcare ſupra omnes appetimus , non ſecus ac protoparens noſter Adam : & amicabili benevolentia placendi hominibus, a quibus ſuſpici , acclamari, & haberi tamquam magiſtri ſupremi cupimus, opiniones ſuaves, dulces, benigniſſimas excogitamus, neglectis divinis Scripturis , & univerſæ ſacræ antiquitatis documentis . Sed hanc ſuperbiam noſtram redarguunt omnes viri ſancti . Salomon omnium ſapientiſſimus, ſuæ obſcuratæ rationis conſcius, a Deo humillimo obſequio, & ferventiſſimis precibus ſapientiæ ſpiritum implorabat. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocavi , & venit in me ſpiritus ſapientiæ . . . Præpoſui illam regnis, & ſedibus , & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius* . Sap. VII. SS. Auguſtinus , & Thomas Aquinas, ut ceteros omnes ſileam, iuges preces Deo fundebant , quo germanam Scripturarum interpretationem, & divinas tum fidei, tum morum veritates aſſequi poſſent . Meditare hæc omnia ex una, ex altera parte ingentem hominum turbam, qui nec ingenio, nec eruditione, nec morum integritate cum Salomone , cum Auguſtino, cum Thoma , ceteriſque viris ſanctis comparari ullo

Digitized by Google

lo modo valent; ſed ſunt. pumiliones in conſpectu gigantum, & noctuæ in conſpectu Solis: & tamen elato ſupercilio non reformidant novas cudere opiniones cum antiquorum doctrina pugnantes, & Chriſtianorum conſcientias novis invectis regulis moderari, viaſque novas patribus noſtris incognitas aperire. Adverſus eiuſmodi Moraliſtas uſurpare effatum illud poſſumus quod contra Abaylardum adhibuit S. Bernardus. *Quaſi vero novus iſte novarum inventor aſſertionum, & aſſertor inventionum invenire rationem potuerit quæ Sanctos latuerit.* Divinæ Scripturæ tum veteris, tum novi fœderis paſſim nos admonent ut antiquorum ſemitis inſiſtamus, ſummaque vigilantia evitemus illos qui nos beatos dicunt, & blandis lenociniis arctæ viæ aſperitatem temperare, immo & laxare ſtudent. Ut hereditariæ ſuperbiæ præſtigiis occurramus, profunda humilitate opus eſt, ut infra latius explicabo.

CAPUT IV.

Quomodo divinæ Scripturæ in aliquibus obſcuræ, & paſſim manifeſtæ ſint. Multitudo, & contrarietates opinionum ſæpe non tam ex Scripturarum obſcuritate, quam ex hominum vitio oriuntur. Animo humili, & divina gratia implorata legendæ ſunt Scripturæ ſanctæ. Doctrina P. Elizalde *de Suitatibus exponitur. Nova opinandi methodus rectis interpretandæ Scripturæ regulis adverſatur.*

I. VIX legum aliqua in lucem prodiit umquam, quin duas continuo exceperit interpretationes, negantem unam, adfirmantem alteram, utramque interdum, & alterutram ſemper neceſſario falſam. Lex aſſimilari matri Eſau, & Iacob, in eius utero collidentium poteſt. Eſau inſtar belluæ hiſpidus, & reprobus falſitatem præfert cum veritate electi Iacob rixantem, & matris legis viſcera dilacerantem. Pugnam iſtam acerrimam perpetuamque verum inter & falſum nihili facit Probabiliſmus, qui a veritate & falſitate abſtrahit, & ſuis contrariis probabilitatibus vitia & virtutes inaudito fœdere copulat ignorantia invincibili lenocinante. Porro quod hæc opinionum diſſidia, hæc interpretationum contrarietas, non ex divinarum Scripturarum obſcuritate, ſed ex hominum imbecillitate, vitio, & ſuperbia plerumque proficiſcatur, demonſtrandum mihi in præſentia eſt.

II. Primum omnium refellenda eſt hæreticorum inſania. Contendunt hi divinam Scripturam omnibus indiſcriminatim perviam & intelligibilem eſſe. Concedunt

Digitized by Google

dunt aliqua eſſe obſcura ; fidei tamen dogmata, & morum præcepta abſque erroris periculo intelligi ab omnibus, omni exceptione ſublata, effutiunt. Quam falſum hoc ſit, nemo non videt. Nam plures, & plurimi ſunt qui mentis oculos ad ea intelligenda recte diſpoſitos non habent, & ſtudio, oratione, ac ceteris dotibus ad hoc ſtudium neceſſariis carent. S. Auguſtinus ex inſtituto hanc controverſiam verſat *Lib. II. de doctr. chriſt.* Ibi, cur plura divinæ Scripturæ oracula obſcura ſint, & ſigna obſcuritatis manifeſtat. Inquit autem *cap.* VI. ideo divinam providentiam plura arcana obſcura voluiſſe, ut & mentem noſtram exerceret, & tumentem ſuperbiam reprimeret. *Quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt.* Sed S. Petrum Apoſtolum audiamus epiſ. II. cap. III. *Cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur, fratres, præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.* Quænam hæc difficilia in Paulinis epiſtolis? Illa recenſet S. Petrus *cap. cit.* quæ ſunt de tempore adventus Domini, de cælorum combuſtione, & alia quæ iudicii diem ſpectant. De his arcanis ſunt quædam difficilia, inquit S. Petrus in Pauli epiſtolis. His præmiſſis, dicimus, ea quæ in Scripturis ſanctis continentur ad fidem & mores neceſſaria, plerumque clara eſſe & manifeſta illis qui ingenio, ſtudio, humilitate, & aliis prærogativis præditi ſunt. Reſpectu vero illorum qui aut vitiis, aut præoccupationibus præventi ſunt, ut hæretici, aut ignorantia, & ſtupiditate obducti reperiuntur, etiam luculenta obſcura ſunt. Quis autem ſit legitimus iudex definiendi ea quæ obſcura ſunt, dicam infra loco opportuno. Doctrinam hanc conceptis verbis docet S. Auguſtinus *cit. Lib. II. cap.* IX. his verbis. *Deinde illa quæ in eis aperte poſita ſunt vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertius diligentiuſque inveſtiganda ſunt. Quæ quanto quiſque plura invenit, tanto eſt intelligentia capacior. In iis enim quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa OMNIA quæ continent fidem, moreſque vivendi, ſpem ſcilicet, atque caritatem.* Hoc idem docent ceteri Patres. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* III. *de Laz.* inquit: *Cui enim non ſunt manifeſta quæcumque in Evangelio ſcripta ſunt? Quis autem audiens, beatos eſſe mites, beatos miſericordes, beatos mundo corde, ceteraque huiuſmodi, deſiderabit præceptorem, ut aliquid eorum diſcat quæ dicuntur? Quin etiam ſigna, miracula, hiſtoriæ nonne cuivis nota, manifeſtaque ſunt?*

III. Duo ergo extrema cavenda. Primum hæreticorum, qui contra ipſam communem & luculentiſſimam experientiam omnium ſæculorum contendunt,

Scripturas divinas eſſe omnibus indiſcriminatim perſpicuas, & clariſſimas, atque ab ipſis mulierculis legendas. Quo nihil dementius excogitari poteſt. Nonne quælibet ex innumeris ſectis chriſtianis pro ſe ſemper Scripturas iactavit? Voluit enim Deus plura ex divinis Scripturis obſcura & profunda eſſe, ut in eis ſcrutandis & meditandis exerceret humana ingenia, ut hominum reprimeret ſuperbiam, ut venerationem, & maieſtatem Scripturis ipſis conciliaret, aliaque rationum momenta. Secundum illorum qui prætextu obſcuritatis, divinarum Scripturarum ſtudium cum propriæ ſalutis diſpendio negligunt.

IV. Ut vero rationibus confirmem, divinas Scripturas in iis quæ morum & fidei regulas ſpectant, communiter obvias & perſpicuas eſſe: nonne vel ipſi Legumlatores humani ſuas leges verbis perſpicuis, & phraſi luculenta & obvia exprimere ſatagunt, ut contrariarum interpretationum & diſſidiorum occaſionem ſubtrahant? Nonne, ut id præſtent, eruditiores, doctiores, prudentioreſque viros ſeligunt, qui leges ſcriptis conſignent tali oratione, & verborum delectu, quo percipi, & intelligi vel ab ipſo populo, pro cuius regimine conduntur leges, valeant? Hunc profecto in finem ſuas Deus, & Eccleſia leges condidere, ut ſcilicet intelligantur a fidelibus, qui exequi & ſervare eaſdem debent. Et hac eadem ratione ſancti Eccleſiæ Patres ſcripta ſua edidere, ut populos docerent, & erudirent. Alterutrum ergo fatendum: aut divinas Scripturas, ad mores componendos neceſſarias, perſpicuas eſſe atque intelligibiles ab illis quibus traditæ ſunt; aut Deum, Eccleſiam, & Patres ignoraſſe (quæ horrenda blaſphemia eſt) modum planum & obvium quo conceptas leges congrua & obvia locutione exprimerent, atque intelligibiles populis redderent. Et ut iſtius argumentationis vim evidentius comprehendas, amici ad amicos, mercatores ad mercatores, Principes ad urbium Præfectos negotia etiam difficilia ſcribunt, & perſpicue exponunt. Niſi homines in graviſſimis etiam mundi negotiis ſenſa ſua declarare ſcirent, continuo ſocietas, convictus, fœdera, communicatio ruerent, & civile regimen intercideret. Quis ergo dixerit, Deum in ſuis epiſtolis dictandis Scriptoribus ſacris neceſſaria perſpicuitate uſum non fuiſſe? Inconcuſſa, inquis, eſt argumentatio; ſed experientia tot contrariarum interpretationum oppoſitum ſuadet. Turpiter falleris. Contrarietas interpretationum, & opinionum ſæpe non obſcuritatem in Scripturis infert, ſed interpretum & opinantium pravas affectiones & cupiditates cum doctrina Scripturarum, Patrumque pugnantes evincit. Divinæ Scripturæ methodo facili, & omnibus manifeſta morum ſanctitatem, mundi contemptionem, appetitionum conflictationem, divitiarum, voluptatum, luxus, pomparum deteſtationem docent, explicant, inculcant. Sed homines plures nolunt intelligere, ut bene agant. Conferas velim (quod arguendi gratia dictum ſit) divinos libros Eccleſiaſtes, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Proverbiorum, quatuor Evangelia,

Pau-

Digitized by Google

Paulinas Epiſtolas cum libris plurium Caſuiſtarum. Iſtos intellectu difficiles, involutos, implexos invenies; divinos autem libros eloquio ſimplici, perſpicuo, ſimulque ſublimi ſcriptos invenies.

V. Accedit argumentatio ſenſibus obvia, quia à manifeſta experientia arceſſita. Percurre ingentem illam multitudinem librorum quos ſpirituales & aſceticos vocant, *Granatenſem*, *Spinolam*, *Saniure*, *Rodriguez*, *Croiſſet*, *Kempis*, *Scupoli*, *Tauler um*, *Maſſoulie*, & ſexcentos alios. Hi fuerunt alii Itali, alii Galli, Hiſpani alii, & alii Germani. Iſti omnes a duobus & amplius ſæculis eamdem ſemper doctrinam tradiderunt. Nullum in libris iſtis diſſidium, pugna nulla; ſed conſenſus & harmonia mirabilis. Eadem ſcita, effata eadem: regulæ, præceptiones, adhortationes, præcepta prorſus eadem, & eodem conſpirant omnes, ut efficiant lectores veras Filii Dei imagines, Chriſti Ieſu, Sanctorumque imitatores, omni prorſus diſſidio ſublato. Unde, amabo te, iſte mirabilis & uniformis conſenſus? Unde? Ex lege ſancta, ex divina Scriptura, ex Evangeliis Chriſti, unde omnium librorum iſtorum doctrina hauſta eſt. Omnes præfati Auctores in componendis libris ſuis alia exemplaria non habuerunt, niſi codices ſacros, & ſanctos Eccleſiæ Patres, eorumdem veros interpretes. Caſuiſtarum Probabiliſtarum lectio nulla illis omnino fuit. Ergo luce meridiana clarius eſt Scripturam ſanctam paſſim perſpicuam eſſe, perviam, & natura ſua omnibus manifeſtam in iis quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Nam illi omnes, licet diverſæ nationis, diverſæ Scholæ, contrarii genii, qui ſolas Scripturas ſanctas, earumque ſanctos interpretes legunt, abſque ullo diſſidio eamdem prorſus docent doctrinam. Contra quia Probabiliſtæ, & Caſuiſtæ plures, relicta ſanctarum Scripturarum ſplendidiſſima luce, humanæ mentis rationem, pugnantium affectuum caligine obtenebratam, conſulunt, ideo eorum libri litibus, pugnis, diſſidiis pleni ſunt. Sancti eſſent Chriſtiani, ſi ſolum primos, poſterioribus prorſus neglectis, libros legerent. At, inquiunt, libri *ſpirituales* ſolis perfectis animabus, quæ perfectioni Evangelicæ inhiant, deſerviunt. Contra Probabiliſtarum, & Caſuiſtarum plurium libri, qui non ſunt *ſpirituales*, neceſſarii ſunt pro Chriſtianis qui *ſubſtantialiter* ſervare legem volunt. Ita ne vero? Non omnes Chriſtiani ergo animum intendere ad evangelicam comparandam ſanctitatem in caritate ſitam obſtricti ſunt? Hanc craſſiſſimam hallucinationem, hanc perniciofiſſimam diſtinctionem duplicis Theologiæ, *ſpiritualis* pro Chriſtianis perfectionem ſectantibus, & *humanæ* ſeu *caſuiſticæ* pro Chriſtianis qui *ſubſtantialiter* vitam degere chriſtianam ſibi effingunt, infra penitus profligabo.

VI. Ut tertiam propoſiti argumenti partem evincam, nempe humili animo, & divino implorato auxilio accedendum eſſe ad Scripturas ſanctas legendas, meditandum propono divinum oraculum, quod habetur Iſaiæ cap. lv. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus: quia ſi-*

Digitized by Google

cut exaltantur cæli a terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ a viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris. Innumera ſunt in divina Scriptura ſimilia teſtimonia. Scit enim Deus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Sed aliqua ex credendis, & agendis, quæ Deus ipſe operatus eſt, percurramus. Protoparentis noſtri arbitrio ſortem noſtram illigavit Deus. Unus pomi eſus, qui, ſi novum opinandi modum conſulas, vix materia gravis obligationis apparet, humani generis cladem funeſtiſſimam invexit. Quid de prodigioſo incarnationis Filii Dei opere, de eiuſdem morte, & redemptione animarum noſtrarum dicam? Quid de paucitate ſalvandorum? Sed agenda etiam ſpectemus. Virginitas, aut caſtitas vel virginalis, vel coniugalis ſervanda. Imitatores Sanctorum, & eiuſdem Dei filii ſimus, oportet. Mundi divitias contemnere, uti uxoribus, boniſque omnibus tamquam non utentes, debent chriſtiani. Conflictandum cum carne, mundo, & diabolo continenter nobis eſt. Centum ſimilia omitto. Cedo: noſtris ne viribus exequi iſta poſſumus? Abſit, inquis. Et poſtea viribus ſolius ingenii hæc omnia diiudicare contendis? Quæ conſilia, quæſo, dediſſent homines in iis quæ narravi, ſi quæſiti a Deo fuiſſent? Et nunc de iiſdem incredibili auſu opiniones pugnantes, contrariaſque ſententias ferre non reformidant? *O homo, tu quis es?* ad Rom. IX. *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Quis manibus non contrectat illorum audaciam qui proprio ingenio, propriis opiniunculis & rationibus metiri, interpretari, & inflectere non verentur Scripturas ſanctas?

VII. Porro, ut iſtius audaciæ gravitatem teneas, Tertulliani doctrinam omnia quæ diximus, confirmantem ex *Lib. de præſcriptionibus adv. hær. cap.* XVII. tranſcribo. *Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas; & ſi quas recipit, non recipit integras; adiectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit.* Audi, quod ſubdit, effatum ſenſus profunditate gravidum: *Tantum obſtrepit veritati adulter ſenſus, quantum eſt corruptor ſtilus.* Cuius effati graviſſimi hic eſt ſenſus. Non minus depravat Scripturarum ſinceritatem falſa interpretatio quam ſtilus, ſeu calamus, quo quis vel lineas, aut paginam, aut verbum divinis Scripturis adderet, vel detraheret, vel affirmationem ſubſtitueret negationi, vel contra. Quem ſenſum ipſe *ibidem cap.* XXXVIII. confirmat. *Alius manu Scripturas, alius ſenſu expoſitiones invertit. Neque enim ſi Valentinus integro inſtrumento uti videatur, non callidiore ingenio quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exerte & palam machæra, non ſtilo uſus eſt: quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, ſed materiam ad Scripturas excogitavit. Et tamen plus abſtulit, plus adiecit, auferens proprietatem ſingulorum quoque verborum, & adiiciens diſpoſitiones non comparentium rerum.*

VIII.

Digitized by Google

VIII. Ultrà pergit Tertullianus, & ſuo gravi elatoque ſtilo *cap.* xxxix. lucu-lentius profanorum Auctorum exemplo evincit, æque repugnare divinis Scripturis adulterum ſenſum, ac phyſicam additionem, vel detractionem. *Hæc ſunt ingenia de ſpiritualibus nequitiæ, cum quibus luctatio eſt nobis, fratres, merito contemplanda, fidei neceſſaria, ut electi manifeſtentur, ut reprobi detegantur. Et ideo habent vim, & excogitandis inſtruendiſque erroribus felicitatem: non adeo mirandam, quaſi difficilem & inexplicabilem, cum de ſæcularibus quoque ſcripturis exemplum ſit eiuſmodi facilitatis. Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi materiis ſecundum verſus, verſibus ſecundum materias concinnatis. Denique Hoſidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio pleniſſime expreſſit. Meus quidam propinquus ex eodem Poeta inter cetera ſtili ſui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero-Centonas etiam vocare ſolent qui de carminibus Homeri propria opera more centenario ex multis hinc inde compoſitis in unum ſarciunt corpus.*

IX. Confirmant hæc ſancti Eccleſiæ Patres, potiſſimum Hieronymus in prologo galeato ad Paulinum, qui perdocte advertit, ſenſum eſſe littera, & ſcriptura priorem. Nec enim ſenſus propter ſcripturam, ſed littera & ſcriptura propter ſenſum. Compertum itaque eſt effatum Tertulliani: *Tantum veritati, divinæque Scripturæ obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtilus.* Utique quamdam maiorem præfert ex una parte & malitiam, & Dei contemptionem phyſica Scripturarum depravatio, qua quidquam aut demitur, aut adiicitur ſancto Dei verbo. Ceterum ex altera parte, qui ſenſum depravat falſatque, perinde eſt ac ſi Scripturam combureret, quia eam inutilem efficit. Qui phyſice Scripturam tollit, aufert lumen, tollit remedium, ſed venenum non porrigit. Contra, qui ſenſum adulterat, Dei veritatem tollit, & falſitatem ſeu veneficium ſubſtituit: quoniam negat id quod Deus dixit, adfirmatque Deum dixiſſe quod Deus negat. Nec eſt quod opponas, deliberato animo Catholicorum neminem ſenſum Scripturarum falſare. Quoniam nunc depravationis crimen exponimus, non depravantium, & adulterantium animos ſcrutamur. Ceterum, ut quis depravationis reus habeatur, haudquaquam requiritur ut expreſſe &, ſicut Scholaſtici inquiunt, ſignate id faciat; ſed ſat eſt ut ad ſuas laxas opiniones, & appetitiones ſenſum Scripturarum detorqueat; ſat eſt ut interna quadam, & ſubtiliſſima arrogantia, & tumore triumphandi de altero interprete, & promovendi ſemel adoptatas opiniones id præſtet. Hi omnes graviſſimum depravationis, & adulterationis crimen perpetrant. Hi omnes ſimiles illis ſunt qui pro auro vitrum, pro argento plumbum divendunt, qui Principum monetas adulterant, qui hominum locutiones alio in ſenſu a loquente intento repræſentant. Quin tanto gravius peccant, quanto iniquius eſt Deum loquentem per ſuas Scripturas falſitatis auctorem efficere, & erroneum commentum eidem tribuere.

X. Forſitan non deerunt qui inclamaturi ſint, hæreticos utique Scripturas ſacras depravare, ſecus magiſtros catholicos, quorum interpretationes Eccleſia tolerat, & ſua fruuntur probabilitate. Hæreticos eſſe manifeſtos Scripturarum corruptores, omnes fatentur. Lutherus, quemadmodum Marcion, machæra uſus eſt, & ex Scripturarum canone præ aliis libris præcidit epiſtolam canonicam Iacobi, quod in ea ſcriptum ſit, fidem ſine operibus mortuam eſſe. Paulinas vero epiſtolas admittit, quia ſibi favere arbitratur, & cum Valentino ſenſum adulterat. Quid heinc? Numquid ſinguli catholici ſcriptores, Scholaſtici, Caſuiſtæ, Probabiliſtæ, Concionatores ſunt falli neſcii in controverſiis Scripturarum? Ex tot contrariis opinionibus moralibus plus una vera eſſe nequit; ceteræ omnes falſæ ſunt. Si falſæ, & adulteræ; ſi adulteræ, illorum auctores Verbum Dei adulterant, cum pro verbo Dei falſitatem evulgant. Abſit tamen ut ſuſpicemur, nedum iudicemus, Catholicorum aliquem malo animo in pravum ſenſum inflectere Scripturas divinas: An qui propoſitiones ab Eccleſia damnatas propugnarunt, malo animo falſarunt divinas Scripturas? Et tamen plures erant, & ab Eccleſia tolerabantur, ſicut modo plurimæ tolerantur. Nec tolerantia hæc efficere poteſt ne adulteratio ſit adulteratio, ne falſitas ſit falſitas tam ante quam poſt damnationem; ſed ſolum inferri poteſt, immunes a crimine formali fuiſſe, & eſſe Auctores, quia bona fide crediderunt, creduntque interpretationem propriam germanum efferre Scripturæ ſenſum.

XI. S. Paulus Apoſtolus *II. Cor.* 11. inquit: *Non enim ſimus, ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo*. Lubet tranſcribere commentarium quem in hunc textum adiicit S. Thomas *lect.* 111. Primum advertit Apoſtolus, non paucos, ſed *plurimos* fuiſſe adulteratores verbi Dei etiam tum cum chriſtianæ legis fulgor mirum in modum coruſcabat. Si tum *plurimi*, in præſentia ne *pauci* erunt? Sed AQUINATEM audiamus. *Adulterantes verbum Dei, ideſt prædicantes vel propter quæſtum, vel propter favorem laudis. Sic enim mulieres adulteræ dicuntur, quando recipiunt ſemen ex alio viro ad propagationem prolis. In prædicatione autem ſemen nihil aliud eſt quam finis ſeu intentio tua, vel favor gloriæ propriæ. Si ergo finis tuus eſt quæſtus, ſi intentio tua eſt favor gloriæ propriæ; adulteras verbum Dei*. Numquid Concionatores ſoli auram propriæ gloriæ aucupantur? Numquid Theologi ab hoc amoris proprii hoſte liberi ſunt? Quæſo, cum Apoſtolo *ex ſinceritate* loquamur. Omnes qui, ut ſuas præiudicatas ſententias promoverent, ut populorum plauſus captarent, ut eminentius fulgerent, divinas Scripturas ad ſe traherent, inflecterent, detorquerent, nonne verbum Dei adulterarent? Omnibus ſuæ interpretationes probabiles, probabilioreſque apparent; quemadmodum & Phariſæis, & Scribis probabiles, immo probabiliſſimæ videbantur ſuæ interpretationes. Quid de iis dicam qui morum controverſias dirimunt divinis Scripturis inconſultis?

Digitized by Google

Iſti ne adulteratores divini verbi? Dubio procul, ſed diverſi generis ab illis quos deſcripſi. Iſti adulterant Dei verbum contemnendo, ſuaſque ratiunculas tamquam conſcientiarum, morum, & ſanctitatis regulas obtrudunt, ibique primatum ſupremum Legumlatorum uſurpant. Quinam adulterandi modus peior ſit, aliorum eſto iudicium. Uterque ſane iniquus natura ſua eſt.

XII. Vitio mihi vertatur nolo, ſi in graviſſimo illuſtrando argumento prolixior paullisper fuerim. Quamobrem quæ hactenus dicta ſunt, tum S. Iacobi Apoſtoli, tum Auguſtini, & Chryſoſtomi auctoritate confirmo, & doctrinam P. Elizalde de *ſuitatibus*, quam in titulo capitis propoſui, explicandam aggredior. Prius tamen præmitto textum S. Iacobi *cap.* IV. inquientis: *Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex.* Illi iudices legis divinæ fiunt qui ſuis præiudicatis opinionibus favere divinas Scripturas definiunt. Sed, ut omnis æquivocatio auferatur, præmittenda doctrina S. Thomæ eſt. Diſtinguit ille rationem quæ fidem antecedit, a ratione quæ fidem conſequitur; ſicut & ignorantia, & paſſio alia antecedens, alia conſequens, alia concomitans eſt. Ratione antecedenti everti fidem aſſerit, quia tum rationi fides ſubditur. Ratione conſequenti meritum fidei augetur. Porro ſicut ratio relative ad fidem, alia antecedens, alia conſequens eſt: ita interpretatio comparate ad divinæ Scripturæ veritatem acquirendam alia eſt antecedens, alia conſequens. Doctiſſimus P. Michael Elizalde celeberrimus Ieſuita, qui ſtrenue bellum indixit novo opinandi modo, interpretationem antecedentem vocat *ſuitatem*, & alteram vocat *ſuitatem conſequentem*. Sub his barbaris vocibus pretioſas ſanæ doctrinæ margaritas præbet ſapiens iſte Ieſuita, qui de his *ſuitatibus* prolixum ſermonem habet *II. Part. Lib. VI. quæſt.* 11. ubi acute animadvertit *ſuitatem*, ſeu interpretationem antecedentem, duplicem eſſe. Alia eſt coniuncta cum cognitione falſitatis doctrinæ quam quis ſuam facit. Alia eſt quæ ignorat, falſa ne, an vera ſit doctrina quam adoptat. *Sunt*, inquit, *quædam doctrinæ ſuitates, quæ videntur antecedentes, & ſunt conſequentes: & aliæ quæ videntur conſequentes, & ſunt antecedentes. Suitas antecedens videtur* illa qua quis, antequam rerum veritatem teneat, *ſtatuit ſuam facere omnem doctrinam Dei & Eccleſiæ. Eſt tamen iſta ſuitas conſequens: nam ſequitur cognitionem univerſalem, qua novit omnem Dei Eccleſiæque doctrinam eſſe veram.* Subdit deinde, *alias ſuitates* eſſe antecedentes quæ videntur conſequentes. *Atque hæ interveniunt*, inquit, *quoties quis ultro & ſine ſufficienti fundamento, ſed motus, & illectus ſuitate demum alia, ſupponit Doctorem eſſe ſummum, & veriſſimum: quia ſcilicet ſuæ nationis, gentis, vel FAMILIAE eſt: & vult doctrinas eius facere ſuas. Sed iſta ſuitas eſt antecedens, & filia alterius ſuitatis, & affectionis proprietatiſque.*

XIII. Barbara, implicata, & levioris momenti hæc tibi forſitan apparebit doctrina. At falleris. Summi enim momenti eſt argumentum iſtud; & animadverſio

ſio P. Elizalde ſemper præ oculis habenda, utpote quæ noſtri amoris proprii, propriæque affectionis, & gloriolæ vaſerrimas inſidias patefacit. Immo ſi ipſam vocem *ſuitatis* ſpectes, quo barbarior, eo eſt ſignificantior. Nomine ergo *ſuitatis* P. Elizalde intelligit inſitam illam & innatam propenſionem qua quiſque in quolibet certamine litterario efferre ſe ſupra alios contendit. Quæ *ſuitas*, inquit perſpicaciſſimus Ieſuita, vel afficit ſolam diſputantis perſonam, vel comprehendit nationem aliquam, communitatem, familiamve. Hæc *ſuitas* ſeu propria interpretatio, qua quis exponit aliquem Scripturæ textum, ſæpe filia eſt alterius duplicis *ſuitatis*. Prima *ſuitas* afficit ipſum ſolum interpretem tumentem occultiſſima ſuperbia, quæ intellectum applicat ad Scripturas accommodandas propriæ opinioni præconceptæ. Altera *ſcitas* comprehendit univerſam communitatem, ſeu cœtum, & inſtitutum. Et hæc *ſuitas* inflectit intellectum ad aptandum divinæ Scripturæ ſenſum opinioni & doctrinæ quam defendunt Theologi ſuæ nationis, familiæ, vel inſtituti. Exemplum ſubiicio non ita pridem typis editum in libello inſcripto *Opuſcula hæc quatuor vere aurea*. Auctor propugnavit *ſuitate* antecedenti afficiente perſonam, tactus ſubimpudicos referendos eſſe inter indifferentes. Hæc *ſuitas* antecedens illum impulit ut *ſuitate* conſequenti eorumdem actuum indifferentiam Scripturæ ſanctæ auctoritate defenderet. Sic enim inquit *pag. 6.* „ Iam vero propoſita doctrina de in„differentia intrinſeca eiuſmodi tactuum (mamillarum) eſt adeo certa, ut videa„tur negari non poſſe abſque periculo erroris in fide. Conſtat enim I. ex ſacra „Scriptura multis in locis e. g. ex illo Marci ult. *Super ægros manus imponent* &c „Ex illo Iacob. ult. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros . . . . ungentes „eum* &c. Conſtat II. *ex ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, præſertim ex„tremæ unctionis.*" Ecce. Intellectus impulſus *ſuitate antecedenti* propugnandi gloriam proprii fratris & familiæ, interpretatus eſt recenſitos divinos textus in favorem opinionis defenſitatæ ab alio conſodali. Hanc vero innatam propenſionem accommodandi divinas Scripturas opinionibus vel communitatis, vel perſonæ propriæ, voce ſane ſignificante uſus P. Elizalde vocat *ſuitates*: & interpretes vocantur *Suiſtæ*, & *Noſtriſtæ*. Sic docent *Noſtri*, ergo verum. Nullus nunc dubito quin acutiſſimi & ſapientiſſimi Ieſuitæ doctrina tibi nunc comperta ſit. Hanc interpretandi methodum improbavit vel ipſe Cicero *Lib. II. de nat. deor.* his verbis. *Veſtra enim ſolum legitis, veſtra amatis: ceteros, cauſa incognita, iudicatis.*

XIV. Ad textum nunc S. Iacobi, unde paullulum diſceſſi, revertor. Perhorreſcit quiſquo ad tantum ſceleris, quo quis ſe iudicem divinæ legis conſtituere audet. Quis umquam adeo deliravit, ut ad proprii tribunalis iudicium vocare legem Dei expreſſe & ſignate, ut aiunt, voluerit, atque adeo Deum, eiuſque legem ſibi ſubdere? Et tamen reipſa, occultiſſima & inexplicabili *ſuitate* ſeu amore & cupiditate plurimi efficiuntur divinæ legis iudices. Nemo ultimi finis rationem, &

pri-

Digitized by Google

primatum ſurripere Deo, nemo iterum crucifigere Chriſtum expreſſe deliberat; nulli fieri hæretici volunt: & tamen plures fiunt hæretici, & plurimi Dei primatum, ac ultimi finis rationem ſibi uſurpant, Chriſtum crucifigunt, & innumerabilia crimina perpetrant, amoris proprii, ſeu *ſuitatis* fucis & lenociniis delibuta, quæ ſicuti piſces latentem hamum, & ægroti dulceſcentes pillulas deglutiunt, vorantque.

XV. Confirmat quæ hactenus dixi, S. Auguſtinus *lib. de vera Relig. cap.* XXXI. ubi ſapienter diſtinguit inter cognoſcere legem, & iudicare legem. *Eternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere, iudicare non fas eſt. Hoc autem intereſt, quod ad cognoſcendum ſatis eſt ut videamus ita eſſe aliquid, vel non ita; ad iudicandum vero addimus aliquid, quod ſignificemus poſſe eſſe, & aliter; velut cum dicimus: ita eſſe debet, aut ita eſſe debuit, aut ita eſſe debebit, ut in ſuis operibus artifices faciunt. Sed multiformis humana delectatio eſt.* Pauci itaque ſunt qui *mundis animis*, qui humilitate, & docilitate præditi, & proprio amore ſpoliati agnoſcere Scripturarum veritatem ſtudeant: plurimi vero qui *ſuitatibus* præventi, ſeu qui propriis affectibus præeuntibus iudicent legem. Toties enim *iudicant legem*, inquit S. Auguſtinus, quoties conſtituunt has opiniones eſſe, vel debere eſſe probabiles, hoc non eſſe, vel debere non eſſe peccatum, multos eſſe, vel debere eſſe ſalvandos. Ut has præconceptas, præiudicataſque opiniones confirment, Scripturas conquirunt, eaſque ad has ſuas opiniones detorquent. Imitantur Concionatores illos qui peregrina argumenta ſibi effingunt, quibus ſtupidi populi admirationem excitent, plauſumque captent: deinde unum & alterum textum Scripturæ divinæ vi ſumma inſervire cogunt propriis præconceptis cogitationibus. Ne multa: non ex Scripturis ſanctis ſuas hauriunt opiniones; ſed ad opiniones proprio marte, & lenocinante amore proprio partas, Scripturas ſanctas detorquent.

XVI. Caſuiſtarum, & Theologorum plurimi iudices divinarum Scripturarum vi propriæ methodi fiunt: quia aut Scripturas ſanctas inſervire propriis probabilitatibus directis & reflexis cogunt, aut divinas Scripturas omnino negligunt. Utrumque genus iudicandi Dei legem, graviſſimum natura ſua ſcelus eſſe, ſupra oſtendi. Theologi qui negligunt ſacrarum Scripturarum ſtudium, ſuaſque opiniones tamquam honeſtatis, & conſcientiæ regulas proponunt, a Theologorum catalogo reiiciendi ſunt, ut infra dicam. Plures autem Theologi methodo probabiliſtica præventi non cognoſcunt, ſed iudicant legem. P. Michael Eliſalde *II. Part. Lib. VII. quæſt.* XIV. *§.* 7. hanc theſim probandam pro titulo paragraphi conſtituit. *Probabiliſtæ vero maxime omnium iudices legis fiunt, & leges omnes recte interpretandi Scripturas ſanctas diſrumpunt.* Quod ſic probari poteſt. Si legem agnoſcerent; primum omnium ipſas divinas Scripturas ſolo animo veritatis diſcendæ adirent, meditarentur; tum ſanctos Eccleſiæ Doctores conſulerent, ut lumen, quo melius

intel-

Digitized by Google

intelligere illas poſſent, compararent. At hoc non præſtant. Ergo &c. Probo minorem tum confeſſione eorumdem, qui hoc munus ad interpretes Scripturarum pertinere arbitrantur; tum experientia operum plurium Probabiliſtarum, & Caſuiſtarum, in quorum libris aut nullus, aut perrarus eſt uſus divinarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum. Quam ſit hoc verum & compertum, libri Moraliſtarum plurium teſtantur. Tandem ſi aliquod Scripturarum teſtimonium occurrit in his libris, detortum eſt ad laxas opiniones roborandas. In hos quadrare videtur id quod ſcribit S. Ioannes Chryſoſtomus, ſeu Auctor operis imperfecti quod Chryſoſtomo tribuitur, *homil.* XVIII. *in cap.* VII. *Matth.* ubi hæc habet. *Voluntas eorum lex eſt ipſorum. Et non ipſi ſub lege ſunt, ſed lex eſt ſub illis. Via autem vitæ eſt omnis iuſtitia. Dicitur autem eſſe arcta, quia intra regulam veritatis, & diſciplinæ eſt incluſa.* Subdit vero in favorem eorum qui recte interpretantur legem. *Ambulantes in ea* (in via arcta) *non quod delectat eos, hoc faciunt, ſed quod debent: quia lex non voluntas eorum eſt, nec lex eſt ſub illis, ſed ipſi ſub lege.*

§. *Unicus.*

P. Michael Elizalde hanc theſim demonſtrat: Probabiliſtæ maxime omnium iudices legis fiunt, & leges omnes recte interpretandi Scripturas ſanctas diſrumpunt.

I. Antequam verba P. Elizalde tranſcribo, in memoriam revoco prima principia Probabiliſmi reflexi, qui nunc dominatur apud Probabiliſtas. Duplicis generis leges Probabiliſtæ Reflexiſtæ diſtinguunt, ut *Lib. III.* dicam, alias directas, reflexas alias. Hæ deſtruunt quod illæ præcipiunt. Duas quoque in Deo voluntates effingunt, unam directam, quæ iubet honeſtatem; alteram reflexam, ſeu conſequentem, quæ prohibet id quod iuſſum eſt a directa. Hæc meditans P. Elizalde *Part. II. Lib. VI. quæſt.* XIV. *§.* 7. exclamat. *Voluntatibus porro & legibus antecedentibus, & voluntate conſequenti abrogativa legum directarum omnium, cuncta expedientur? O Deus, & hoc in loco eſt lex tua, & his principiis fidelium mores, vitaque reguntur?* Et poſt pauca legem Dei repræſentat hunc contractum prohibentem, ſimulque inducit opinionem probabilem, quæ iuſtum eumdem contractum defendit. Quoniam licet Deus talem contractum lege directa, & voluntate antecedenti damnet; voluntate tamen conſequenti, ſeu lege reflexa, qua clementiſſimus Deus accommodatur opinioni probabili, licet falſæ, ſed exiſtimatæ veræ, illum probat. Hic eſt Probabiliſmus invectus a Terillo, quem ſecuti poſtea ſunt communiter Probabiliſtæ, ut teſtatur P. La-Croix. Contra eiuſmodi Probabiliſmum,

&. Pro-

Digitized by Google

& Probabiliſtas Dei zelo ſuccenſus ſapientiſſimus Ieſuita P. Michael Elizalde ſic inclamat *loc. cit. §. 7.* cuius teſtimonium, tametſi prolixum, tranſcribo, ne quiſquam ſuſpicetur me hæc ad invidiam conflandam Probabiliſmo excogitaſſe. „ Ipſi rur„ ſus volentes evadere alias difficultates, nobis, quod hic intendimus, ultro, ſed „ ignoranter largiuntur: ipſi enim, vel eorum noviſſimi aliqui, cum alia evaden„ di via non occurrat, ſponte legem Dei opinionibus ſuis, & Theologorum gra„ vium ſubiiciunt. Inſiſtimus enim, in caſu æqualis probabilitatis ad legem v. g. „ uſurarum, vel minoris ad non legem; legem ſic contingenter prævıſam viola„ ri, devorari, & frangi, ſicut de conſcientia practice dubia omnes docent, par„ tem eam eligendo quæ contra legem eſt, quemadmodum in ludo, & in caſua„ libus omnibus præcognitis, quidquid ſequatur, nobis imputatur, ac voluntarium „ eſt. Voluntaria ergo erit ſic operanti tranſgreſſio legis uſurarum.

„ Nunc quid noviſſimi iſti Probabiliſtæ reponant . . . audiamus, & horreamus. „ Aiunt itaque, Deum habere ſuas voluntates, quas antecedentes vocant, iuſſivas, „ & præceptivas, quibus uſuras, & earum modos, & alia permulta prohibuerit „ directe; contra quas voluntates, & leges adſunt opiniones probabiles. Iam mox „ harum omnium probabilium concipit DEUS, vel a ſe habuit *alias voluntates*, „ *vel unam univerſaliſſimam, quam conſequentem vocant, qua priores omnes illas* „ *volentes iuſſivas, & leges abrogavit, retractavit, & quaſi in omni lege ſua diſ*„ *penſavit*: nec in probabilitate revera tali ſiſtunt, ſed ad omnem exiſtimationem „ noſtram, & etiam *hæreticorum & paganorum* iſtam ſuam diſpenſationem uni„ verſaliſſimam legis extendunt. Nam horum Reflexiſtarum hoc eſt principium: „ neminem hic & nunc peccare, quin etiam mereri, qui iuxta cognitiones, & „ conſcientiam quam hic & nunc habet, operatur. *Et hæc eſt ſua propoſitio ma*„ *ior, ſi ſuperis placet, etiam evidentiſſima Reflexiſtarum*. Omnis proinde lex Dei „ revocata eſt, & abrogata, & diſpenſata *voluntate conſequenti* ad noſtras opinio„ nes tum probabiles, *tum etiam improbabiles*, *& hæreticas*, *& diabolicas*, ſi no„ bis non tales, *ſed bonæ viſæ*, *& probabiles viſæ ſint*, ut omnibus mortalibus, „ nullo excepto, videntur ſuæ opiniones, & hæreticis hæreſes: quod ex palma„ ri Logica conſtat. *Et nobis hæretici ſunt, ſibi non ſunt*, ut toties ex Salviano „ ſuggero &c.

„ Ad præſens porro ſumitur, Probabiliſtas iſtos ſponte ſubiicere legem Dei pro„ babilitatibus, exiſtimationibuſque noſtris. Nam quando duo concurrunt, & al„ terum valet, & alterum ceſſat, illud eſt ſubiectum & inferius quod ceſſat; ut „ ſi lex Dei, & hominum concurrunt, ceſſat humana, quia ſubiicitur, & tenet „ & valet divina, quia præeſt: idem eſt in Senatuum ſubordinatorum ſententiis, „ in legibus Imperatoris, & Conſulis, & omnibus. At erat lex Dei prohibens „ hoc genus contractuum, & pervenit falſa opinio probabilis negans. Quæ, pre-

„ cor,

„ cor, ceſſabit, & quæ valebit? Valet, dicitis, & tenet opinio falſa probabilis; lex „ vero non tenet. Ergo legem opinioni ſubiicitis. Quid vero, rogo vos, cum Im- „ peratorum leges Doctorum opinionibus ex genere ſuo haud dubie præſtent: quid, „ inquam, Martyribus olim omnibus hanc Deus Theologiam non manifeſtavit? „ Ego quidem volo voluntate antecedenti, legeque directa mea confiteri me vos „ coram hominibus, ſicut volo vos non inire hos contractus. At pius ſum, & „ miſericors, & ſi vitio ſuperiorum veſtrorum acceſſerit, ſicut opinio Doctorum „ veſtrorum, voluntate conſequenti, ne durior vobis exiſtam, & ad ſtragem o- „ mnem & cædem vos obligem, retracto omnes voluntates priores, & leges meas „ directas, quas Principibus veſtris ſicut Doctoribus ſubiicere mihi ex miſericor- „ dia viſum eſt. Quid has retractationes non fecit olim pro Iudæis, & Doctorum „ ſuorum opinionibus ſibi utique probabilibus tempore Prophetarum? Quid non „ deinde in adventu Salvatoris? Quid non poſt pro Iudæis non ſane dubitantibus, „ ſed ut Dominus, cui nos credimus, affirmat, arbitrantibus ſe obſequium præ- „ ſtare Deo, ac diſcipulos perſequentibus? Quid non etiam quondam pro Hiſpa- „ nis noſtris cum Regibus ſuis, & Epiſcoporum pleriſque, atque regni conſenſu „ arianizantibus? Quid non demum cum nationibus mundi omnibus, quibus abro- „ gata lege Dei per voluntatem conſequentem, ea cunctis eſſet regula, & lex vi- „ vendi, quæ rectior ipſis videretur? Hoc ſane eſt ſtrages quædam univerſalis to- „ tius legis, providentiæque Dei; & qui hoc dicunt, arcendi prorſus eſſent a re- „ gendis animabus. Iam Dei filius arctam eſſe ſalutis viam definivit. Multis pro- „ babilitatibus toleratis laxata ea eſt. Non ergo, ut non pridem Alexander VII. „ memoriam noſtram excitavit, verba eius in æternum ſtant, ſed voluntate con- „ ſequenti, miniſtra probabilitate, illa reipſa ſpatioſa effecta eſt. “

II. Ut paucis evincam, Probabiliſtas vi ſuæ methodi probabiliſticæ regulas omnes iuſtæ interpretationis violare, & penitus abolere, ſub oculos curſim revoco illorum principia. Iuxta ipſos, quando duæ contrariæ probabilitates de lege amoris Dei, fidei, ſpei, de lege iuſtitiæ, & de quolibet divino mandato occurrunt, tum lex non obligat: quia iuxta Probabiliſtas directos non eſt ſatis promulgata, & iuxta Reflexiſtas, quæ eſt Schola nunc prædominans, voluntate conſequenti eſt abrogata. Ergo omnis legis interpretatio vana eſt. Nam dum lex pervia omnibus eſt, tum interpretatione lex non eget. Quando in diſputationem eiuſdem germanus ſenſus vocatur, continuo iuxta Probabiliſtas evaneſcit vel defectu ſufficientis promulgationis, vel vi conſequentis voluntatis contrariæ. Nam ſpiritus & anima Probabiliſmi huc tendit, ut uterque legis ſenſus, tametſi contrarius, probabilitatis maioris vel minoris oppoſitæ fuco illitus ſufficiens ſit honeſtatis regula. Probabilitas enim iuxta ipſos contraria præſcindit a veritate & falſitate, cum plus una opinio vera eſſe non poſſit. Porro regulæ veræ & ſinceræ interpreta-

tio-

Digitized by Google

tionis eo ſolum pertinent, ut perſcrutemur, & tota mentis indagine inveſtigemus, quis ſit verus, germanus, & unicus ſenſus legis. Et dum unus reputatur verus, alter reiicitur ut falſus. Contra uno ore vociferantur Probabiliſtæ. Quando utraque interpretatio, uterque ſenſus ſua fruitur probabilitate, uterque ſenſus, utraque opinio regula eſt honeſtatis. Sed alterutra opinio falſa ſit neceſſum eſt. Quid ad nos de falſitate, aut veritate? Probabilitas noſtra ab utraque præſcindit, & legem facit non legem, & non legem legem, ut centies dictum eſt. Ergo, ut verbis utar P. Elizalde loc. cit. *formaliſſima ratio viæ Probabiliſtarum . . . . eſt bipes, eſt bilinguis, eſt cordis, & non cordis, & de ita, & non ita, ſcilicet per contraria & contradictoria . . . Norma ergo Probabiliſtarum & legi, & eius vero ſenſui, rectæque illius inquiſitioni, ac interpretationi contraria eſt.*

III. Ex his compertum habes, cur communiter libri Probabiliſtarum fere vacui omnino ſint & divinarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum teſtimoniis. Nam quid ad Probabiliſmum de Scripturis, & Patribus, tali methodo ſpectata? Revera loco Prophetarum, Evangeliſtarum, Apoſtolorum, & Patrum, catalogum non texerent Auctorum Caramuelis, Dianæ, Leandri, Tamburini, Zanardi, Candidi, & ſimilium, quos Doctores vocant, ſi teſtimonia Scripturarum, & Patrum magni facerent, eorumque doctrinam unice veram reputarent? Nimium, inquit perdoctus Ieſuita Elizalde, arcta illis eſt ſola veritatis via: oppoſitam ampliorem percurrere volunt, quæ veritatis & falſitatis confinia in vaſtiſſimo ſuo ſinu comprehendat.

IV. Antequam huic capiti finem impono, lubet pauca adiicere ex P. Elizalde *loc. cit.* quæ & lectores meos erudire in Scripturis divinis interpretandis, atque Probabiliſtas excitare aliquantulum valent. Documenta, quæ ſum daturus ex Propheta David, & SS. Chryſoſtomo, & Auguſtino accepta ſunt. David *Pſal.* CXVIII. hæc inquit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Solos ambulantes in lege Dei beatos appellat Propheta Regius. Verum Probabiliſtæ vi ſui ſyſtematis alios diverſi generis beatos habent, qui præter, immo contra Dei legem ambulant, materialiter, ut ipſi aiunt: & tam ſunt beati, & immaculati qui in lege quam qui in non lege, & præter legem ambulant. Nugatur ergo Propheta, clamat ibidem laudatus Elizalde, dum ſolos immaculatos & beatos vocat qui ambulant in lege Domini.

V. Pergit David: *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum*. Non modo ſcrutari, ſed etiam toto corde, indefeſſo ſtudio inveſtigare divina teſtimonia debemus. Numquid Probabiliſtæ illi in quorum libris altum eſt Scripturarum ſilentium, ſcrutantur, numquid toto corde penetrare ſatagunt divina teſtimonia? Teſtimonia iſti, quatenus ex eorum operibus luculenter apparet, ſcrutantur Caſuiſtarum, & Probabiliſmi principia, quæ docent contrarias probabilitates de eodem divino teſtimonio, præſcindentes a veritate & falſitate, vias eſſe quæ, tametſi

oppo-

oppoſitæ, ad Patriam ducant. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*: ſubdit Propheta Domini. Sed etiam in hoc, ſi Probabiliſmum ſpectemus, *hallucinatus eſt Propheta*, clamat ſapientiſſimus Ieſuita Elizalde. Quia Probabiliſmus, ad quem omnes caſus diſputabiles revocantur, non magis divina mandata quam contrarium cuſtodiri mandat, & vias tam conformes, quam difformes divinis mandatis, exiſtimatas probabiles ducere ad vitam docet.

VI. Quæ hactenus dixi, accepi a laudato doctiſſimo Ieſuita P. Michaele Elizalde, qui *cit. Lib. VI. II. Part. quæſt.* XIV. §. 8. fuſo calamo adverſus Probabiliſtas Pſalmum CXVIII. interpretatur. Pauca tranſcribo. „ Delegi itaque conſulto Pſal- „ mum, quem quotidie legimus, & intuli, in eo *illudendum venire* ſanctum Pro- „ phetam, ſi via Probabiliſtarum retineatur. Suppono vero, quod ipſos magnis „ ſuis reflexionibus negaturos non puto, Davidem, dum de Deo loquitur, non „ loqui *de Deo aliquo probabili*, ſeu probabiliter de Deo, qui eſt &c.

„ *Beati* (primum inquit) *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Non „ ſane qui eam norunt, & hærent, nec ambulant: non item qui in ea ambulant „ quam non norunt, quod eſſe non poteſt. Beati ergo qui in ea iam ſibi cogni- „ ta ambulant. *Sed probabilitatis ſunt alii beati, qui in lege Domini non ambu- „ lant*, ſed præter, & contra eam reipſa (materialiter ipſi vocant) ambulant: „ eſtque alia via in qua immaculati ſumus, *ſcilicet probabilitas, cui caſuale ſit „ eſſe cum lege, vel contra*: & qui hanc viam ambulant, tam ſunt immaculati, „ atque ambulantes reipſa in lege Domini. *Nugatur Propheta ergo*, dum hos ſo- „ los beatos prædicat, viamque cum lege Domini confundit, cum ſit amplior alia „ legis & non legis (iuxta Probabiliſmum) . . . Propheta denuo de ſe ipſo, opi- „ nor, & beatorum nomine conteſtatur. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus „ ſum, ſicut in omnibus divitiis*. Certe, ut inferius magis exponam, *Probabiliſtæ* „ divitiarum in loco legem, & teſtimonia Dei habere non videntur, qui tot ad- „ verſus legem *lites movent*, quaſi hoſtis, & noxia nobis foret. Certe qui divi- „ tias amant, & in eis delectantur, non minores, non æquales probabilitates quæ- „ runt, quibus eas effugiant, *ſed quibus ſuas faciant*. Sed & hic male Propheta „ arbitratus forſitan eſt, a viris iuſtis & vere beatis divitiarum ſaltem in loco „ habendam eſſe legem Dei; quæ ſcilicet . . . nec a rite Chriſtianis negari pot- „ eſt, non illatum aliquod nobis malum, ſed collatum ingens beneficium Dei eſt. „ Et interea ſicut in contentionibus contrariantes ſolent, & in litibus adverſarii, „ dicere quidam audent: *Si lex me obligare vult, probet, & convincenter probet*: „ ſin minus, *quid mihi cum ipſa? O novi Doctores Eccleſiæ, divinæ legis egregii a- „ matores! Et quid veſtris cavillationibus certo demonſtrandum umquam eſt? Profe- „ cto qui Deum amat, & legem Dei amat, & non has lites movet* . . .

„ Quid vero omnia commemorem? . . . . Portionem ſuam in alia dicit (Prophe-

„ ta

„ ta David) eſſe cuſtodire legem Dei. *Portio vero Probabiliſtarum non hæc eſt, ſed*
„ *cuſtodire probabilia ſua*; *immo hoc ſuum negotium eſſe cenſent*. Si opinionem
„ probabilem alicubi invenient, qua conſultans quiſque liberetur, & nemo ad ſe
„ venientium *triſtis ac obligatus abeat*. Supponi ergo magis videtur, portionem
„ hereditatemque noſtram, non hanc eſse, quomodo cuſtodiamus legem Dei, ſed
„ quomodo res alias mundi ſalvas habeamus, & legis iugum evadamus &c.

„ Quam deinde *lex probabilium* ab iis abeſt quæ Propheta ingerit de dilectione
„ legis! *Quomodo dilexi legem tuam Domine*? &c. . . . *A mandatis tuis intellexi*:
„ quæ omnia legem Dei valde amantis ſunt; non vero conſiderantium eam tam-
„ quam rem ſibi odioſam, *quaſi* eo feliciores ſimus, quia magis ab ea ſoluti li-
„ berique: ſitque nobis res amata libertas noſtra, poſſeſſio noſtra, quam contra
„ eam, nimis opinor impudenter, allegamus. Nemo amat divitias, nemo volu-
„ ptates, filios, uxoremque nemo, & libertatem, & poſſeſſionem, & iura allegat'
„ divitiaſque amatas recuſat, quia poſſeſſio ſtat pro libertate: aut dicit, ſe nolle
„ eas recipere, quamdiu certo evidenterque non conſtabit illas a ſe recipiendas
„ eſſe: aut dicit, ſe magnum præſtare hominibus beneficium, ſi divitias quas a-
„ mant, aut filios abſtulerit. Et tamen dicunt (N. B.) ſe conferre beneficium,
„ ſi peccata tollant, id eſt legem tollant. Hæc porro ſunt velut axiomata &
„ principia philoſophandi multorum Probabiliſtarum. Hic vero videtur eſſe error
„ circa prima principia, ex quo proinde infinita quædam deceptionum ſeries na-
„ ſcatur neceſſe eſt. Etenim legem Dei, quæ maxime diligenda eſt, rem odioſam
„ eſſe, ac minime diligendam, ac veluti ſententias iudicum nos in lite conde-
„ mnantium excipiendam, axiomata illa ſupponunt: quorum falſitatem, nobis
„ etiam tacentibus, totus hic magnus Pſalmus demonſtrat. Vel ergo Propheta il-
„ ludendus eſt, vel ad ipſam reipſa veritatem, ad ipſam reipſa legem, ad man-
„ data Dei, ad Deum, ad verba eius, ad iudicia, teſtimonia, verba, eloquia, &
„ iuſtificationes determinate ligandi ſumus, & omnis alia via non ſalutis, ſed er-
„ roris eſt."

VII. Hæc ſunt argumenta quibus P. Elizalde, quem ſui ævi ſapientiſſimum Theologum vocat Cardinalis Pallavicinus, evincit hanc ſuam theſim. *Probabiliſtæ vero maxime omnium iudices legis fiunt, & leges omnes recte interpretandi diſrumpunt.* Et revera argumentum quod proponit, adeo & menti, & communi ſenſui accommodatum eſt, ut nihil ſublimius excogitari poſſit ad deformem Probabiliſmi faciem nudandam. David Propheta ait, legem Dei ſuper millia auri & argenti, ſuper aurum & topazion, ſuper omnes theſauros & divitias eſſe amabilem. Probabiliſtæ contra vi methodi probabiliſticæ aiunt, hanc legem eſſe odioſam, quia contrariam libertati. Quare dicunt, non eſſe obſervandam, niſi evidenter de ea conſtet; ſed reiiciendam, ſi de ea probabiliter diſputatur. Cur? Quia melior eſt

con-

conditio poſſidentis : quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Ergo nugatur Propheta, clamat P. Elizalde. Propheta reipſa ait, legem eſſe amandam ſuper millia auri, & argenti, ſuper omnes divitias. Negatis hoc, o Probabiliſtæ? Abſit. Reſpondete ergo. *Si* quis vobis ingentem auri copiam divitiaſque uberrimas offerret ; reponeretis ne : Nolumus illas, reiicimus illas, niſi evidenter probetur ad nos attinere? Reponeretis ne : Libertatem noſtram amamus? Poſſeſſio ſtat pro libertate contra divitias? At probabilius eſt has divitias ad vos pertinere, veſtraſque eſſe. Diceretis ne : Nolumus illas, ſi ut divitiæ acquirantur, minori utimini probabilitate? En quam evidenter demonſtravit P. Elizalde methodum probabiliſticam evertere omnes regulas interpretandi divinas Scripturas.

VIII. Poſt ſanctum Prophetam David audiamus S. Ioannem Chryſoſtomum, ſive Auctorem Commentarii in Matthæum qui inter opera Chryſoſtomi inſertus eſt *Tom. II.* Is autem *hom.* XXVIII. in *cap.* VII. *Matth.* hæc ſcribit. *Quærite ſtudio & labore legentes Scripturas legis, & Prophetarum. Nam Deus ita nos diſpoſuit eſſe, ut nec ſtudentes, & laborantes circa Scripturas acquiramus ſalutem ſcientiæ ſine gratia Dei, ut ne nobis imputemus quod ſcimus; nec tamen gratiam acquiramus, niſi ſtuduerimus, & laboraverimus circa Scripturas, ne donum Dei detur negligentibus. Gratia enim adiutorium eſt infirmitatis humanæ. Adiutorium autem non dormientibus datur, ſed feſtinantibus, & prævalentibus. Sicut enim in bello non omnis qui pugnat, vincit; nemo tamen vincere poteſt, niſi pugnaverit: ſic non omnes qui ſtudent & legunt, acquirunt ſcientiam ſpiritualem; nemo tamen acquirere poteſt, niſi qui aut ſtudioſus fuerit ad legendum, aut aſſiduus ad audiendum.* Hæc meditare, illorumque miſerere qui nec orant, ut quod legunt, intelligant, nec legere divinas Scripturas ſatagunt : & tamen (proh Deum!) animarum regimen exercere non reformidant. Rem totam concludat Auguſtinus. *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro dicentes: hoc grave, hoc leve eſt. Sed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tamquam de theſauris dominicis, & in illa, quid ſit gravius, appendamus; ſed a Domino appenſa recognoſcamus.*

CAPUT V.

Omnibus Theologis, ſed præcipue Magiſtris chriſtianæ Theologiæ moralis neceſſaria eſt ſcientia & ſtudium ſacrarum Scripturarum.

I. HActenus palam feci doctrinæ revelatæ neceſſitatem ; eiuſdem neglectum primam eſſe corruptæ Ethices radicem; & tandem methodum Probabiliſmi evertere omnes rectas regulas eamdem interpretandi. In præſentia evincam ſacra-

Digitized by Google

crarum Scripturarum ſtudium omnibus quidem Theologis, ſed potiſſimum Magiſtris Theologiæ chriſtianæ moralis neceſſarium eſt. Hi ſiquidem non articulos fidei tantum, ut Dogmatici, explicant, aut eoſdem ab hæreticis commentis tantum aſſerunt, ut Polemici; ſed inſuper mandata, conſilia, documenta in ſacris codicibus contenta ad mores formandos tradere, & explicare fidelibus aſtringuntur.

II. De Theologis omnibus Melchior Cano *Lib. VIII. de Loc. theolog. cap.* 1. hæc ſcribit. „ Sed in omni oratione memento, lector, eam me defendere Scholæ doctrinam quæ ſacrarum litterarum fundamentis conſtituta ſit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum aſſenſu omnium dicere me video, miſeram eſſe Scholæ doctrinam, quæ ſe titulis magiſterii defendat: miſeram etiam, atque haud ſcio, an multo magis, quæ detracta Scripturæ ſacræ auctoritate, ſyllogiſmis contortis de rebus divinis philoſophatur: immo ne de rebus divinis quidem, ſed nec de humanis, verum de his quæ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones theologicas frivolis argumentis abſolverint, & vanis invalidiſque ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis detrahentes ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philoſophia quidem, ſed fere e puerilibus diſciplinis; Scholaſtici tamen, ſi ſuperis placet, Theologi vocantur, nec Scholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui ſophiſmatum fæces in ſcholam inferentes, & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum. Quem vero intelligimus Scholaſticum Theologum? Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, e litteris inſtitutiſque ſacris ratiocinetur."

III. Si a Theologorum cenſu abradit doctiſſimus CANO adſcriptitios illos Scriptores qui ſophiſmatum fæcibus Scholas deturpant; quo amandandi illi ſunt qui doctrinam ipſam chriſtianam laxarum opinionum veneficiis inficiunt, & penitus corrumpunt? Hanc vocem *Scholaſticus* plurimi, & potiſſimum *ſcioli* omnes pravo in ſenſu uſurpant, & ineptiſſimis quibuſdam qui vocantur Theologi, Scholaſtici nomen tribuunt. *Scholaſtici Theologi* nomine garrulum ſophiſtam, ignarumque hominem ſibi fingunt. Turpiter tamen falluntur. Hæc vox *Scholaſticus* Theologum prodit qui preſſe & arcta ratiocinandi methodo controverſias de rebus ſacris verſat, & reſolvit. Omnes qui recte ratiocinantur, *Scholaſtici* ſunt: Philoſophi quidem, ſi de naturalibus; Theologi, ſi de divinis rebus argumenta tractent. Quare & Dogmatici, & Polemici, & Morales *Scholaſtici Theologi* reipſa ſunt, dummodo, omnibus ad vivum reſecatis, ex divinis litteris ſuas hauriant concluſiones. Et Theologia Scholaſtica non alia eſt quam unica Theologia divina, quæ ex arti-

Digitized by Google

culis a Deo revelatis ſuas deducit doctrinas, aut in fidei articulis, quos vel explicat, & dicitur *Dogmatica*, vel defendit ab hæreticis, & vocatur *Polemica*: aut in morum præceptis, quibus mores format, & vocatur *Moralis*; quæ omnia abſolute comprehendit, ut alibi dictum eſt. Communiter *Scholaſtici Theologi* nuncupantur illi qui quæſtiones verſant hominum mente inventas, quæ paſſim umbræ ſunt & larvæ, ab articulis fidei, & a morum regulis omnino diſparatas. Similiter *Theologi morales* vulgo nuncupari ſolent qui caſus conſcientiæ hominum mente conceptos ad regulas quas pariter homines ex arbitrio conſtituerunt, revocant, & de iiſdem prolixas diſputationes in utramque partem verſant. Hi non Theologi, ſive Scholaſtici, ſive Morales, ſed Sophiſtæ appellandi ſunt. Errant Theologi illi qui divinam ſcientiam humanis, & ſophiſticis commentis adulterant. Verum graviſſime omnium aberrant, & peccant qui Theologiam animarum regimini proxime accommodatam opinionum laxitate, diſtinctiunculis, & ſubtilitatibus ingenio humano excogitatis fœdant, inquinant, adulterantque. Quid? Non niſi evangelicæ legis obſervatione homines aſſequi æternam ſalutem poſſunt: & non lege evangelica, non præceptionibus a Deo conſtitutis, ſed hominum opiniunculis animæ imbuuntur?

IV. Non ſum neſcius, magnam in invidiam, ſeveraſque cenſuras me incurſurum, quod libros illos quos Caſuiſticos, Moraliſtas, Probabiliſticos vocant, in quibus Scripturæ, Patres, & Concilia ſilent, a Theologia chriſtiana dogmatico-morali excludam: quod non *Theologiam*, ſed *Battologiam* nuncupandam eſſe dicam eam quæ non ex Scripturis divinis, ſed ex humano cerebro deducta eſt. Verum ut cenſorum ora obſtruam, primum dico, me non definire, quinam ſint libri caſuiſtici divinarum Scripturarum vacui, & ſolis hominum opinionibus pleni. Deinde ſanctarum Scripturarum teſtimoniis, quod propoſui, nempe debere *Theologos morales* potiſſimum ex divinis Scripturis regendarum animarum doctrinam, ſeu regulas repetere, evincendum ſuſcipio. Quod ut validius præſtem, primum auctoritatem Scripturæ ſanctæ, poſt Conciliorum, ſanctorumque Patrum teſtimonia in medium proferam.

§. I.

Neceſſitas qua præſertim Theologi chriſtianæ Moralis, & animarum directores ad Scripturæ ſanctæ ſtudium obſtringuntur, eiuſdem divinæ Scripturæ teſtimoniis evincitur.

I. QUemadmodum quiſque Legislator legis ſuæ ſtudium populis ſubditis inculcat: ſic Deus legem ſuam in Scripturis ſanctis exaratam fidelibus omni-

Digitized by Google

mnibus, non legendam modo, ſed meditandam etiam & ſcrutandam imponit, hoc ſervato ordine, ut parentes filiis, magiſtri diſcipulis, ſeniores iuvenibus illam communicent, explicent, interpretentur. Deuter. *cap.* VI. hæc habentur. *Audi Iſrael, & obſerva ut facias quæ præcipit tibi Dominus, & bene ſit tibi... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens: & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua: eruntque, & movebuntur ante oculos tuos: ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ .... Cave diligenter ne obliviſcaris Domini.*

II. Quæſo, obteſtorque te, chriſtianæ lector, & divinæ Moralis diligens inveſtigator, ut paulliſper meditationes tuas in reſcriptum teſtimonium ſerio mecum intendas. Duo in eo continentur. Unum exercitium divini amoris, alterum ſtudium divinæ legis præcipit. Et primum cogita quam ſit luculentum, perſpicuum, & omnibus pervium & manifeſtum. Cedo, exprimi ne poterant verbis clarioribus, phraſi luculentiore, quæ ibi præſcribuntur? Ultra perge. In mentem revoca commenta quæ Probabiliſtæ, Sanchez, Tamburinus, Antonius Sirmondus, Eſcobarius, Caſtropalaus, Diana, Sporerius, & centum alii Caſuiſtæ ſuper hoc præcepto excogitarunt. Alii præceptum iſtud numquam per ſe in toto vitæ curſu, alii dumtaxat in mortis articulo, alii per accidens aliquando, alii infra biennium ſemel, alii ſemel intra quinquennium obligare cavillantur. Quis ſancto Dei zelo ſuccenſum ſe non ſentit, dum hæc portentoſa commenta cum reſcripta divina lege confert? Si Chriſtiani, ſublatis Caſuiſtarum libris, hanc divinam legem legerent, meditarentur vim, emphaſim, gravitatem omnium particularum, quibus utrumque & amoris divini exercitium frequentiſſimum, & ſedulum divinæ legis ſtudium præcipitur, ancipites ne manerent, aut in partes oppoſitas ſcinderentur ſuper eiuſmodi legis obligatione & intelligentia? An ex integris nationibus & populis unus inveniretur qui ex ſimplici talis legis lectione indicata quorumdam Caſuiſtarum paradoxa erueret? Duo ergo heinc collige numquam ab animo tuo delenda. Primum, quam ſit grave debitum inveſtigandi divinam legem: alterum, quam vera ſint ea quæ capite ſuperiore docui, nempe Scripturam ſanctam, quæ credenda & agenda præcipit tamquam neceſſaria ad ſalutem, plurimum eſſe claram, perſpicuam, & intelligibilem; & ſolum hominum vitio, infirmitate, partium ſtudio fieri obſcuram impeditamque. Nihil ſane clarius, nihil luculentius reſcripto teſtimonio, vel ipſi duriſſimo populo manifeſto & pervio.

III. Hæc *Exod.* XIII. præſcribuntur. *Narrabiſque filio tuo in die illo dicens: Hoc eſt quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto. Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos, & ut lex Domini ſemper ſit in ore tuo.*

Digitized by Google

IV. Summa animadverſione digna ſunt quæ *Deuter. cap.* XII. præcipiuntur. *Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur .... Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Rurſus eodem *Lib. Deuter. cap.* XXXI. hæc Deus præcipit. *Convenientibus cunctis ex Iſrael, ut appareant in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, Leges verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis. Et in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis & advenis, qui ſunt intra portas tuas, ut audientes diſcant, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant, impleantque omnes ſermones legis huius. Filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire poſſint, & timeant Dominum Deum ſuum.* Si obſcura, ſi ſupra communem captum communiter legis intelligentia eſſet, numquid præcepiſſet Deus ut cunctis viris lex ſancta legeretur?

V. Quæ Ioſue *cap.* I. iubentur, confirmant ea quæ dicta ſunt. *Confortare, & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias, & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus, ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Probabiliſtæ vi ſui ſiſtematis declinant ad dexteram & ad ſiniſtram; immo magis ad ſiniſtram quam ad dexteram: quia magis amant, & ſeligunt ſententiam minus probabilem, ſeu minus veritati conformem: quoniam hæc ſententia minus veritati conſentanea, ſeu minus probabilis magis favet libertati, carni, & ſenſui. Immo ut vidimus, methodus probabiliſtica præſcindit ab errore, & veritate, & tertiam ſibi excogitavit latiorem viam. Deus autem ita veritatis viam nos percurrere imperat, ut non declinemus neque ad dexteram neque ad ſiniſtram. Ut autem hanc veritatem inveniamus, ad legis meditationem nos mittit.

VI. Pauca tranſcribam ex *prologo in* Eccleſiaſticum. *Multorum nobis, & magnorum per legem, & Prophetas, alioſque qui ſecuti ſunt illos, ſapientia demonſtrata eſt: in quibus oportet laudare Iſrael doctrinæ, & ſapientiæ cauſa: quia non ſolum ipſos loquentes neceſſe eſt eſſe peritos, ſed etiam extraneos poſſe & dicentes, & ſcribentes doctiſſimos fieri. Avus meus Ieſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum qui nobis a parentibus noſtris traditi ſunt; voluit & ipſe ſcribere aliquid horum ... Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori ſtudio lectionem facere ... Itaque bonum & neceſſarium putavi & ipſe aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum iſtum: & multa vigilia attuli doctrinam in ſpatio temporis ad illa quæ ad finem ducunt, librum iſtum dare, & illis qui volunt animum intendere, & diſcere quemadmodum oporteat inſtituere mores, qui ſecundum legem Domini propoſuerint vitam agere.* En librum quem proponit Eccleſiaſticus illis qui *ſecundum legem Domini* vi-

tam

tam agere volunt. Hanc eamdem doctrinam repetit *Proverb.* xxx. inquiens : *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum. . . . Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe : ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax.*

VII. Audiant qui ſanctos codices negligunt, & meditentur quæ *Lib. VI. Reg. cap.* xxii. ſcripta ſunt. *Librum dedit mihi Helcias Sacerdos. Quem cum legiſſet Saphan coram Rege, & audiſſet Rex verba libri legis Domini, ſcidit veſtimenta ſua . . . . . Ite & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo, & ſuper omni Iuda de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt : magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos: quia non audierunt patres noſtri verba libri huius, ut facerent omne quod ſcriptum eſt nobis.* An aliqui patres noſtri perdiderint, ſeu neglexerint librum iſtum in ſcriptis ſuis, experientiam conſule. Quid, ſi reſcribere vellem quæ *Ierem. cap.* xxxiv. habentur contra negligentes lectionem ſacri voluminis? Integro fere capite legi Scripturam ſanctam præcipit Propheta coram Rege & populo. Pauca ex *cap.* iii. *Ezechiel.* tranſcribam. *Fili hominis . . . comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſrael. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo : & dixit ad me : Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi : & comedi illud : & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Et dixit ad me : Fili hominis, vade ad domum Iſrael, & loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Iſrael : neque ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones: & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te. Domus autem Iſrael nolunt audire te: quia nolunt audire me.* Prius ergo comedendum eſt volumen iſtud a Theologis, ut lac parvulis epotandum præbere valeant. An Theologi docere legem divinam Chriſtianos non debent, quemadmodum Ezechiel docuit filios Iſrael? Quomodo autem interpretari illam populis valent, niſi illam comedant, ſeu intellectus meditatione comprehendant? Alterutrum ergo dicendum, Theologos vel ſenſa propria, vel divina mandata tradere. Si propria, ergo non divina : ſi divina, ergo Scriptura ſancta, quæ illa continet, meditanda illis eſt.

VIII. Teſtimoniis novi fœderis propoſitio noſtra roboratur. Quæſtiones de tributis Cæſari ſolvendis, de mortuorum reſurrectione ſolvendas proponunt Phariſæi, ut narrat *Matth. cap.* xxii. his verbis. *Magiſter, ſcimus quia verax es . . . Dic ergo nobis quid tibi videtur : licet cenſum dare Cæſari, an non?* Quid Chriſtus reſpondit. Primo quæſtionem dirimit; poſt illos redarguit tamquam ignorantes Scripturarum. *Reſpondens autem Ieſus ait illis : Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Rurſus *Ioan.* v. ſuper quæſtione de adventu Meſſiæ, quam ei moverant Phariſæi, non ad libros Rabbinicos, ſeu ad Caſuiſtas Iudæos., ſed ad divinas Scripturas illos mittit Chriſtus Dominus. *Scrutamini Scriptu-*

pturas , quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere : illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me . Iterum *cap.* VII. illos ad legem Moyſis mittit . *Nonne Moyſes dedit vobis legem ; & nemo ex vobis facit legem . . . Qui credit in me , ſicut dicit Scriptura* &c. *Nonne Scriptura dicit ? . . . Scrutare Scripturas* &c. S. Apoſtolus Paulus ſimiliter Scripturarum indefeſſum ſtudium præſcribit . Ad Rom. XV. *Quæcumque ſcripta ſunt , ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt , ut per patientiam , & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus .*

IX. Quæ S. Paulus *II. ad Timoth.* III. ſcribit , ſummopere conſideranda ſunt . *Hoc autem ſcito , quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa . Erunt homines ſeipſos amantes , cupidi , elati , ſuperbi , blaſphemi , parentibus non obedientes , ingrati , ſceleſti , ſine affectione , ſine pace , criminatores , incontinentes , immites , ſine benignitate , proditores , protervi , tumidi , & voluptatum amatores magis quam Dei , habentes ſpeciem quidem pietatis , virtutem autem eius abnegantes : & hos devita . Ex his enim ſunt qui penetrant domos , & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis , quæ ducuntur variis deſideriis ; ſemper diſcentes , & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes . Quemadmodum autem Iannes , & Mambre reſtiterunt Moyſi ; ita & hi reſiſtunt veritati : homines corrupti mente , reprobi circa fidem . Sed ultra non proficient : inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus , ſicut & illorum fuit .* Duo animadvertas oportet , ut monitum Apoſtoli ſalubre tibi ſit. Unum , homines quos deſcribit , ſpeciem præferre pietatis . Pietas enim adeo humanæ menti conſentanea eſt , ut qui decipere , & ſeducere alios velint , larvam pietatis induant opus eſt . Malitia , fraus , iniquitas aperta vel ipſis improbis diſplicent . Alterum , eiuſmodi homines feminas onuſtas peccatis , deſideriis pravis obſtrictas , luxus , pomparum , ludorum , ambitionis , obſequii , & amatorculorum ſibi obſequentium cupidas , variis & peregrinis doctrinis captivas ſub iugo voluptatis detinere , illarumque domos frequentare , & penetrare . Porro quid tibi præſtandum , ut tot inſidias declines ? Audi Apoſtolum Paulum . *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam , inſtitutionem , propoſitum , fidem , longanimitatem , dilectionem , patientiam . . . Tu vero permane in iis quæ didiciſti , & credita ſunt tibi , ſciens a quo didiceris . Et quia ab infantia ſacras litteras noſti , quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem , per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu . Omnis Scriptura divinitus inſpirata , utilis eſt ad docendum , ad arguendum , ad corripiendum , ad erudiendum in iuſtitia , ut perfectus ſit homo Dei , ad omne opus bonum inſtructus .* Alterutrum ergo dicendum : aut Apoſtolum mentiri , decipere , illudere , dum inquit , divinas Scripturas nos *ad omne opus bonum* inſtruere ; aut falli illos qui negant in divinis Scripturis contineri regulas & documenta quæ neceſſaria ſunt ad noſtram inſtructionem . Aut nos decipit Apoſtolus , dum ad Scripturas ſanctas nos remittit , ut ea diſcamus quæ requiruntur ad

ho-

Digitized by Google

hominem Dei perficiendum : aut nos decipiunt qui non ad Scripturas , ſed ad libros illos nos amandant qui, neglectis Scripturis , proprio cerebro conſcientiarum regulas fabricant. Verum perpende quæ continuo *cap.* IV. ſubdit S. Paulus . *Prædica verbum, inſta opportune, importune : argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt , ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus : & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto* . Numquid Apoſtolum ſanctum improbaturi aliqui erunt , quod prædicat venturos eſſe magiſtros fallaces, deceptores; & Chriſtianos qui eos ſecuturi ſint, & eorum doctrinas elaturi ? Numquid me cum S. Apoſtolo damnabunt, quod illos libros deſpiciam qui divinis Scripturis vacui ſunt, qui opiniones cum Scripturis ſanctis pugnantes docent ? At iſtorum improperia nihili facerem : quoniam omnes eos libros , ſive antiquos , ſive recentes , ſive noviſſimos , ego commendo , ſuſpicio , veneror, legendos ſuadeo , qui doctrinam ſanctarum Scripturarum , & ſanctorum Eccleſiæ Patrum docent, defendunt, & fideli populo interpretantur . Quare iterum cum S. Paulo *I. ad Timoth.* IV. repeto . *Dum venio , attende lectioni , exhortationi , & doctrinæ . Noli negligere gratiam quæ in te eſt , quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyterii. Hæc meditare, in his eſto : ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus . Attende tibi , & doctrinæ : inſta in illis . Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies , & eos qui te audiunt* . Hæc auribus intentis audiant, hæc ſummopere meditentur omnes Presbyteri , Sacerdotes , Concionatores, morum Theologi . Omnes legi ſtudere obſtringuntur : qui populos docent , inſtruunt , eorumque animas regunt , gravius & impenſius in hoc incumbere ſtudium debent. In mentem revoca quæ *diſſert.* I. diximus de humanæ rationis obſcuritate ex hereditaria corruptione proficiſcente . Verbum autem Dei lucerna eſt ſplendens in caliginoſo loco , lumen eſt ſemitis noſtris . Ergo qui huic lumini claudunt oculos , in tenebris , & in umbra mortis ambulant . Populi Scripturas divinas non legunt . Ergo ſi Theologi animarum rectores divinis Scripturis ſedulam operam non navant , conſequitur eveniſſe illud quod Deus per Prophetam *Amos cap.* VIII. prædixit . *Mittam famem in terram : non famem panis , neque ſitim aquæ , ſed audiendi verbum Domini . . . Circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient* . Porro factum notorium eſt omnibus , libros plures Caſuiſtarum vacuos eſſe divinis Scripturis , ſuoſque lectores fame divini verbi conficere. Unicum ferme evangelicum textum una voce veluti triumphabundi opponunt : *Iugum meum ſuave eſt :* & omnes Probabiliſtæ quos ego legi , eumdem in ſenſu evidenter falſo , erroneo , omnibus Patribus oppoſito interpretantur, ut infra demonſtrabo.

§. II.

Auctoritate Conciliorum, & SS. Patrum teſtimoniis demonſtratur graviſſimum debitum quo obſtringuntur præcipue Theologi morales ad ſacrarum Scripturarum ſtudium.

I. UT brevitati, quoad fieri poteſt, inſiſtam, miſſis plurimis antiquorum Conciliorum decretis, pauca ex ſolo Concilio Tridentino indico. *Seſſ.v. cap.*I. in primis iubet ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, aut per ſeipſos, aut per ſubſtitutum ſacram Scripturam legant populo, & interpretentur. Reditus conſtitui præſcribit, quo alendi ſint viri tanto muneri præſtando idonei. Poſt multa vero, quæ hic prætermitto, *In Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio ſacræ Scripturæ habeatur .... In Conventibus vero aliorum Regularium, in quibus ſtudia commode vigere poſſunt, ſacræ Scripturæ lectio ſimiliter habeatur*. Nihil frequentius in iure canonico præſcribitur quam ſacrarum Scripturarum lectio. In Decret. *diſt.* XXXVI. *cap.* III. *Si quis* ex S. Hieronymo declarat, Sacerdotis duo eſſe munia, *ut aut a Deo diſcat legendo Scripturas divinas, & ſæpius meditando, aut populum doceat; ſed illa doceat quæ a Deo ipſe didicerit, non ex proprio corde, vel humano ſenſu, ſed quæ Spiritus ſanctus docet*. Fuſior ſermo *ibidem* habetur *cap.* XIV. ubi inter alia hæc leguntur. *Oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum qui eam a maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſervavit, ut ipſe poſſit ea quæ recte ſuſcipit, competenter aſſerere*. Rurſus *diſt.* XXXVIII. *cap.* I. ex Concilio Toletano IV. hæc habentur. *Ignorantia mater cunctorum vitiorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apoſtolus dicens ad Timotheum*: Attende &c. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat*. Porro ſi Sacerdotes omnes ſanctas diſcere Scripturas debent, quo maiori debito obſtricti illi ſunt ad eas perſcrutandas qui magiſterium & regimen ſuſcipiunt animarum, & divinæ Theologiæ tradendæ?

II. Pauca ex innumeris Patrum teſtimonia delibabo. Quæ ex ſacris canonibus adduxi a S. Hieronymo decerpta ſunt: quare omitto plurima quæ ex eo tranſcribere poſſem. Tertullianus *Lib. de præſcript.* neceſſarium evincit ſtudium Scripturarum ad hæreſes deprehendendas, ad cavendos pſeudoprophetarum dolos, & lenocinia, ad veritatem divinæ legis aſſequendam. Inquit enim cap. IV. *Memores ſimus dominicarum præceptionum, & apoſtolicarum litterarum, quæ nobis & fu-*

tu-

turas hæreſes prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt; ut ſicut eſſe illas non expaveſcimus, ita id propter quod fugiendæ ſunt, non imitemur. Inſtituit Dominus, multos eſſe venturos ſub pellibus ovium rapaces lupos &c. Sicut in Dei Eccleſia ſemper ſplendent viri ſancti & ſapientes; ita ſunt pſeudoprophetæ, pſeudoprædicatores, pſeudotheologi, qui more antiquorum pſeudoprophetarum *dulcia & placentia* loquuntur. Hæc veritas toties in Scripturis ſanctis inculcata ſemper menti hæreat oportet. *Vigilate in orationibus*, inquit S. Petrus Epiſt. I. cap. IV. *Attendite a falſis Prophetis*, ſubdit Matthæus. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, clamat S. Paulus.

III. S. Baſilius in *compend. Qq. quæſt.* CCXXXV. Theologum admonet ut debitum frequentandi Scripturarum ſtudium impleat. *Ea quæ ad omnes pertinent, ex Scripturis ſcire, & ediſcere debet, ut omnes doceat voluntatem Dei; ita ut ſingulis oſtendat ea quæ ad ipſos pertinent.* Ineptiſſimus haberetur ille ICTUS, vel advocatus qui ſtatuta ſuæ Reipublicæ perſpecta non haberet, ſoloſque leguleios conſuleret.

IV. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* V. *in cap.* I. *Gen.* inquit: *Videte dilecti quantum malum ſit non attendere ad ea quæ divinis Scripturis ſunt contenta. Hi enim ſi cum gratitudine doctrinas divinæ Scripturæ accepiſſent, & non ſua ex proprio capite excogitaſſent, neutiquam in tantam amentiam veniſſent.* Cave ergo ne æternæ animarum ſalutis negotium ad opiniones proprio marte, aut aliorum ſimilium cerebro excogitatas revoces. Deinde Chryſoſtomus *hom.* III. *in Matth.* laicos obiurgat, ſe a ſacrarum litterarum lectione excuſantes, quod non ſint Monachi, quod uxores habeant. Hæc eſt, inquit Chryſoſtomus, ſeductio & peſtis; quæ omnia corrumpit. Contra iſtos tremendum ſupplicium per Prophetam Amos prædictum obiicit. *Dabo eis non famem panis, & ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbi Dei.* Et hac fame confecti peribunt. Quod ſi hæc de laicis, quid de Sacerdotibus, quid de Theologis, qui chriſtianæ Moralis magiſtri haberi volunt, dicendum eſt?

V. Nullus dubito quin ex lectoribus meis plures, oppoſitæ conſuetudinis, ſeu corruptelæ torrente abrepti, me reprehenſuri ſint, quod tam frequenter diſſuadeam quorumdam Moraliſtarum lectionem. Sed audiant iſti S. Epiphanium *hæreſ.* LXIV. *num.* 4. qui adverſus AEtium, ſola dialectica, & ſophiſticis argutationibus cauſſam ſuam defenſitantem, hæc ſcribit. *Hæc adverſus AEtii dogmata diſputanda putavimus, qui ſola dialectica facultate, & argumentandi ſubtilitate, humaniſque præſtigiis fretus diſſeruit. Ea vero cum prudentia ut legatis, poſtulo. Ita enim, o Chriſtiani, ac Chriſti ſervi, veritatiſque filii, terrenam, ac vaniſſimam illius doctrinam, atque a Spiritu ſancto prorſus aberrantem eſſe cognoſcetis. Qui divini verbi ne una quidem littera mentionem attigit: nec ullum veteris*

Digitized by Google

ris aut novi teſtamtnti locum protulit : nihil ex lege , nihil ex Prophetis , nihil ex Evangeliis , nihil ex Apoſtolis , nihil ex Patriarcharum teſtimoniis in medium adduxit . Non ipſius Salvatoris ſententiam ullam , non Patris , Spirituſque ſancti dictum aliquod ab Apoſtolis , vel Prophetis commemoratum propoſuit . Quo illud veritatis amantes intelligent , plane illum a Deo eſſe , & a fide alienum . Terrenam & vaniſſimam vocat Theologiam illam quæ Scripturarum , Sanctorumque teſtimoniis vacua eſt . Divinæ Scripturæ ſola veritate conſtant . Theologia probabiliſtica , ut ſapienter admonet , & evincit P. Elizalde , & confitentur Probabiliſtæ , non veritate , ſed probabilitate a veritate abſtrahente conſtat . Ergo , inquit Epiphanius , terrena , non cæleſtis eſt . Porro ſola veritas ſaturare intellectum noſtrum valet . Probabilitas veritate carens , veluti aqua turbida , ſitibundum , non quietum illum efficit iuxta oraculum Chriſti : *Omnis qui bibit ex aqua hac , ſitiet iterum . Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei , non ſitiet in æternum .* Et quemadmodum ſitibundus homo inquieto motu huc atque illuc divagatur ; ita intellectus hac ſophiſtica ſcientia obductus uſquequaque circumfertur . Idcirco nos divina Scriptura voce S. Pauli ad *Epheſ.* IV. admonet *ut iam non ſimus parvuli fluctuantes , & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum , in aſtutia ad circumventionem erroris* . Qua autem excuſatione digni nos erimus , qui , ut S. Petrus *epiſ.* II. *cap.* I. inquit , *habemus firmiorem propheticum ſermonem , cui bene facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco* : in caliginoſo , inquam , loco , a quo ut evadamus , in lucernam ſplendidiſſimam ſanctarum Scripturarum intendere mentis oculos debemus .

VI. S. Auguſtinus , non ſecus ac Hieronymus , continenter ſtudium Scripturarum inculcat , omneſque quæſtiones divinarum Scripturarum oraculis reſolvit . *Cum divinis Scripturis , quantum poſſumus , colloquamur* , inquit *epiſ.* CLXXIII. Divinam Scripturam ſpeculum vocat , in quo nævos & defectus noſtros videmus . *Si divinarum* (inquit homil. ult. ex l.) *Scripturarum ſpeculum non negligenter attendamus* . Vel ipſi qui ſibi videntur venuſti , & abſque macula , uſquedum ſe ante falſæ probabilitatis tenebroſum ſpeculum ſiſtunt , ſi vultum converterint in lucidiſſimum Scripturæ ſanctæ ſpeculum , ſubdit Auguſtinus *enar. in Pſal.* CXLIII. ſe plenos nævis , maculis , & criminibus deprehendent . *Certe cum in Scripturis ſanctis fueris contemplatus normam iuſtitiæ , quantumcumque profeceris , invenies te peccatorem* . Cur ? Quia , reſpondet Doctor ſanctus *ſer.* CCXXXVII. *de temp.* hoc Scripturæ ſanctæ ſpeculum lucidum perſpicuumque eſt , non adulans , nec palpans . *Scriptura ſancta ſit tibi ſpeculum : ſpeculum hoc habet ſplendorem , non mendacem ſplendorem , non adulantem , nullius perſonam amantem* . Verum ſicuti deformes feminæ ſpecula vera refugiunt , ne proprias conſpiciant maculas ; ita nos ſpeculum Scripturarum negligimus , reſpuimus videre , formidantes quæ nos con-

Digitized by Google

conturbant; & vultus noſtros convertimus ad ſpecula novi modi opinandi, habentia ſplendorem ſuavem ſenſibus, adulantem, & palpantem concupiſcentias noſtras. Expergeſcimini filii hominum, clamat zelo ſancto æſtuans Auguſtinus, ſive Auctor *Libri de ſalutar. docum. cap.* IX. Ad vos ſcribit epiſtolam Princeps, Rex, Imperator veſter, qua denuntiat vobis theſaurum ditiſſimum donandum, dummodo pauca eius mandata ſervaveritis. Quid adeo ſtupidi, adeo faſcinati eſtis, ut nec epiſtolam legere velitis? Quis ſubditorum tam demens, ut nec dignetur Regis ſui diploma ſibi directum legere? *Omnis librorum ſanctorum ſeries ad noſtram ſalutem ſcripta eſt . . . Per illos nobis loquitur Deus ipſe & Dominus noſter, & piæ nobis voluntatis demonſtrat affectum. Recognoſcamus, & recogitemus, quali honore nobis illius ſit legatio accipienda. Quid ſi legatio a Rege nobis veniret? Numquid non mox, aliis curis poſtpoſitis, prompta voluntate, & cum omni devotione litteras acciperemus, & legentes implere ſatageremus? Ecce de cælo Rex Regum, & Dominus Dominantium, immo & Redemptor noſter per Prophetas, & Apoſtolos dignatus eſt nobis dirigere litteras ſuas, non ut aliquod ſervitium ſibi neceſſarium demandet; ſed ut quæ ad ſalutem & gloriam nobis prodeſſe poſſint, innoteſcant.*

VII. Quid ad hæc Probabiliſtæ? Reponunt, inter prærogativas veræ probabilitatis unam, & potiſſimam eſſe, quod non repugnet evidenter alicui divinarum Scriptuarum teſtimonio. At vix eſt teſtimonium aliquod divinum quod Probabiliſmus non eludat. *Si quid Scriptura*, inquit Auguſtinus Lib. III. de doctrina chriſtiana cap. X. *vel præceperit quod abhorret a conſuetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, ſi animum eorum iam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putant. Non autem præcipit Scriptura niſi caritatem, nec culpat niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Item ſi animum præoccupavit alicuius erroris opinio, quidquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Nihil ad inſtitutum noſtrum opportunius. Novus opinandi Modus probabiliſticus ita inveteravit, atque mentes quorumdam occupavit, ut Scripturæ divinæ, quæ penitus illum profligant, ad figuratas ſignificationes detorqueantur, unica diſtinctiuncula deludantur. Quid, clamant aliquando, hanc Scripturam obtrudis? Evidenter ne evincit quod probare contendis? Minime gentium. Sed tranſeat etiam quod probabilius evincant verbum Dei nos obligare ad legem implendam. Tamen hæc probabilior veriſimilitudo non tollit quin opinio noſtra minus utique probabilis, minus utique veriſimilis, & humanæ libertati favens, non remaneat & ipſa probabilis. Probabilius eſt nos actionem hanc exercendo violare legem, peccare mortaliter; at ſimul minus probabile eſt, nos non peccare, nec fore damnandos. Porro in hoc conflictu maioris & minoris probabilitatis, offenſæ divinæ maieſtatis, & damnationis æter-

ter-

ternæ, numquid æquum eſt ut privemur noſtra libertate ludendi, converſandi; negotiandi, & fruendi noſtris honeſtis recreationibus; licet probabilius ſit periculum æternum pereundi, cum talia agimus? Hoc eſt germanum Probabiliſmi idioma, quod tibi, lector Chriſtiane, extremum ingerit horrorem, & Probabiliſtis anſam nos deridendi, & traducendi, tamquam exaggeratores, declamatores, qui illorum benignum opinandi modum tetris, & minus ſinceris (cum tamen ſint ſinceriſſimi) coloribus depingamus. Sed ne commoveare: quoniam, inquit Auguſtinus, *ſi animum præoccupaverit alicuius erroris opinio, quidquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur*. Proh Deum immortalem! inclamat Aquilinus Doctor Auguſtinus, ſive alius Auctor *tract. de ſcient. bon. & mal.* poſt medium. *Imperatoris ſacra nemo ſine periculo ſui ſanguinis contemnit, ſed omnes ſuſcipiunt cum tremore, & veneratione, & adorant viliſſimam chartulam atramento ſcriptam, & velut divinos adorant apices. Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipſe Dominus, qui admonendo præſens præſentibus loquitur, non auditur, aut faſtidioſe homines audiunt, aut, quod peius eſt, ſedentes fabulis vacant. Imperator longe poſitus de chartula loquitur, & tremitur, & quaſi præſens illa chartula adoratur. Teſtamentum dominicum recitatur, & ab aliquibus hominibus contemnitur?* Et Lib. cont. epiſ. Parmen. cap. 11. *Homini de Scripturis ſanctis proferenti tam multa, & tam ingentia documenta, ipſe ſine documentis loquitur, & vult nihil probans credi ſibi, invitans eum ad imitationem ſui, quia & ipſe quibuſdam* (anteceſſoribus Probabiliſtis) *nonniſi loquentibus credidit? Qua credulitate quid magis temerarium reperiri poteſt?*

VIII. Methodum facilem interpretandi Scripturæ ſanctæ auctoritatem præbet S. Auguſtinus *Lib. II. de Doctr. Chriſt. cap.* 11. ut ſcilicet a manifeſtis & luculentis textibus ad difficiliores pergatur, & poſteriores per primos declarentur. *Quæ in Scriptura poſita ſunt præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertius diligentiuſque inveſtiganda ſunt. In iis enim quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa OMNIA quæ continent fidem moreſque vivendi, ſpem ſcilicet, & caritatem. Tum in ea quæ obſcura ſunt, adaperienda & diſcutienda pergendum eſt, ut ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant.* Alterum documentum ſane graviſſimum nobis porrigit Auguſtinus, videlicet divinas Scripturas non modo præceptiones, & mandata continere, quibus formare mores noſtros debemus; verum etiam ſi interdum ambigua & obſcura mandata nobis videantur, Sanctorum vitam, & exempla perhibent, quæ quo in ſenſu accipienda illa ſint, nos docent & inſtruunt. Sic enim *Lib. de mendac. cap.* v. loquitur. *Divinæ Scripturæ non ſolum præcepta Dei continent; ſed etiam vitam, moreſque iuſtorum, ut ſi forte occultum eſt, quemadmodum accipiendum ſit quod præcipitur, in factis iuſtorum intelli-*

li-

Digitized by Google

ſigatur. Heu nos felices, ſi divinam hanc regulam ſequeremur? Nullus profectò Sanctorum latam viam probabiliſticam calcavit. Sanctorum, quos certum eſt divino fuiſſe perfuſos lumine, vita verus eſt ſacrarum Scripturarum interpres. Verum & hic nonnulli ſuum habent effugium, Sanctos videlicet viam cucurriſſe ſublimem, geſtibus heroicis ornatam, quæ peragenda proponi haud debent illis qui Chriſtiani *ſubſtantialiter* tantum ſunt, non perfecti. At hoc interpretamentum infra diſpellam. Imitari enim ipſum divinum ſanctiſſimumque Redemptorem noſtrum aſtringimur; eique conformes fieri debemus, ſi videre ipſum in cælo volumus. Concludit vero S. Doctor, bene moratis fidelibus Scripturas divinas ſaluberrimas eſſe, illis contra perniciosas qui ad proprias appetitiones eaſdem detorquere conantur. *Omnia divina eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus, periculoſa vero his qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere, potius quam ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere*: enar. in Pſal. xlviii. conc. i.

IX. Pauca curſim delibabo ex aliis Patribus. S. Anaſtaſius Sinaita *quæſt.* lxxviii. *in ſacr. Script.* hæc ſcribit. *Quicumque ſunt imperiti divinarum Scripturarum, non poſſunt eſſe patresfamilias . . . Magnum malum eſt ignorare ſacras Scripturas. Hinc germinavit omnis peſtis hæreſum . . . Hinc animæ cæcitas, hinc deceptio dæmonum.* S. Ambroſius *Lib.* IV. *in Luc. de trib. tent. Chriſt.* arti dæmonum vertit Scripturarum neglectum. *Satanas transfigurat ſe ſicut Angelus lucis . . . & de Scripturis ipſis divinis laqueum fidelibus parat, utiturque teſtimoniis Scripturarum, non ut doceat, ſed ut decipiat.*

X. S. Gregorius Magnus *Lib.* XV. *in Iob cap.* ii. volumen volans Zachariæ pro ſacra Scriptura accipit: & in illum textum, *Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ*, hæc adiicit. *Sed quia hæc ſacra eloquia ad æternam damnationem ſunt eis qui illa vel ſcire nolunt, vel certe ſciendo contemnunt, recte de hoc volumine dicunt: hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* Quid de illis dicendum qui Scripturas divinas neſciunt, & tamen dirigere per vias Domini animas audent?

XI. Gravis & formidanda eſt animadverſio S. Petri Damiani *epiſ.* cvi. in textum illum i. *Reg.* xiii. ubi narratur Philyſtæos Iudæis omnes fabros ferrarios ſuſtuliſſe, ne ullus eſſet qui iiſdem arma fabricaret quibus ſe defenderent. *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſrael. Caverant enim Philyſthiim ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Hac arte Theologos a Scripturarum ſanctarum ſtudio avertere tentat dæmon, ſciens hæc eſſe arma quibus noſtri iugulantur hoſtes, ut teſtatur S. Paulus ad Epheſ. vi. *Aſſumite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*: & iterum ad Hebr. iv. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quæ omnia ſic interpretatur laudatus S. Petrus. *Hunc gladium quia perverſi ſpiritus timent, fabros de terra Iſrael auferunt, dum eos, qui redarguere delin-*

Digitized by Google

delinquentium errata deberent, a tenenda cenſuræ diſciplina compeſcunt: & hoc negligentiæ diſſolutione contingit, ut in ſervorum Dei quibuſcumque conventibus non modo ceſſet ſermo divinus audiri, ſed etiam honeſtarum artium exercitium frequentari.

XII. S. Bernardus *ſerm. de Habacuc inter diverſ.* quaſi ætatis noſtræ imaginem ob oculos haberet, narrat querimoniam diſcipulorum, qui poſt auditam Chriſti Domini concionem habitam Capharnaum, dixerunt illud ipſum quod nunc vociferantur plures: *Multi audientes ex diſcipulis eius dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Ioan. VI. Ubi ſubdit Evangeliſta, multos tædio, & doctrinæ rigore perterrefactos abiiſſe. *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* Converſus Chriſtus ad diſcipulos, eos interrogavit, num & ipſi abire vellent. Qui continuo reſponderunt: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Hoc idem ætate noſtra accidit, inquit Bernardus. Chriſtianis qui viam Chriſti arctam ambulant, qui caritate ſplendent, qui ſincero æternæ ſalutis zelo ardent, iugum Chriſti ſuave eſt, verba Chriſti vitæ æternæ ſunt. Contra clamant communiter alii, qui mundi illecebris, qui voluptatum lenociniis, qui ſenſuum appetitionibus indulgent: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Rigoriſmus iſte opprimit animas, conſcientias lacerat, pacem turbat. Ideo ſe convertunt ad alios, qui loquantur *placentia*, qui videant vana, qui dulcia polliceantur & benigna. *Ita dico vobis, fratres, uſque hodie quibuſdam eſt: quoniam verba quæ loquitur Ieſus, ſpiritus, & vita ſunt, & propterea ſequuntur illum: aliis dura videntur, & miſeram alibi quærunt conſolationem.* Miſera ſane & triſtis conſolatio illa eſt quam hodie tot quærunt in opinionibus non duris, ſed blandis, non vitæ æternæ, ſed vitæ carnalis, & æternum morituræ.

XIII. S. Thomas Aquinas præfatum S. Ioannis teſtimonium interpretans *lect.* VIII. animadvertit, non paucos, ſed *multos* diſcipulos ob ſeverum Chriſti Domini ſermonem abiiſſe: quoniam, inquit, *ſtultorum infinitus eſt numerus*: & Matth. XX. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*: & tandem concludit: *Quia non docebat eos PLACENTIA, vellent aliquam occaſionem quærere recedendi.* Item hodie non pauci, ſed multi durum evangelicum ſermonem audire refugiunt: & blandos benignoſque Prophetas adeunt, qui placentia eiſdem loquantur. Omnia opera theologica S. Thomæ ex divinis Scripturis, & SS. Patribus compacta ſunt. Initio ſuæ aureæ Summæ *quæſt.* I. *art.* 8. definit. *Argumentari ex auctoritate eſt maxime proprium huius doctrinæ, eo quod principia huius doctrinæ per revelationem habentur.* Opuſc. LXV. Sacerdotis munia inſtruendi populum explicans, inquit: *Circa inſtructionem populi duo ſunt neceſſaria, ſcilicet doctrina, & vita pura; ut doceat populum verbo, & opere ædificet exemplo. Debet etiam frequenter exponere verba ſacræ Scripturæ.* Et alibi hæc habet: *Si videmus medicos corporum revolvere quotidie & legere*

libros

libros &c. *Magna STULTITIA eſt non legere libros Sanctorum, medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras*. Tempus tererem, ſi innumera teſtimonia, quibus neceſſitatem ſtudii Scripturarum evincit, referre vellem. Sat eſt dicere; S. hunc Doctorem univerſam ſacram Scripturam ita memoriæ infixam habuiſſe, ut mihi portentum magnum ſit, dum eius opera lego tali artificio eloquiis Scripturarum intexta & concinnata, ut ex incredibili multitudine quæſtionum, & caſuum, quos diſcutit, vix aliquem abſque divinæ Scripturæ auctoritate reſolvat.

XIV. S. Bonaventura in *prologo ſui Confeſſionalis* hæc ſcribit. *Cum ſecundum B. Gregorium cura paſtoralis ſit ars artium, regimen animarum, & occultiora ſint vulnera cogitationum quam viſcerum; HORRENDUM profecto eſt videre quoſdam Sacerdotes noſtri temporis, qui ſacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars SUFFICIENTISSIME traditur, & iura canonica, & ſcripta Doctorum, in quibus PLENISSIME declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt. Et tamen cordis medicos in audiendis confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt*. Si horrendum eſt Confeſſarios ignorare Scripturas ſanctas, & iura canonica; longe horrendius eſt hæc ignorari ab illis qui Doctores univerſales haberi volunt, & ſponte munus tradendæ Theologiæ pro animarum rectoribus ſuſcipiunt.

XV. Ceteros recenſere negligo: nam evidens compertumque eſt, ab Apoſtolis ad tempora circiter S. Antonini Archiepiſcopi Florentini uſque, omnes Eccleſiæ Patres, omneſque Theologos ſcripta ſua ex ſanctis Scripturis, ex SS. Patribus, & Conciliorum decretis concinnaſſe. An volumina plurium Caſuiſtarum abundent aut Scripturis, Patribus, & Conciliis, aut humanis ratiociniis, diſtinctiunculis, ſubtilitatibus, ſubdiſtinctionibus, argutationibus, quæ omnia plerumque ex animis proprii ſyſtematis defendendi anticipationibus præoccupatis oriuntur, experientia teſtis eſt. An Cyprianus, Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Damaſcenus, Damianus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, Antoninus, & ceteri omnes errarunt, deceptique fuere? Omnes, nullo dempto, XIV. circiter ſæculorum ſpatio, & facto, & verbis doctrinam fidei & morum ex Scripturis divinis, ex ſanctis Doctoribus hauriendam eſſe docuere. Ergo qui aliter ſentiunt, qui aliter ſcribunt, turpiter a via Chriſti aberrant.

XVI. Sed inquires, qui fieri potuit ut poſtremæ ætatis plures Theologi a maiorum ſemitis defecerint, Scripturaſque ſanctas neglexerint? Sed ego inquiro a te, cur primæ ætatis populi maiores noſtri a tabulis cordis deleverint legem a Deo impreſſam: cur Phariſæi, & Scribæ Iudæorum, lege Domini neglecta, doctrinas hominum, ſicuti eiſdem improperavit Chriſtus Dominus, docuerint? Aliqua tamen occa-

Digitized by Google

occaſio, non data, ſed accepta defectionis iſtius, in multis ultimæ ætatis Theologis hæc fuit. S. Thomas, S. Bonaventura, Alenſis, B. Albertus Magnus, & ceteri illius ſæculi Theologi, ut infideles propriis armis revincerent, potiſſimum Arabes, Ariſtotelis Philoſophiæ plurimum fidentes, Philoſophorum doctrinas a lumine naturali arceſſitas veluti ancillas ad arcem vocarunt, & quamdam rationis & fidei concordiam ſane mirabilem adornarunt, ut alibi indicavi. Senſim ſine ſenſu, ut in rebus humanis omnibus accidit, poſteriores Theologi, concordia hac fracta, diviniſque Scripturis, & Patrum teſtimoniis relictis, plus æquo rationibus humanis fidère cœperunt: & eo paullatim abuſus, & viciſſitudo devenit, ut plurimi Caſuiſtæ una humana ratiocinandi arte uſi ſint, doctrina revelata neglecta. Et quoniam humana ratio ſe ſola infirma & caliginoſa eſt, heinc contigit ut ultimæ ætatis Caſuiſtæ plurimas pugnantes invicem opiniones, & a veritate divinæ doctrinæ aberrantes in medium adduxerint. Auſum hunc Lutherus improperavit catholicis Theologis; ideo Eccleſia in Concilio Tridentino divinarum Scripturarum ſtudium inſtauravit, ut infra fuſius dicam.

§. III.

Quos præcipue Scripturæ ſanctæ libros legere & meditari debeant chriſtianæ Moralis Theologi, & Confeſſarii.

I. Nihil in Scriptura ſancta ſuperfluum, otioſum nihil: quæ enim a Deo ſunt, omnia ad Dei gloriam ordinata ſunt. De univerſa divina Scriptura hæc S. Paulus ad *Rom.* xv. ſcribit. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Rurſus II. ad Timoth. III. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo ad omne opus bonum inſtructus*. Hunc Dei hominem a Deo, & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto reformatum & perfectum, infra Evangeliſtarum penicillo depingam. Nunc panem, quem ex univerſa divina Scriptura accipi pro eiuſdem alimento debet, indicabo.

II. In primis ex veteri teſtamento libri ſancti *Pſalmorum*, *Proverbiorum*, *Eccleſiaſtes*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, & *Prophetarum* legendi, ſcrutandi, & meditandi ſunt. In his documenta, conſilia, inſtructiones pro Dei cultu, veneratione, & amore, pro mutua hominum ſocietate, benevolentia iuſtoque commercio frequentiſſimæ ſunt, & omnium captui natura ſua accommodatæ. Iſtorum ſtudium præcipue utile eſt, & pro hominum diverſitate fere neceſſarium. In libris *Deuteronomii*, *Levitici*, *Tobiæ*, *Iob*, *Regum* plurima occurrunt quæ lectores docent, erudiunt,

Digitized by Google

diunt, & ad Deum colendum reverendumque inflammant. Si otio abundarem; ſpecimen cuiuſque libri, facta, portenta tum miſericordiæ, tum iuſtitiæ in peccatores perſtringere vellem. Sed tempus deficit, & prolixitas impedit. In Prophetarum, Regumque libris inveniet lector ſeveriora eſſe Dei iudicia, & a iudiciis hominum longe diverſa. Saulem Regem videbit propter duo facta abiectum, quæ modernæ Theologiæ caſuiſticæ Auctores nonnulli forte conſulti excuſaſſent, quemadmodum & ſupputationem Regis David, quæ Deo adeo diſplicuit. Videbis Reges etiam malos ſuſpiciendos eſſe, fœdera cum infidelibus non eſſe ineunda, Regum conſultores dura & aſpera omni abiecto timore manifeſtaſſe: contra Prophetas, ſeu Theologos (nomine enim Prophetarum etiam Theologi, & Doctores in Scriptura interdum nominantur) inſipientes, adulatores, deceptoreſque plures extitiſſe. Prophetæ ſancti Dei lumine perfuſi, Doctores morum ſunt, quos Deus deſtinavit ad populum ſuum erudiendum. Miramur nos populum Iudæum tanta beneficiorum multitudine donatum, ingratum, idololatram, obcæcatum: & tamen ex univerſo humano genere gens illa à Deo electa erat, non ſecus ac nos Chriſtiani catholici. Homines illi erant eiuſdem naturæ ſauciatæ, vulneratæ, eiſdem paſſionibus luxuriæ, iracundiæ, avaritiæ, ambitionis, ſuperbiæ obnoxii, & ad peccandum proclives, ſicuti & nos ſumus. Iudicia tremenda quæ Deus tulit in Reges, in Sacerdotes, in Paſtores, in Doctores, in populum; quanta ſeveritate animadverterit in feneratores, in idolorum cultores, in legis tranſgreſſores, in fraudulentos, in ſtupratores, ibidem perdiſces. Heinc colliges, non mitius Deum actutum nobiſcum, ſi ſimilia perpetraverimus; immo ſeverius, cum maiori lumine, & gratiarum copia ornati ſimus. Colliges, innumeros Chriſtianos non minus avaros, fornicatores, ambitioſos, vindices eſſe quam Iudæos. Adeo iſti declinavere a iuſtitia, a ſinceritate, a proximi amore, a vero Dei cultu, ut vix eſſet qui faceret bonum. Labiis Deum honorabant, ſicuti & tot Chriſtiani; longe autem a Deo corda eorum erant. Hæc, & innumera alia dum legeris, naturæ humanæ infirmitatem, ad ſcelera, ad ſui perditionem prolabentis, ineffabilis divinæ providentiæ regimen, & infinita alia arcana meditaberis, quæ ad mores tuos formandos, ad declinandum malum, bonumque faciendum excitabunt. Quid de rerum, & eventuum varietate, quid de hiſtorica eruditione, de civili & œconomico regimine, & de ſexcentis aliis documentis, quæ inde percipies, dicendum eſſet?

III. Uberior erit fructus, quem ſacra Evangeliorum lectio tibi pariet. Quæſtiunculas, caſus, controverſias ibi non offendes. Nemo enim legiſlatorum caſus, & diſputationes, quas excogitare hominum ingenia valent, ſuis inſeruere legibus; immo, ut ex S. Thoma alibi demonſtravi, nec convenit, nec fieri id poteſt, ſpectata humani ingenii natura. Sed ibi meditaberis ſplendidiſſimam illam caritatem quæ Evangelii gratia eſt, & prærogativa, qua ceu veſte fulgentiſſima filii Dei a

Digitized by Google

filiis hominum ſecernuntur. Cum huius divinæ virtutis officia, & proprietates; quæ homines Deo, & homines cum hominibus dulci & mirabili fœdere copulat, contemplatus fueris, plures quæſtiones, plures caſus reſolves, definies, & quidem rectius ſanctiusque, quam ſi ingentia Caſuiſtarum volumina memoria teneres. Unicus Chriſti ſermo in monte ad Diſcipulos habitus plura te docebit, & chriſtianæ Moralis callentiorem te efficiet, quam ſi plurium annorum intervallo hominum libris ſtuduiſſes. Ibi comprehendes, quanti faciendæ ſint divitiæ, honores, dignitates; quo in loco habendæ ſint deliciæ, illecebræ, honor, exiſtimatio, plauſus, & cetera omnia mundi bona. Cognoſces diligendos inimicos eſſe, perferendas iniurias, bona pro malis reddenda, deteſtandam hypocriſim, exteriorem cum interiore coniungendam pietatem. Mirabiles, & inſtructionibus fecundæ parabolæ de virginibus damnatis, de invitatis ad convivium & reiectis, de talentis negotiandis, & tot aliis quæ ad mores formandos pertinent, cautum, ſollicitum, vigilantemque conſtituent. Duas offendes vias: alteram arctam, ſpinis, flagellis, tribulationibus conſitam, quæ ſola ducit ad vitam, & paucos per eam ambulantes: alteram deliciis, voluptatibus, otio affluentem, per quam multi currunt, & æternum pereunt.

IV. Apoſtolorum epiſtolæ ſunt univerſæ fidei, & morum Theologiæ ſuccus & compendium. Illas ſcripſerunt Apoſtoli ſancti ad Chriſtianos omnes illius temporis, videlicet ad Doctores; Epiſcopos, Paſtores, nobiles, plebeios, milites, mercatores, iudices, ad populum denique doctum, & indoctum, iiſque gradibus diſtinctum, ac ſumus nos in præſentia. Ignorarunt ne Apoſtoli ſancti modum formamque inſtruendi fideles eiuſdem conditionis, eiuſdem profeſſionis ac nos ſumus? Ignorarunt ne Apoſtoli regulas, inſtructiones, doctrinam ad fidelium ſalutem neceſſariam? Ignorarunt ne Apoſtoli, quid implendum, quid declinandum ad evadendam damnationem æternam? Defecerunt ne illi, præterierunt ne aliqua ad cognoſcendum, quid eſſet vetitum, quid præceptum, quid indifferens? Alterutrum ergo dicendum: aut ignorantes fuiſſe Apoſtolos, Evangeliſtas, univerſumque illum ſacrorum Theologorum cœtum; aut doctrinam omnem ad ſalutem requiſitam tradidiſſe, ut infra fuſius demonſtrabo.

V. Pauca curſim indicavi, quæ tamen ſatis ſunt, ut hinc dignoſcere valeas, quam decepti illi ſint, ſi qui ſunt, qui aliam præter hanc doctrinam ad animas dirigendas requirunt. Hæc explicari, amplificari, digeri, prout diverſa populorum conditio fert, optime poteſt: & eiuſmodi libros magni facimus; eos vero reiicimus qui aliam diverſam doctrinam tradunt. Hanc ſolam legem evangelicam interpretati maiores noſtri ſunt, hanc ſolam amplificare exemplis, ſimilitudinibus illuſtrare pro diverſa hominum conditione curarunt. Huic ſoli ſi ſtudueris, evaneſcent atque diſperibunt innumeræ illæ quæſtiones quæ pruriunt hominum auribus.

S. Ioan-

Digitized by Google

S. Ioannes Evangeliſta diſcipulis ſuis, documenta & præceptiones quærentibus, paucis verbis reſpondit: *Filioli diligite alterutrum*. Nimis tritum vulgareque dictum hoc illis apparuit. Pro novis & peregrinis ſententiis inſtantibus idem ſemper dedit reſponſum. Quare tædio affecti inclamarunt: *Cur ſemper idem loqueris? Quia*, repoſuit ille, *præceptum Domini eſt: ſi hoc fiat, ſufficit*. Lege eiuſdem Apocalypſim, in qua licet multa, & ſublimia myſteria futuro tempore implenda revelentur, plurima tamen monita doctrinalia continentur, quæ tibi viam Domini percurrenti calcaria adderent acutiſſima. Unum præ ceteris illius documentum ſerio tibi meditandum propono. Erat tum Epiſcopus Laodiciæ doctus, qui cæleſtium donorum copia divitem ſe reputabat: nullius egere inſtructione, nullius ſe criminis conſcium credebat. Sua & ille, quemadmodum nos, formaverat morum ſyſtemata, & regulas honeſtatis, ſed valde benignas & indulgentes. Audi quæ ad eum S. Ioannes ſcribit cap. III. *Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſet, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis: Quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus; & nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, ut videas .... Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis*. Hoc ſanctarum Scripturarum collyrio ungendi ſunt oculi noſtri, ut videant tot opinionum portenta fere a duobus ſæculis inventa ad demulcendos ſenſus noſtros. Tu vide, an plurium doctrinæ expellant teporem illum tremendum formidandumque qui Dei vomitum, & iram provocat. Calidum ne, & caritatis fervore ardentem te efficient doctrinæ illæ quæ Deum per ſe amandum toto vitæ tempore, aut ſingulis annis negant? Hæc, & plurima alia, quæ prætereo, tibi meditanda relinquo.

§. IV.

Sophiſmata, quæ opponere patroni caſuiſticæ Theologiæ poſſunt, diluuntur.

I. PRimum feſtiva ſimul, & craſſa quædam obiurgatio eſt nonnullorum, muſſitantium nos ad errores Valdenſium, & Lutheranorum accedere. Valdenſes inſanientes effutiebant, nihil agendum, nihil tenendum quod in Scripturis ſanctis expreſſum non ſit. Iam ſupra, & alibi ex S. Thoma palam feci, fieri minime poſſe ut legumlatores omnes eventus, & caſus futuros comprehendant in ſuis legibus: qnia innumeri ſunt caſus qui occurrere ſolent, quique incredibilem confuſionem in lege comprehenſi parerent. Dicimus ergo, omnia principia contineri in verbo Dei aut ſcripto, aut tradito, ex quibus illa omnia deduci poſſunt quæ ad

 cre-

credendum, & agendum neceſſaria ſunt. De verbo tradito, ſeu de divinis traditionibus infra ſermo erit. Patet ergo, caſus, quæſtioneſque omnes quæ contingere inter homines poſſunt, expreſſas non eſſe in verbo ſive ſcripto, ſive etiam tradito; ſed principia & regulas omnes ibidem extare, ad quas occurrentes revocari diſputationes valeant, & debeant.

II. Martinus Lutherus, inquiunt, a divina Scriptura ſuæ hæreſis orſa duxit; elatis cothurnis, & plenis buccis Catholicis improperavit Scripturarum neglectum: ad Scripturas ſemper provocavit, ſemper inclamavit: Textum ſanctum quæro, & ſophiſtæ ſe recipiunt ad Dialecticam Ariſtotelis. Ergo qui, ſpretis libris Caſuiſtarum, ad Scripturam provocant, Lutherum imitantur.

III. Probabiliſtæ illi qui hoc obtrudunt commentum, nimium ſe deridendos propinant. Ignorant iſti plurimos plus æquo ab una hæreſi diſcedendo in aliam lapſos hæreſim eſſe, ut Eutychianis, aliiſque accidit. Ignorant, plures nimio imprudentique zelo ſe fortius opponendi Ianſeniſtis, in laxiores opiniones corruiſſe, ut novem Epiſcopi, & Archiepiſcopi Hiſpaniarum de Probabiliſtis non paucis Hiſpanis teſtantur, quorum verba dedi *Prolegom.* 11. Ignorant tandem, hæreticos plurima docuiſſe quæ non minus vera quam ſancta ſunt. Lutherus, Calvinus, Bucerus Trinitatem, Incarnationem, fidem, caritatem prædicarunt: ideo ne neganda ea ſunt? Inculcavit Lutherus Scripturarum ſtudium: ideone illud negligendum? Exprobravit Lutherus Theologis catholicis neglectum Scripturarum, & ignorantiam. Quid inde? iure ac merito hoc illis exprobraſſet, ſi revera deſides, oſcitantes, & ignorantes ſanctarum Scripturarum fuiſſent. Verum calumniam Catholicis affinxit Lutherus. Fuerint Scholaſtici aliqui tricis metaphyſicis plus æquo implicati, & Scripturarum ſtudio deſtituti: iure ne quorumdam Scholaſticorum ignorantia generatim in Catholicos detorquetur?

IV. Porro ad facti veritatem quod attinet, hæc ſcribit Melchior Cano *Lib. IX. cap.* 1. „ Hoc vero ſæculo fuiſſe etiam in Academiis multos qui omnem ferme „ Theologiæ diſputationem ſophiſticis, ineptiſque rationibus tranſegerint, utinam „ ipſi non fuiſſemus experti. Egit autem diabolus, quod ſine lacrymis non queo „ dicere, ut quo tempore adverſum ingruentes in Germania hæreſes oportebat „ Scholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, eo nulla prorſus haberent niſi „ arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irriſi ſunt a pleriſque, ac „ merito irriſi: quoniam veræ Theologiæ ſolidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, eaſque ipſas utinam ſequerentur: feruntur enim e Scripturæ „ ſacræ principiis, cuius iſti vel umbras non ſunt aſſecuti. Quocirca homines verbo tenus in Theologia magiſtri pugnavere illi quidem adverſus Eccleſiæ inimicos, ſed valde tamen infeliciter. Male enim ſe res habet, cum quod ingenio „ & eruditione effici debet, id tentatur a viris qui & ingenio parum valent, nec

„ ſunt

„ ſunt admodum eruditi. Errabant illi autem a principio ſtudiorum ſuorum. Cum „ enim facultates eas quæ linguam expoliunt, mirum in modum neglexiſſent, „ cumque ſeſe in ſophiſtica arte torſiſſent diutius, tum demum Theologiam „ aggreſſi, non Theologiam, ſed fumum Theologiæ ſequebantur. Quod ſi vitu- „ perandi ſunt qui per ignorantiam erraverunt, quid de iis exiſtimandum qui vo- „ lentes & prudentes in errorem inciderunt? Nam cum rem perditam, & colla- „ pſam ſua reſtituere auctoritate deberent, tempori, ut inquiunt, inſervientes non „ modo ſophiſmata non profligarunt, verum etiam auxerunt."

V. Non ergo erravit Lutherus, nec quod Scripturarum ſacrarum ſtudium inculcaverit, nec quod earum ignorantiam aliquibus exprobraverit. Aberravit mortalium audaciſſimus, quod divinas Scripturas non Eccleſiæ iudicio, ſed ſuo Lutherico & hæretico ſpiritui ſubiecerit. Verum ſi nos, contra, Scripturis neglectis, ingenio, & ſolis humanis ratiociniis nixi viam conſtituere ſalutis noſtræ audebimus, ab errore immunes erimus? Errari enim utroque modo poteſt, & Scripturas ſiniſtre interpretando, & Scripturas ignorando. Aberravit Lutherus Scripturas male intelligendo: aberrant & illi qui aut Scripturas ignorant, aut eas novo opinandi modo probabiliſtico a ſimplicitate evangelica omnino alieno, ut Alexander VII. definivit, ad propria humana ſenſa detorquent.

VI. Verum ut aliquo tangantur ſenſu illi qui Lutheraniſmum & Ianſeniſmum catholicis, probatiſque Theologis obiicere non verentur, doctrina S. Pauli, & S. Auguſtini inſtruendi ſunt. Apoſtolus *I. Cor.* 11. propter electorum probationem hæreſes eſſe debere ait. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Quem textum S. Auguſtinus *Lib. de ver. relig. cap.* VIII. ſic interpretatur. *Oportet multas hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant inter vos. Utamur etiam iſto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent. Cum autem foris ſunt, plurimum proſunt, non verum docendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Eccleſia ſancta Deo probati viri, ſed manifeſti non ſunt inter nos, quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire malumus quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de ſomno excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, ſed ut catholicam diſciplinam adverſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores, & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſumus.*

VII. Altius memoriæ commendanda eſt doctrina hæc. Illi hæretici fiunt qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, errarent. Foras eiiciuntur, atque eos contra Eccleſiam divina providentia bellum gerere & pugnare permittit, ut & ſocordes & dormientes Catholici excitentur, atque cautiores, & vigilantiores fiant. Flagitia, abuſus,

ſcandala, ignorantiæ tenebræ Eccleſiæ ſplendorem Lutheri tempore obſcurabant: Lutheri inſtrumento Deus uſus eſt, quo catholicos viros ad Scripturæ ſanctæ ſtudium, ad ſcelera profliganda, ad Dei cultum inſtaurandum excitaret, inflammaret, urgeret. Et ecce brevi annorum intervallo copioſam Cardinalium, Epiſcoporum, Theologorum, qua ſanctitatis, qua eruditionis, doctrinæ, atque prudentiæ ſplendore coruſcantem aciem, in hæreticos irrumpentem. Sapientia, eruditio, morumque integritas Patrum Tridentinorum antiquorum Conciliorum maieſtatem præſeferebat. Refloruit Eccleſiæ diſciplina, Cleri mores ad primævum ſplendorem reformati, ſublata populorum ſcandala, erecta pro iuvenum eruditione Collegia, priſtinaque Eccleſiæ facies refulſit. Novus opinandi modus in chriſtiana morali Theologia tradenda paullo poſt Tridentinum Concilium excogitatus, initio veluti innoxius, & quaſi inter latebras quorumdam Scholaſticorum abſconditus, poſtea ad morales Theologos tranſilivit, & paullatim chriſtianæ Ethices nitorem offuſcare, deinde eiuſdem prima aggredi capita cœpit, & tandem elapſo circiter ſæculo extremas evangelicæ morum doctrinæ clades intulit. Erupit in medium Ianſeniſtarum ſecta, Lutheri & Calvini adverſus libertatem hæreſem ab orco revocans. Opinionum laxarum portenta a quibuſdam Probabiliſtis invecta in unum collecta, & typis edita, Epiſcopis & Eccleſiæ denuntiarunt perdocti Parochi. Epiſcoporum, Theologorumque zelus continuo exarſit in caſuiſticas laxitates. In eaſdem Univerſitatum Cathedræ detonant; Epiſcoporum doctiſſimæ paſtorales epiſtolæ evangelicum gregem inſtruunt; Theologi calamos acuunt, & pro ſanioris Moralis integritate ſtrenue pugnant, doctiſſima volumina edunt; & tandem Romana Sedes laxas & ſcandali plenas propoſitiones damnat, & novum opinandi probabiliſticum modum ab evangelica ſimplicitate alienum, Patrum doctrinæ adverſum, omniumque malorum fontem indigitat. En quam vera ſit magni parentis Auguſtini doctrina, hæreticos nempe Eccleſiam vexantes excitare Catholicos dormientes, eoſque vigilantiores efficere, & ad cuſtodiendum doctrinæ depoſitum provocare. Qui itaque fauſtis avibus adverſus hæreſim Ianſenianam præliari, & cum Ianſeniſtis manus conſerere volunt, primum omnium Probabiliſmo nuntium remittant, & caſuiſticis laxitatibus profligatis, præcepta morum ſimul, & fidei dogmata ab hoſtium cavillationibus, & verſutis commentis aſſerant. Non minus aberrant illi qui, ut vehementius ſe opponant Ianſeniſtis, longius a iuſta Moralis evangelicæ ſeveritate recedunt, quia Ianſeniſtæ damnant probabiliſticas laxitates; ac alii qui ut ſecurius declinent hæreſim Lutheri, Scripturas ſanctas negligunt, quia Lutherus Scripturæ ſacræ ſtudium vehementius inculcavit. Lacrymis deplorant Epiſcopi & Archiepiſcopi Hiſpani illos Probabiliſtas præſertim Hiſpanici regni, qui, ut a Ianſeniſtis longius diſtent, laxiores morum opiniones promovent. Lubet iterum eorum verba reſcribere ex citato libello ſupplici in alloquio ad ſummum Pontificem

Digitized by Google

cem CLEMENTEM XI. ubi hæc habentur. „ Ex quo autem ortum ſumat, quod „ in noſtra præſertim Hiſpania, quadraginta plus minuſve ab hinc annis, TANTA LAXITAS in opinando uſquequaque creverit, facile coniicere nobis eſt. „ Quo enim noſtrum regnum magis expers a *peſte Ianſeniſtarum* ſingulari Dei beneficio in hoc plena ſanitate gaudere dignoſcitur, eo LAXARUM cœpiſſe OPINIONUM LICENTIAM NOSTRATIBUS ARRIDERE, proculdubio credimus. Namque cum in nobis ſileant incompoſiti illi clamores, quibus illius peſſimæ factionis ſectatores adverſus Moralis laxitatem (quam vocibus inſectantur, „ operibus tamen ſequi videmus) inſurgunt: ex hoc LAXITATEM ISTAM minus quam par eſt pluribus Theologis cœpiſſe diſplicere, immo *aliquibus placere*, „ autumamus; eo nimirum prætextu allecti, QUOD SIC A IANSENISTIS PARTIBUS MAGIS RECESSISSE VIDERENTUR. Quibus non leve fomentum præſtitit, & præſtat, quod experimento habemus, quod etſi vere cordati „ coercendam hanc licentiam merito cenſeant, non deſunt qui arbitrentur, etſi „ chriſtiano zelo, nec in hoc cum infectis Ianſeniſmo convenire fas eſſe. Aſt nos, „ continua per omne ſæculum experientia edoctos, non latet unius extremi mali „ removendi cauſſa non eſſe declinandum incaute in alterum extremum contrarium. „ Veritas enim quærenda in medio eſt: quandoquidem, ut Tertulliana utamur „ phraſi, *ſemper Chriſtus inter duos latrones crucifigitur.* “

§. V.

Aliud ſophiſma repetitum a triplici via, peccatorum, iuſtorum, & illorum qui perfectioni inhiant, quibus ſolis neceſſaria aſſeritur ſacræ Scripturæ notitia, exploditur; & iterum confirmatur neceſſitas ſcrutandi Scripturas.

I. INter commenta innumera quæ humana ratio in æternæ ſalutis negotio excogitavit, hoc quod propoſui, infimum non tenet locum. Triplicem viam plures in hoc negotio commenti ſunt. Alia eſt peccatorum, quæ ad infernum ducit: de qua nullus nunc ſermo eſt. Alia iuſtorum, qui *ſubſtantialiter*, ut loquuntur, vitam chriſtianam vivunt, & a peccatis mortalibus abſtinent. Alia illorum qui ad perfectionem & ſanctitatem aſpirant. Primam ex his duabus poſtremis viis percurrunt communiter Chriſtiani mundanis deliciis affluentes, & mundi negotia tractantes; peccata tamen mortalia expreſſe cognita, & manifeſta devitare ſtudentes. Secundam inſiſtunt Chriſtiani illi, & Chriſtianæ quæ ad perfectionem tendunt, vocanturque viri, & mulieres *ſpirituales*. Pro regimine & directione

Digitized by Google

Chriſtianorum primi generis deſignantur libri caſuiſtici, qui viam ſalutis a duobus circiter ſæculis dilatare cœperunt, hoc conſtituto axiomate : *Nunc facilius peccata dimittuntur quam committantur*. Librum in quo hoc axioma habetur, citare nolo. Si cupis ſcire, verum ne an falſum ſit axioma iſtud, conſule praxim tot virorum, & mulierum quæ continenter defatigantur in ſaturandis concupiſcentiis, in ſuis deſideriis explendis, ludis, choreiſque agendis, virium etiam corporalium extenuatione, & poſt tot exantlatos labores facillime a non paucis ſacris miniſtris, leviſſima pœnitentia impoſita, abſolvuntur. Horum profecto reſpectu verum eſt axioma : *Nunc facilius peccata dimittuntur quam committantur*. Iſtis ergo animabus libri deſignantur caſuiſticæ Moralis laxioris. Quoniam (inquit P. Elizalde *Lib. VI. quæſt.* xv. *§*.7. ubi hoc inauditum ſophiſma explodit) doctrinæ probabiliſticæ invectæ ſunt ad ſimpliciter conſervandam gratiæ vitam , ſeu ad *ſimpliciter eſſe*; aliæ doctrinæ ex Scripturis, & Patribus erutæ ad *melius eſſe* : ſicuti ad vitam corporalem aliquis cibus neceſſarius eſt; ad vitam meliorem epulæ delicatiores : ad iter habendum *ſimpliciter*, pedes; ad iter agendum commode , currus . Et ne quiſpiam ſuſpicetur, me iſta gratis, & veluti ad invidiam conflandam excogitaſſe, lubet verba præfati doctiſſimi *Elizalde* tranſcribere. „ Illis itaque duobus diviſis ſpiritualiter vivendi inſtitutis, nemo Chriſtianorum eſt qui deſipiat ; „ Scripturas Dei, & doctrinas in eis traditas non eſſe optimas , non eſſe utiliſſimas, & ſanctiſſimas; Prophetas, & Apoſtolos non eſſe Doctores optimos; Magiſtrum noſtrum Salvatorem non eſſe Doctorum omnium præſtantiſſimum & „ primum . Nihilominus harum Scripturarum , horum Doctorum doctrinam pene „ omnem ad eos pertinere cenſere videntur qui ad perfectionem contendunt; ideſt, „ pertinere *ad melius eſſe, & melius vivere*, *non ad ſimpliciter eſſe, & ſimpliciter* „ *bene & iuſte vivere*. Idemque cenſere videntur de doctrina ſanctorum Patrum , „ ac librorum ſpiritualium plerorumque & ut in plurimum. Ad ſimpliciter vero „ eſſe, & ad ſimpliciter bene, iuſteque vivere videntur alios Doctores, alioſque „ libros, & doctrinas aſſignare , *etſi in eis Doctores illi priores*, *eorumque doctrinæ* „ *non colantur*. Dicis, neminem eſſe qui ita exiſtimet. Et utinam nemo ſit , & „ nemo etiam futurus ſit. Enimvero hoc conceſſo habeo totum intentum quæ„ ſtionis. Nam ſequitur : Ergo doctrina Scripturarum neceſſaria eſt ad ſimpliciter eſſe, & ad ſimpliciter bene, iuſteque vivendum.“

II. Ineptiſſima ergo, commentitiaque eſt diſtinctio illa librorum *ſpiritualium* ; quibus doctrina Scripturæ ſanctæ explicatur, & librorum illorum quos *Caſuiſticos* vocant, ſi doctrinam contineant quæ nec ex Scripturis eruta ſit, nec ad Scripturas divinas revocari poſſit. Et ſane diſtinctio hæc librorum qui *ſpirituales* vocantur, & librorum qui non ſpirituales, ſed caſuiſtici appellantur , ſeipſa maximum abſurdum præfert, quaſi libri caſuiſtici non ſpirituales, ſed corporei & terreni eſſent.

Digitized by Google

ſent. Doctrina igitur revelata omnibus neceſſaria eſt, eique magiſtri morum ſedulam navare operam debent: atque iſtius divinæ doctrinæ pabulo omnes ad unum Chriſtiani alendi ſunt, tum ut vivant, tum ut perfectius vivant. Numquid Chriſtus Dominus, eiuſque Apoſtoli doctrinam tradiderunt pro ſolis Chriſtianis qui perfectioni dant operam; pro Chriſtianis vero qui *ſubſtantialiter* tales ſunt, doctrinam tradunt Auctores qui Caſuiſtæ vocantur? Nemo itaque non videt, quam ſit monſtroſa illa diſtinctio duplicis doctrinæ, unius pro Chriſtianis ad perfectionem aſpirantibus, alterius pro Chriſtianis communiter dictis. Heinc enim ſequitur, Chriſtum IESUM non eſſe Magiſtrum omnium, ſi pro omnibus eamdem doctrinam non docuit. Scripturæ autem divinæ clamant: Unus eſt Magiſter veſter Chriſtus, ſicut unicus eſt Pater noſter Deus, qui amore paterno eodem doctrinæ cibo omnes filios alit.

III. Hoc eodem lacte S. mater Eccleſia, quæ vera interpres eſt doctrinæ divinæ, fideles paſcit. Ex innumeris quæſtionibus quas a ſua fundatione ſive ad fidem, ſive ad mores ſpectantes, diſcuſſit, nec unam definivit inconſultis Scripturis, Traditionibus, & Patribus. Porro ſi Eccleſia, quæ claves habet ſcientiæ ſibi a Deo collatas, cuique Spiritus ſanctus aſſiſtit, nihil arbitrio ſuo, nihil humanis ſolis ratiociniis nixa determinat & definit; ſed antequam fidei & morum controverſias dirimat, Scripturas ſanctas, traditionem ſacram, & ſanctorum Patrum doctrinam conſulit: nos, qui nec claves habemus ſcientiæ divinæ, nec promiſſam, ſicut illa, Spiritus ſancti aſſiſtentiam, noſtris rationibus, Scripturis, Conciliiſque neglectis, quæſtiones circa credenda, & agenda reſolvemus? Illa quidem certo definit, nos probabiliter. At numquid in noſtris probabilibus deciſionibus imitari non debemus methodum ordinemque quem ſancta mater Eccleſia ſervat in ſuis definitivis ſententiis? Numquid alios nos fontes habemus, unde haurire aquas ſalientes in vitam æternam valeamus?

IV. Repones, omnes Scriptores, ſive librorum *ſpiritualium*, ſive librorum *caſuum conſcientiæ* ſuas haurire concluſiones ex Scripturis ſanctis, hoc ſolo diſcrimine, quod illi in regulis generalibus tradendis ſe continent, Caſuiſtæ vero ultra pergunt, & particulares quæſtiunculas reſolvunt. Si ita res eſt, ceſſat quæſtio omnis. At rurſus quæro, num reſolutiones caſuiſticæ peculiares conformes ſint regulis, & documentis generalibus, quæ ex Scripturis ſanctis eruunt Auctores librorum ſpiritualium, & Patres ſancti? Si conſona ſint omnia, nulla inter nos lis eſt, nullaque inter utriuſque generis libros differentia. Verum ſi comparatio fiat caſuiſticæ doctrinæ plurium Moraliſtarum cum doctrina ſive Patrum, ſive librorum quos ſpirituales vocant, non minor apparebit diſtantia quam cælum inter & terram. Nemo improbat ex principiis revelatæ doctrinæ deducere ſingulares concluſiones; cum in hoc ſita Theologia ſit, ut omnes fatentur: quæ Theologia una

na eſt; ut S. Thomas probat *I. Part. quæſt.* 1. Verum Theologia Patrum, & librorum ſpiritualium toto cælo differt a Theologia probabiliſtica & caſuiſtica. Nemo negabit Theologiam morum Patrum, & librorum ſpiritualium ex Scripturis ſanctis optime hauſtam. Ergo oppoſita doctrina caſuiſtica plurium Moraliſtarum in divinas Scripturas revocari nequit. Quid quod vel ipſi adverſarii, ſi qui ſunt, hoc confitentur, dum aſſerunt libros ſpirituales illis deſervire Chriſtianis qui ad perfectionem aſpirant; morales vero pro illis qui ſcire volunt, quid ſit peccatum mortale, quid veniale, & *ſubſtantialem* tantum chriſtianam vitam ducere. Quid plura? Nonne quando Chriſtiani vel ferventem Concionatorem audiunt, aut librum ſpiritualem legunt, puta Granatenſem, Spinolam, Rodriguez, Saniure, & centum ſimiles, & conſcientiæ morſus experiuntur, ad Caſuiſtas concedunt, ut benigniorem doctrinam inveniant, qua remordentis conſcientiæ latratus placent?

V. Inſiſtes, non omnes conſcientiæ caſus, non omnes quæſtiones in Scripturis, & Patribus reperiri. Fateor. In nulla lege, ut iam dixi ſupra, omnes quæſtiones, & controverſiæ, quas hominum ingenia excitare valent, deciſæ reperiuntur. At principia ſunt & regulæ in qualibet lege optime concepta & expreſſa, unde dirimi inſurgentes controverſiæ queant. Verum de hoc infra.

VI. Luculentius divinarum Scripturarum inveſtigatio neceſſaria confirmatur. Divinæ Scripturæ epiſtolæ ſunt omnipotentis Dei ad nos miſſæ, ut alias diximus: & eas nos legere ded gnabimur, aut negligemus? Rogatus Hieronymus, quis eſſet, ſe Chriſtianum eſſe reſpondit. Sed reſponſum audivit: *Mentiris, Ciceronianus, non Chriſtianus es*: quod libros Ciceronis plus iuſto lectitaret; cuius rei teſtis eſt Hieronymus ipſe. Amatorculi, & amaſiæ epiſtolas, quibus mutuo amorem fovent, continenter ante oculos habent: & nos, neglectis epiſtolis Dei, libros interminabilium quæſtionum plenos legimus? Quid ſi Romani, ſi Corinthii, ſi Galatæ legere epiſtolas Pauli renuiſſent? At numquid non æque ad nos ac ad illos ſcriptæ epiſtolæ illæ ſunt, & univerſa Scriptura ſacra? An univerſa morum Theologia non diſputat de ſacramentis Dei, de bono, & non bono, de peccato, & non peccato, de peccato mortali, & veniali, de actibus humanis? Rationem noſtram obtenebratam eſſe diximus. Quomodo igitur ſcire hæc omnia poſſumus, niſi Dei voluntatem inveſtigemus? Dei autem voluntatem ſcire qua ratione valemus, niſi legamus epiſtolas divinas, quæ hanc divinam voluntatem patefaciunt? Quid, ſi Europei populi de rebus Sinenſibus, non lectis eorum libris; quid, ſi de voluntate amicorum, Principum, & quorumlibet hominum definire aliquid vellemus, non lectis eorumdem epiſtolis, quibus illi res ſuas declarant? An portentoſa inſania hæc noſtra non eſſet?

VII. Conſulamus hodiernos antiquarios eruditos, criticoſque plurimos, qui, ut punctum aliquod antiquitatis controverſum decidant, oculos defatigant in perſcru-

tan-

Digitized by Google

tandis membranis, quas præ manibus ſemper habent, in lapidibus, in numiſmatis ſpeculandis. Quid, ſi eoſdem alloquereris? Nonne tot libri proſtant eruditione pleni, qui idem tractant argumentum? Quid ergo oculos defatigatis, quid otio abutimini in membranis iſtis, in petris, in nummis contemplandis, meditandiſque? Cur modernorum lectione contenti non eſtis? Sibilis, & riſu te exciperent ut inſanum. Puderet quippe eos quidquam de antiqua eruditione definire, niſi prius illi ipſi vetuſtatis monumenta, & quidem authographa, aut illis propinquiora legerent, examinarent; niſi prius Auctores antiquiores, & ſynchronos, aut ſuppares, aut viciniores omnes ſevera critice expenderent, ut inde veritatem eruerent, & modernorum lapſus, aberrationes, deceptioneſque caſtigarent. Ad nos nunc oratio redeat. A duobus circiter ſæculis prodiit in medium numeroſiſſima Moraliſtarum multitudo, nova *probabilizandi* methodo invecta. Iſti non de duodecim Tabularum legibus, ſed antiquiſſimis Scripturis Dei ingentia volumina polyantheas, panoplias, alphabetaria, compendia deciſionum, & reſolutionum ediderunt in lucem. Si dicerem iſtos maiori ex parte neque ingenio, neque eruditione, neque maturo iudicio præditos fuiſſe, ſi dicerem in maiori parte horum voluminum deſiderari Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Traditionis teſtimonia: ſi dicerem nullam in magna iſtorum librorum parte criticen, nullum examen Scripturarum, Patrum, & ſacræ antiquitatis occurrere; ſi tandem dicerem maximam iſtorum librorum partem conſtare diſtinctionibus, ſpeculationibus, & citationum catalogis, quibus Auctores mutuo ſe laudant, & præconiis ſe extollunt, & veluti aves & oves, inquit Navarrus in ſuo *manuali*, alii poſt alios eunt: a veritate non aberrarem, cum notorium factum ſit. Et hi tamen ſunt magiſtri morum, conſcientiarum rectores, animarum iudices. Verum fortius urgeo argumentationem meam. Finge Probabiliſtas, qui novam in ſacram Theologiam opinandi formam intruſerunt, divinas Scripturas, Patrum libros, Conciliorum canones conſuluiſſe, eorumque libros plenos eſſe Scripturis ſanctis, Patrum, & Conciliorum teſtimoniis: quod quam ſit verum, ipſe noſcis. Quid inde? Illis ne ſolis fidere debent Sacerdotes Domini, animarum Paſtores, & qui de rebus morum & fidei ſcribere contendunt? Puderet modernos eruditos quidquam typis evulgare, immo diſputare de profana antiquitatis eruditione, niſi prius, quoad fieri poteſt, ipſa originalia antiquitatis monumenta tota mentis indagine inveſtigarent, expenderentque; tametſi plurimi eruditi moderni teſtentur ſe eadem monumenta conſuluiſſe, & ſeverius examinaſſe. Et ſummopere non pudebit divinæ Theologiæ magiſtros in morum, fideique controverſiis divinas membranas negligere, ſacros antiquitatis ſcriptores præterire, recentioribus Caſuiſtis fidere, & eorum deciſionibus faſces ſubmittere? Crimen grave eſſet Scripturas ſanctas in morum controverſiis negligere, ſoloſque Moraliſtas legere; etiamſi iſti teſtarentur, ſe ex ſolis Scripturis & Patribus ſuas hau-

Digitized by Google

hauſiſſe deciſiones, ob timorem ne aut ingenii tenuitas, aut oſcitantia, aut partium ſtudium eoſdem a ſincera interpretatione abduxiſſent? Quale ergo crimen erit illis fidere, neglectis Patribus, & Scripturis, ſi luce meridiana luculentius eſt probabiliſtas Scriptores non paucos Scripturarum, Patrum, & Traditionis ſtudium maiori ex parte neglexiſſe, ſuoſque ſimiles conſuluiſſe in caſibus reſolvendis? Recitant utique etiam Probabiliſtæ plures aliqua Scripturarum teſtimonia, ut demonſtrent hoc & illud mandatum eſſe divinum, hanc & illam legem latam eſſe a Deo, ut denique confirment id de quo nullum eſt apud Catholicos diſſidium. Ceterum quot ſunt Caſuiſtæ qui peculiares caſus in divinas Scripturas, in Patrum doctrinam revocent? Quot ſunt qui, quemadmodum noſtri maiores, & Patres noſtri, intexant Scripturarum & Patrum teſtimoniis ſcripta ſua? Quot, uno verbo, ſunt Moraliſtæ in quibus revera eluceant ſollicitudo, anxietas, deſiderium, cura, contentio, & conatus omnia decidendi ad ſacrarum Scripturarum amuſſim? Nonne primum principium *Probabiliſmi* eſt, teſtimonia divina, leges divinas, de quibus in utramque partem probabiliter diſputatur, non eſſe leges, atque adeo non curandas, ſed reſpuendas, tamquam non ſufficienter promulgatas? Hæc omnia ſunt vel ipſis lippis & tonſoribus nota. Tot ne laxitatum portenta edidiſſent in lucem Caſuiſtæ, ſi Scripturas ſanctas, & Patrum doctrinam conſuluiſſent?

VIII. Ut omnia in pauca contraham, legantur, & revolvantur, ſi lubet, Caſuiſtæ. Quidquid boni, quidquid veri, quidquid ad pietatem excitans in iiſdem occurrit, ſuſcipiendum eſt. Sed legantur, non tamquam ſupremi magiſtri, & deciſores, non tamquam iudices, quorum deciſionibus ſtandum ſit; ſed tamquam mercium collectores, & auxiliatores in inveſtigandis Scripturis & Patribus. Si inveniantur a Scripturis, & Patribus declinare, reiiciantur. Si contra viam aperiant ad aſſequenda Patrum, & Scripturarum germana ſenſa; illorum inſiſtamus veſtigiis. AEquior ne aſſignari regula poteſt, & prudentior? Si plura cupis, lege P. Elizalde *loc. cit.* ubi ſibi opponit. „ Dices, neminem eſſe qui ita exiſtimet. Et utinam nemo ſit, & nemo etiam futurus ſit. Enim vero hoc conceſſo, habeo „ totum intentum quæſtionis. Illa igitur diſtributio doctorum, librorum, & doctrinarum, ſi ab aliquibus aut fit, aut fieret; eſſet plane, ut dixi, miſeranda, „ & quæ plurimos perderet.“ Lege plurima ibidem.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Non modo Scripturæ ſanctæ, & divinæ traditionis doctrina neceſſaria Theologis eſt, verum etiam hæc ſufficeret ad fidei, morumque ſcientiam comparandam, & quæſtiones occurrentes dirimendas, niſi hominum plurimorum diſputationes veritatem obſcuraſſent.

I. ADverſus ea quæ dicta hactenus ſunt, clamant, inclamantque recentiores Moraliſtæ, in Scripturis ſanctis, eorumque interpretibus Eccleſiæ Patribus non extare caſuum deciſiones, non reperiri quæſtiones illas quas tanta eruditione diſpiciunt acuti iuniores. *Quærunt caſus temporum Doctores temporum. Bellus erit ille criticus, ſi ex S. Auguſtini doctrina diſſolvere poſſit emergentes nodos circa ſimoniam, irregularitates, interdicta, omneſque contractus ex Gregorii Nyſſeni, Nazianzeni placitis componere. Quæ circa fidem emergunt difficultates, a veteribus hauriendæ. Doctrina morum a recentioribus ſumenda. Tota Theologia nova eſt.* Hæc & ſimilia axiomata, quæ recentiorum aliqui evulgarunt, cuius naturæ ſit illorum Theologia, oſtendunt.

II. Sapientia duplex: alia carnis, quæ pſeudoſapientia eſt; alia ſpiritus: illa mundi, hæc Dei eſt. Vera ſapientia rurſus duplex: alia infuſa, quæ unum eſt ex ſeptem donis Spiritus ſancti; alia ſtudio comparata, & ex principiis revelatis deducta. Utriuſque ſapientiæ diſcrimen S. Thomas perhibet *I. Part. quæſt.* 1. *art. 6.* Hæc ſecunda ſapientia eſt ipſa ſacra Theologia. Diſcutiendum modo eſt, an doctrina revelata ſive verbo ſcripto, ſive verbo tradito, non modo neceſſaria ſit, ut demonſtratum eſt, ſed etiam ſufficiat ad Theologiam. Et profecto ſi libri Theologorum ſive Scholaſticorum, ſive Moraliſtarum ſpectentur, minime ſufficere divinam Scripturam, & traditionem, facile reſpondebis. Anne maxima pars quæſtionum & deciſionum Moraliſtarum deduci ex divina Scriptura aut Traditione poteſt? Si ergo vix minima pars caſuiſticæ Theologiæ erui ex Scripturis, & Traditione valet, conſequitur haudquaquam doctrinam revelatam ſufficere ad Theologiam morum. Innumeræ præterea ſunt quæſtiones, & deciſiones præter divinas Scripturas, & doctrinam revelatam, cui tamen non repugnant, licet ex eadem non inferantur. Theologo autem ſat eſt ut nihil definiat quod ſit contra Scripturam. Ergo Scripturæ divinæ haudquaquam ſufficiunt ad Theologiam moralem, ſaltem completam. Tandem ad Theologum attinet cognitio legum eccleſiaſticarum, & conſtitutionum Pontificum, & Synodorum. Hæc omnia neque in Scripturis habentur, nec ex Scripturis deducuntur. Hæc ſunt ratio-

Digitized by Google

tiocinia plurimorum, qui communi praxi decepti, & prævalentis conſuetudinis torrente abrepti, ea quæ fieri communiter vident probant; ſed quid tenendum, & dicendum ſit, inveſtigare minime curant.

III. Communis Theologorum ſententia eſt, Scripturam divinam, ſeu doctrinam revelatam aut ſcripto, aut traditione, ſufficere ad Theologiam quæ ius divinum ſpectat, comparandam; eaque omnia quæ verum ſapientem conſtituunt, in eadem contineri, vel ex eadem colligi. Ad ius vero eccleſiaſticum ſciendum neceſſarium eſt ſtudium Conciliorum, Canonum, Conſtitutionum Romanæ Sedis &c. Hanc propoſitionem veluti certam Theologi ſupponunt; cum aſſerant a ceteris omnibus diſciplinis Theologiam diſtingui, quod hæc ſola ex doctrina revelata ſuas hauriat concluſiones. Alterutrum ergo dicendum: aut non dari Theologiam, quod eſt falſiſſimum; aut ſufficere doctrinam revelatam ad Theologiam perfecte comparandam. Iam ſupra retulimus Melchiorem CANO *Lib. VIII. cap.* 1. differentem. *Quem vero intelligimus Scholaſticum Theologum? Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, docte e litteris, inſtitutiſque ſacris ratiocinetur. Quod etſi ita eſſe pluribus poſtea differendum eſt, illud tamen nunc brevi confitendum eſt, niſi quis is ſit, eſſe Theologum ſcholæ neminem.* Caietano viro acutiſſimo, & doctiſſimo (cui ne multos præferas cave) abſurdum viſum eſt præter doctrinam revelatam, aliam ſcientiam, etiam ipſam Theologiam, prout a fide diſtinctam, aſſerere neceſſariam ad hominum ſalutem. Quam ego ſententiam & S. Thomæ, & ceteris Theologis adverſari exiſtimo. Quid porro dixiſſet Caietanus, ſi audiiſſet, doctrinam revelatam, & fidem haudquaquam ſufficere, neque deduci ex eadem poſſe quæ ad ſalutem ſufficiant?

IV. Scotus *quæſt.* 11. *Prologi in I. Sent.* rem hanc ſubtiliter diſcutit. Nulla ſcientia, inquit, omnia ſcienda declaravit umquam; ſed illa dumtaxat ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici. Quare multæ veritates neceſſariæ non exprimuntur in Scriptura, etſi ibi virtualiter contineantur, ſicut concluſiones in principiis, circa quarum inveſtigationem utilis fuit labor Expoſitorum & Doctorum. Hæc totidem fere verbis Scotus. Salmeron. vir ſane doctiſſimus *Tom. I. prolegom.* 1. aperte docet doctrinam revelatam ſcriptam, traditamque continere omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem, ab omni arcere vitio, & ad omne opus bonum incitare, & dirigere. Nec puto eſſe de communi Theologorum ſenſu ambigendum.

V. Itaque ex communi Theologorum ſententia doctrina revelata ſcripta, & tradita ſufficientiſſima eſt ad cumulatam perfectamque Theologiam comparandam, quatenus in eadem vel expreſſe, vel virtualiter & implicite omnes veritates continentur, ſicut in principiis concluſiones neceſſariæ ad veram ſapientiam: quam propoſitionem communiter docent Patres omnes. Verba Auguſtini de-

dedimus ſupra, & alia inſuper damus ex *cit. Lib. II. de doctr. chriſt. cap.* xli. ubi hæc habet. *Quidquid homo extra divinas Scripturas didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi utile eſt, ibi invenitur. Et cum ibi quiſque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicerit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nuſquam omnino alibi, ſed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.* Sed ob oculos reducamus aliud S. Auguſtini teſtimonium alias reſcriptum, quo obſtruantur ora Caſuiſtarum dicentium, quæſtiunculas ſuas non reperiri in Scripturis ſanctis: ad quas tamen appellat Auguſtinus, tamquam divinas ſtateras, ex quibus quid ſit grave, quid ſit leve, dignoſcitur. Clamat itaque Doctor ſanctus Lib. II. de bapt. cap. vi. *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes: Hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tamquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, appendamus; immo non appendamus, ſed a Domino appenſa recognoſcamus.* Hæc S. Auguſtini regula inſerta eſt corpori iuris canonici cap. xxiv. *Non afferamus* quæſt. xiv. Summi itaque eſt momenti non ſolum ob Auguſtini, verum etiam ob Eccleſiæ auctoritatem. Si vera forent axiomata quorumdam Probabiliſtarum inquientium, non reperiri in Scripturis ſanctis *ſtateras* quibus caſuum deciſiones poſſimus appendere, ſequeretur mendacem eſſe Auguſtinum, mendacem Eccleſiam. Hoc dici nequit. Ergo dicendum falli, & quidem graviter, iuniores qui in decidendis morum quæſtionibus divinas negligunt ſtateras. Rurſus *Lib. de Paſtor. cap.* iv. clamat Auguſtinus: *Auferantur chartæ humanæ, ſonent voces divinæ.* Eamdem regulam confirmat Lib. II. de doctr. chriſt. cap. xxxix. *Quamobrem videtur mihi ſtudioſis & ingenioſis adoleſcentibus, & timentibus Deum, beatamque vitam quærentibus ſalubriter præcipi ut nullas doctrinas quæ præter Eccleſiam Chriſti exercentur, tamquam ad beatam vitam capeſſendam, ſecure ſequi audeant; ſed eas ſobrie diligenterque diiudicent. Et ſi quas invenerint ab hominibus inſtitutas varias propter diverſas voluntates inſtituentium, & ignotas propter ſuſpiciones errantium . . . repudient penitus, & deteſtentur, alienent etiam ſtudia a ſuperfluis & luxurioſis hominum inſtitutis.* Luxuriantium ingeniorum fetum eſſe novum opinandi modum probabiliſticum, teſtatur Eccleſia voce Alexandri VII. Novum eumdem eſſe fatentur vel ipſi Probabiliſtæ, potiſſimum P. Segneri. Ergo reiiciendus. Legantur integri quatuor libri S. Auguſtini *de chriſtiana doctrina*, ubi plurima occurrunt quæ propoſitionem noſtram confirmant. Unum aliud teſtimonium ex *Lib. XII. Confeſs. cap.* xxiii. tranſcribo. *Duo video diſſenſionum genera oboriri poſſe: unum, ſi de veritate rerum; alterum ſi de ipſius qui annuntiat voluntate diſſenſio eſt &c. In illo primo genere diſcedant a me omnes qui ea quæ falſa ſunt, Moyſen dixiſſe arbitrantur. Coniungar autem illis, Domine, in te, &*

de-

delecter cum illis in te, qui veritate tua paſcuntur: accedamus ſimul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem famuli tui, cuius calamo ea diſpenſaſti. Veritate ergo, non probabilitate a veritate præſcindente, alitur chriſtiana vita. Veritas tua, Domine, unica & ſola eſt regula vivendi, & interpretandi norma. Nam omnes viæ tuæ veritas; cui omnes opiniones noſtræ ſubiiciendæ. Porro quando oppoſitæ directe ſunt & pugnantes opiniones, plus una vera eſſe nequit: quia una veritas eſt, quæ fœdus inire cum falſitate contraria, quacumque ſpecioſa Probabiliſmi veſte induta, non valet.

VI. Argumentatio ab experientia arceſſita evidentius datam confirmat doctrinam. Ut nihil de Apoſtolis dicam, primis ſcholæ & Theologiæ noſtræ magiſtris, proferam Eccleſiæ Doctores, Baſilium, Nazianzenum, Athanaſium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium. Hi, & innumeri alii ex Scripturis ſanctis, & per Scripturas ſanctas, divinaſque Traditiones, vel unice, vel quaſi ſemper omnes fidei, morumque quæſtiones determinarunt, reſolverunt, definierunt. Sed iſti fuerunt Theologi eminentiſſimi, ſapientiſſimi, atque ſanctiſſimi. Ergo doctrinæ divinæ ſatis ſunt ad conſcientiæ ſeu morum, fideique quæſtiones reſolvendas. Maior propoſitio ex libris eorumdem Patrum luculentiſſima eſt. Alteram nemo, niſi inſanus, negare audet. Conſequentia legitima eſt.

VII. Utique ſancti Eccleſiæ Patres ultra Scripturas ſanctas, doctrinaſque divinas perenni traditione ſuſceptas, adhibuere etiam doctrinas humanas Philoſophorum, & alia plura quæ ad eruditionem ſpectant. Uſi & ipſi ſunt rationibus a lumine naturali repetitis in ornatum, & declarationem maiorem. Explicandæ ſunt veritates divinæ hominibus ratione præditis, & humano ratiocinio aſſuetis: ideo accommodandæ aptandæque illorum intelligentiæ ſunt. Ceterum numquam vi harum rationum, ſed vi Scripturarum ſanctarum, & iuxta maiorum traditionem, morum, fideique quæſtiones determinarunt. Non fuerunt, inquies, S. Patres Scholaſtici Theologi. Non fuerunt? Quo in homine, clamat *Melchior Cano*, hoc Theologi nomen & officium ponis? Forſitan in illis qui ad metaphyſicas ſubtilitates, ad interminabiles verborum lites, doctrinas theologicas revocant, & perpetuis ſophiſticis argutationibus divinas veritates implicant? Ex his Theologis ſcholaſticis non fuiſſe Patres aſſerimus. At ſi Theologi ſcholaſtici nomine intelligis Doctores illos qui ex articulis revelatis ſuas eruunt deciſiones, nemo niſi demens theologicam ſapientiam Patribus denegabit.

VIII. Auctoritate ipſius Chriſti Domini propoſitio noſtra evincitur. Inquit enim Salvator noſter Ioan. cap. XIV. *Paraclytus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*. Et rurſus cap. XVI. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Non di-

Digitized by Google

dicit aliquam, ſed *omnem veritatem*. Has veritates, quas a Spiritu ſancto acceperunt Apoſtoli, aut ſcripto, aut traditione fidelibus conſignarunt, & ad nos uſque derivarunt. In quem textum hæc S. Thomas *lect.* VI. ſcribit. *Ille vos docebit omnia: quia quæcumque homo doceat extra, niſi Spiritus ſanctus interius det intelligentiam, fruſtra laborat: quia niſi prius adſit cordi audientis, otioſus erit ſermo Doctoris . . . Facit autem nos ſcire omnia interius inſpirando, dirigendo, & ad ſpiritualia elevando. Sicut enim qui habet guſtum infectum, non habet veram cognitionem de ſaporibus; ita & qui infectus eſt amore mundi, non poteſt guſtare divina.* Aut ergo dicendum eſt, divinas doctrinas inſufficientes eſſe ad finem perducendi homines ad viam ſalutis, quod errore graviſſimo non caret; aut ſufficientes eſſe ad ea cognoſcenda quæ ducunt in hunc finem. Rurſus *Matth.* XXII. excitantur illæ quæſtiones de ſolvendis, aut non ſolvendis tributis Cæſari, de reſurrectione &c. Et Chriſtus Dominus Iudæos his verbis redarguit. *Erratis, neſcientes Scripturas, nec virtutem Dei.* Iterum *Ioan.* VII. iiſdem ignorantiam Scripturarum improperat. *Scrutamini Scripturas: quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Nihil frequentius in Scripturis inculcatur quam earumdem inveſtigatio & ſtudium. *Concludamus itaque* (inquit perdoctus Ieſuita Elizalde Lib. VI. quæſt. XV. *§.* 2.) *nihil in ſacris litteris eſſe manifeſtius quam magiſtro cuique morum neceſsariam prorſus eſse ſcientiam, & peritiam Scripturarum, atque eos qui ex illis non docent, Theologos vocari quidem poſse, eſse tamen non poſse.*

IX. Audio obſtrepentes plures, hæc quæ hactenus dixi, theoretica eſſe. Oſtende, inquiunt, practice, quomodo innumeræ quæſtiones quæ a Doctoribus tractantur, reſolvi ex Scripturis queant, & ex Patribus. Niſi hoc demonſtretur, aerem verberamus. Qui fidelium confeſſiones non audiunt, qui humanæ ſocietatis negotia non tractant, qui in cubiculo ſcribunt, facillime evulgant ſpecioſas regulas, quæ practicæ directioni nihil deſerviunt. Ediſſere nobis, ubinam in Scripturis ſanctis doctrinæ reperiantur quibus reſolvi queant ingentia illa opinionum volumina quæ edidere Diana, Caſtropalaus, Tamburinus, La Croix, Salmanticenſes, & innumeri alii.

X. Reſpondeo iam me pluries oſtendiſſe, præfatas opiniones, quæ in utramque diſputantur partem, neque in Scripturis, neque in Patribus reperiri. Sed aſſero in Scripturis divinis luculentiſſima refulgere principia quæ dictas opiniones ſaltem quantum ad medietatem declarant eſſe falſas. Siquidem ſi medietas harum opinionum vera eſt, medietas falſa ſit neceſſum eſt. Spiritus autem Paraclytus, qui Spiritus veritatis eſt, qui deſcendit docere omnem veritatem, falſitatem quamlibet deteſtatur. Præterea plurimæ Caſuiſtarum opiniones contrariæ peregrina commenta ſunt ingeniorum luxuriantium, & diſcurrentium per va-

Digitized by Google

ſtam Probabiliſmi ſilvam, ut S. Auguſtinus mirum in modum opportune *ſerm.* cxlIII. *de temp.* docet. *Sunt iſta, fratres mei, magna magnorum deliramenta Doctorum.*

XI. S. Paulus *ad Rom.* xII. hæc præſcribit. *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Hoc divinum documentum paſſim violant luxuriantia ingenia, quæ diſputare, rixari, cavillari, non recte vivere docent. Caſuiſtæ innumeras quæſtiones movent ſuper dubia peccatorum gravitate. Continenter altercantur, *utrum hoc mortale peccatum ſit, aut veniale: utrum leve, vel grave.* Bilances in manibus habent omnino oppoſitas. Duodecim ſeniores ſuas habent bilances, quæ declarant peccatum eſſe mortale: duodecim alii ſeniores bilances habent, quæ oſtendunt eſſe veniale. Et iſtæ ſunt ſtateræ doloſæ, iſta ſunt pondera, & pondera, quæ Scripturæ ſanctæ execrantur. Sed ad Apoſtolum redeamus. Plus ſapere quam oportet ſapere, volunt Probabiliſtæ. Confinia malitiæ, limites gravitatis peccati non raro incogniti nobis ſunt. Declinandum malum quodcumque Scriptura ſancta docet. Moraliſtæ iuniores plurimi hoc malum ad ſuas bilances appendunt, illudque veniale eſſe declarant: ſi veniale, committere illud homines poſſunt quin confiteantur. Ingentia illa volumina inutilium quæſtionum, a non paucis iunioribus conflata, evincunt *illos ſapere pluſquam oportet ſapere*, atque in Scriptura divina non inveniri principia quibus illorum quæſtiones definiantur; ſed principia occurrunt luculentiſſima, quibus improbantur. Quare iure ipſi fatentur non ſufficere Scripturas divinas ad illorum commenta reſolvenda, neque ad Scripturarum ſtateras appendi illa poſſe; ſed tantum ad ſtateras humanæ rationis. Patres omnes ſemper in quæſtionibus morum decidendis ad Scripturas appellarunt, ut probavi invictis teſtimoniorum monumentis adductis. Ergo falluntur in hac parte illi qui negant ad divinas Scripturas confugiendum eſſe in definiendis morum regulis.

XII. Quod de Eccleſiæ mandatis, de matrimonio, de interdicto, de cenſuris opponitur, inane & vanum eſt. Scripturas, & Traditiones divinas ſufficientiſſimas eſſe dicunt Patres omnes, ut cognoſcamus quid bonum, quid malum, quæ ducunt, quæ retrahunt a via ſalutis: ut iiſdem inſtructi poſſimus increpare, arguere, rationem reddere, & reſolvere quæ contra opponi poſſunt. Ipſæ Scripturæ, divinæque Traditiones docent nos obedire præceptis & ſanctionibus Eccleſiæ. Plura præſcribit, plura vetat, & plures taxavit pœnas in delinquentes ſancta mater Eccleſia: quæ omnia ſunt veluti externa præſidia, & ſecundaria munimenta ad ſacrum illud divinæ doctrinæ depoſitum ſecurius cuſtodiendum. Si multæ ſunt pœnæ cenſurarum, delinquentium multitudini, & neceſſitati coercendæ temeritatis vertendum eſt. Quæ pro matrimonio contrahendo, ceteriſque ſa-

Digitized by Google

ſacramentis cuſtodiendis, & frequentandis, pro feſtis, & ieiuniis ſervandis neceſſaria ſunt, ex apoſtolica Traditione habemus; & plura S. mater Eccleſia præſcripſit, quæ divinæ doctrinæ quammaxime conſentanea ſunt. Quæſtiones lutulentæ, quas de re uxoria agglomerarunt eruditi iuniores, improbari profecto ex Scriptura valent. Vel ipſa naturalis verecundia, & pudicus communis ſenſus plura iſtorum commenta deteſtatur. Et qui S. Pauli documenta de ſanctitate in matrimonii uſu cuſtodienda conſulit, magnopere perhorreſcit illarum quæſtionum ſtruem quam nonnulli conſarcinarunt.

XIII. Ceterum ſi ampliorem reſponſionem cupiunt iuniores ad ea quæ ex eccleſiaſtica præceptorum diſciplina obtrudunt, conſulant tres S. Auguſtini epiſtolas, nempe LXXXVI. CXVIII. & CXIX. ubi regulas generales invenient, & ſaluberrima documenta. Et primum *epiſt.* LXXXVI. hæc conſtituit. *In his enim rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis, cum certa documenta nulla veritatis inſinuet, utique cavendum eſt ne tempeſtate contentionis ſerenitas caritatis obnubiletur.* Communiter definita in Scripturis ſanctis eſſe ea quæ ad fidem, moreſque attinent, pro certo habet Auguſtinus. In iis vero de quibus nihil certi Scriptura divina ſtatuit, quid agendum? Mos populi, non mundani, ſed populi Dei, & inſtituta maiorum ſint pro formandis moribus regulæ, contentionibus, & litibus, quæ caritatem violant, pacemque turbant, ſublatis. Plura perſequitur Doctor ſanctus ibidem, quæ in anteceſſum damnant interminabiles controverſias. Lege, ſi per otium licet, integram citatam epiſtolam cum altera CXVIII. Pauca ego tranſcribo ex *epiſtola* CXIX. in qua illorum miſerandam ſane infelicitatem luget qui neglectis ſanctæ Scripturæ documentis rixantur, & volumina implent futilibus quæſtiunculis. *Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit quam qui mentem vino ſepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino numquam inveniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non*

 agno-

Digitized by Google

agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubiiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta multa tolerat: & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.

XIV. Plurima alia prætereo, & ultimum documentum altius memoriæ commendandum, quo ſuæ epiſtolæ finem Auguſtinus imponit, tranſcribo. *Et miror quia hoc te latet, quod non ſolum in aliis innumerabilibus rebus multa me lateant, ſed etiam in ipſis ſanctis Scripturis multo neſciam plura quam ſciam. Et ideo ſpem in nomine Chriſti non infructuoſam gero, quia non ſolum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis TOTAM LEGEM, Prophetaſque pendere, ſed etiam expertus ſum, experiorque quotidie. Quandoquidem nullum mihi ſacramentum, aut aliquis ſermo admodum obſcurior de ſacris litteris aperitur, ubi non eadem præcepta reperiam. Finis præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Et plenitudo legis caritas. Itaque & tu, Chriſtiane, ſive iſta, ſive alia, ſic lege, ſic diſce, ut memineris veriſſime dictum:* Scientia inflat, caritas ædificat. *Caritas autem non æmulatur, non inflat. Sic itaque adhibeatur ſcientia tamquam machina quædam, per quam ſtructura caritatis aſſurgat, quæ manet in æternum, etiam cum ſcientia deſtruetur: quæ ad finem caritatis adhibita multum eſt utilis; per ſe autem ipſam, ſine tali fine, non modo ſuperflua, ſed etiam perniencioſa probata eſt.*

XV. Pauca meditare in hoc ſancti Auguſtini teſtimonio. Primum non in aliis innumeris ſcientiis modo ſe multa ignorare, ſed de ipſis etiam Scripturis ſanctis multo plura ſe neſcire quam tenere fatetur. Si hæc Auguſtinus de ſe teſtatur, qui tot volumina perpetuis Scripturarum teſtimoniis intexta edidit: quid mihi humuncioni dicendum? Verum imitemur hunc doctiſſimum Magiſtrum, qui ſpem erigendam admonet. Siquidem, ne quiſquam ſe a legis ſanctæ obſervatione excuſare iure poſſit, Deus infinita ſapientia & miſericordia univerſam ſuam legem, & Prophetas duobus mandatis caritatis concluſit. Qui hoc breviſſimum compendium cuique manifeſtum felicius ac profundius penetrat, in æternæ ſalutis negotio Platone, Ariſtotele præſtantior, & omnium Theologorum doctiſſimus eſt. Non modo hoc credidi Deo meo ſic revelanti, & toties per Evangeliſtam Ioannem teſtanti, inquit Doctor ſanctus, verum etiam expertus ſum quotidie, univerſam legem & Prophetas in duobus caritatis mandatis includi. *Non ſolum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam legem, Prophetaſque pendere; ſed etiam expertus ſum, experiorque quotidie.* Nullum quippe, ſubdit, in ſacris litteris vel obſcurum arcanum mihi aperitur, *ubi non eadem præcepta reperiam.* Licet plus ego ab Auguſtino diſtem, quam pygmæus a gigante; tamen idipſum experior quotidie. Sola ſermonis Chriſti habiti ad diſcipulos in monte

le-

Digitized by Google

lectio, ſola meditatio caritatis divinæ, eiuſque dotum me plus inſtruit, plus mihi luminis ad conſcientias & meam, & aliorum moderandas tribuit quam plurium Caſuiſtarum voluminum diuturnum ſtudium. Fuſius hanc Auguſtini doctrinam exponam *Tom. II. Lib. II. diſſ.* III. *cap.* IX. & X. ex S. Ioanne Chryſoſtomo, aliiſque Patribus.

XVI. Oculos nunc paullisper in plures Caſuiſtas converte. Doctrinam iſti cum Auguſtini doctrina recta pugnantem conſtituunt. Quandoquidem non legem univerſam ad caritatis præcepta revocant, ſed contra primum caritatis mandatum quaſi de medio tollunt. Docent, hoc primum mandatum nullam obligationem a præceptorum, univerſæque legis obſervatione diſtinctam imponere; neque obligare iuxta alios per totam vitam, ſecundum alios in articulo mortis tantum, & iuxta alios intra quinquennium. Porro quamvis doctrina hæc antievangelica proſcripta ab Eccleſia ſit; tamen iſtorum Theologia magna in parte huic erroneo fundamento ſuperſtructa eſt: quoniam ante proſcriptionem præfatæ doctrinæ illam compoſuere. Quare mirum non eſt, ſi hac reiecta clavi, quæ Auguſtino vel obſcuriora Scripturarum arcana, & univerſæ legis intelligentiam aperiebat, non pauci Caſuiſtæ, veluti cymba clavo deſtituta, inter deſpumantis maris undas, per immenſum pugnantium opinionum chaos circumferantur, & cuiuſque doctrinæ vento huc & illuc fluctuantes ad ſcopulos allidant naviculam, ut infra fuſius declarabo.

XVII. Opponunt contra ea quæ hactenus dicta ſunt, auctoritatem S. Matris Eccleſiæ, prohibentis vulgares ſacræ Scripturæ verſiones. Heinc hæretici inſequuntur Romanam Eccleſiam, quod defraudet fideles cibo & potu verborum Dei. Nimis ergo ad hæreticos declinamus, dum Scripturarum cognitionem adeo neceſſariam ad mores chriſtianæ vitæ formandos inſtituimus. Huic oppoſitioni, non meis, ſed P. Michaelis Elizalde Ieſuitæ verbis *Lib. VI. quæſt.* XV. §. 5. reſpondere volo.

„ Enimvero (inquit) & hæreticis hinc in Eccleſiam garrientibus, & ſimul Mo-
„ raliſtis, ſi qui neceſſitatem cognitionis & ſcientiæ Scripturarum negaverint, re-
„ ſiſtendum eſt. Et primum quidem hæreticis. Nam Eccleſia ſancta non ideo eas
„ vulgares verſiones prohibuit, quia Scripturæ cognitionem neceſſariam non ar-
„ bitraretur; ſed in neceſſitate duorum malorum, ut maius vitaret, minus ma-
„ lum ſapienter elegit; ut ſapiens medicus venam ſcindit, ut imminentem mor-
„ bum præcaveat. Fervebat enim, ac in dies ſerpebat beſtialis illa hæreſis quæ
„ aiebat, ſine ulla viſibilis regulæ neceſſitate ſacram Scripturam patere univer-
„ ſis, & Eccleſiæ inde iudicibus detrectabant: ex quo id unum factum, ut
„ unum Papam tollerent, omnes efficerent Papas, ſutores, ſartores, ancillas, &
„ nefarios quoſque.

„ Miſer ſane eunuchus ille qui Iſaiam legebat, & non intelligebat. *Putas ne* „ *intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum intelligere, ſi aliquis non di-* „ *xerit mihi: rogavitque Philippum ut aſcenderet*, & ab illo edoctus eſt &c.

„ Neque tamen, ſi qui erunt, negantibus neceſſitatem ſcientiæ & doctrinæ Scri- „ pturarum ad regendas animas, & conſcientias eſt ullo modo conſentiendum. Et „ ut hac prima inſtantia utar, quid Moraliſtæ quique boni, & præcipui, ac fe- „ re omnes eam doctrinam, qua regendas conſcientias exiſtimarunt, non vulga- „ ri idiomate, ſed latino dumtaxat edunt, & ediderunt? Improbantque & iure „ omnes, quoſdam, ut vocant, Morales Romanciſtas . . . Tum; ut in Eccleſia „ ordo ſervaretur, quem Paulus præſcripſit, nec oculi omnes eſſent, nec omnes „ pedes, ſed eſſent alii Doctores, & Paſtores, alii ſolum oves: quem ordinem „ Valdenſium, ac Presbyteranorum factio ſuſtulit contra expreſſas Scripturas; at „ Orthodoxi omnes ſervant . . . Unde ſtultam eam argumentationem dicerent. „ Hæc doctrina non niſi pleriſque omnibus impervio docetur, & traditur: ergo „ illa neceſſaria non eſt pro moribus chriſtiane inſtituendis: atque hac inſtantia „ argumentum factum retorquetur. Nam idem prorſus, ac eodem modo pro „ Scripturarum neceſſitate reſpondemus, eas nimirum ſciendas eſſe a Doctoribus „ morum, quas ipſi deinde fidelibus communicent, mores illorum & vitam ex „ ipſis, non autem doloſis nimium humanorum diſcurſuum ſtateris menſurando, „ ac inſtituendo.

„ Quin quo apud fideles eſt huius cognitionis maior inopia, & ſterilitas, eo „ ſcientiores, doctiores, diligentioreſque eſſe tenentur Doctores. Neque Eccleſia „ ſancta ſenſa ſua, aliquorum inſtar, mutat; ſed ſemper tenuit, tenetque ſcien- „ tiæ Scripturarum neceſſitatem; & tunc quando vulgares verſiones, quaſi una „ manu removit, ea de cauſa maxime manu altera neceſſitatem iſtam demon- „ ſtravit, ſumma quadam diligentia cathedras Scripturæ erigendo, atque ad eius „ cognitionem obligando. “

XVIII. Nonne ſacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ.* v. *cap.* 1. iubet in Monaſteriis Monachorum, in Conventibus Regularium, & in Eccleſiis cathedralibus, in Academiis, in Univerſitatibus cathedras interpretandæ Scripturæ ſanctæ erigi, eiuſdemque ſtudium excoli diligentia ſumma? Nonne Epiſcopos tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatos monet, ut hoc in negotio exequendo vigilantes ſint, eoſque ad hoc munus promoveri inculcat qui digniores ſint & doctiores? Cur Concilium tanto zelo hoc divinæ Scripturæ ſtudium iuſſit, & commendavit, niſi ut & fidei, & morum doctrina ſarta tecta cuſtodiatur?

XIX. Ut rem omnem paucis perſtringam, doctrina Dei revelata omnibus neceſſaria eſt, quemadmodum cibus & potus. Verum ſicuti parvuli aliena, non propria manu alimentum ſumunt; ita Scripturæ ſanctæ, & divinarum Traditio-

num

Digitized by Google

num doctrinam rudes & idiotæ aſſequi proprio ſtudio nequeunt: idcirco doctorum Parochorum, aliorumque miniſtrorum ore hæc doctrina illis communicatur. Doctores vero, & magiſtri morum, conſcientiarum arbitri ſeipſis inveſtigare & ſcrutari divinas Scripturas aſtringuntur. Gladio verbum Dei comparatur. Gladius autem in imperitorum manibus ad illorum internecionem ſæpe inflectitur; in manibus vero peritorum ad defenſionem, & hoſtium repreſſionem inſervit. Et ne in profligando ineptiſſimo commento longior ſim, non ne omnes uno ore fatentur relaxatam plurimum eſſe Moralem chriſtianam? Qua autem alia ratione reformari ea poteſt, niſi revocando illam ad rectam & indefectibilem regulam? Quænam hæc? Doctrina divina ſcripta, & tradita. Omnes Patres, omnes librorum quos ſpirituales vocant, Scriptores hanc divinam doctrinam ſcrutati ſunt, & ex hac ſuas derivarunt inſtructiones, & præceptiones. Miſſis itaque humanis ratiunculis, partium ſtudiis, & ſimultatibus, in hanc ſanctiſſimam legem toto virium conatu incumbamus.

§. VII.

Probabiliſtæ in dirimendis conſcientiæ quæſtionibus utuntur principiis pugnantibus cum Scripturis ſanctis: quæ illos neceſſario in interminabiles verborum, & quæſtionum pugnas detrudunt. Iure aſſerunt illorum plures, proprias ſuas quæſtiones nec reperiri, nec decidi ex Scripturis, & Patribus poſſe. Adhortatio Ludovici Granatenſis ad ſtudium Scripturarum.

I. HAEC ſunt principia quibus paſſim utuntur Probabiliſtæ. *Melior eſt conditio poſſidentis. In dubiis, & obſcuris benignior præferenda opinio. Odia reſtringenda, favores ampliandi. Nonne omnes ſic vivunt? Nonne omnes ſic faciunt? Numquid omnes Deus damnabit? Iugum meum ſuave eſt. Voluntate conſequenti Deus abrogat præcepta decalogica, quæ voluntate antecedenti impoſuit, quoties opinio minus probabilis dictat nos non obligari ad illa præcepta.* His commentis præventi, mirum non eſt, ſi opinionum præliis, ut Chriſtus dicit, ſe ſe conficiant. Evangelicum textum citatum Caſuiſtæ plurimi in ſenſu evidenter erroneo interpretantur, ut fuſius *Tom. II.* explicabo. Pauca nunc perſtringam. Ut arctam Chriſti viam dilatent, eiuſque legem ſenſibus accommodent, continenter clamitant: *Iugum meum ſuave eſt.*

II. Sanctiſſima Chriſti lex a graviſſimo ſervitutis concupiſcentiæ & peccati iu-

go in libertatem filiorum Dei nos aſſeruit. Opinio & doctrina huic legi favens benigna & ſuavis eſt: quia ſpiritualem divinamque noſtram libertatem fovet & ſuſtentat. Contra opinio probabiliſtica adverſus hanc legem, & libertatem ſpiritualem favens concupiſcentiæ, & appetitionibus, rigida, ſevera, crudelis eſt: quia graviſſimum ſervitutis concupiſcentiæ iugum, & vincula gravat, ſtringit, premit, atque adeo iugum ſervitutis peccati gravius efficit. Hæc eſt omnium Patrum, & Sanctorum luculentiſſima doctrina, ex ipſa Scriptura ſancta manifeſte hauſta. Inquit enim Eccleſi. cap. xl. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque ad diem ſepulturæ*. Item cap. xxviii. *Iugum enim illius iugum ferreum eſt*. Ut mundani & carnalis iugi feritatem, & opprimentem tyrannidem deprehendas, ſerio animo reputa luxurioſum libidini operam dantem, lue venerea marcidum, ulceribus putridum, vomicas, carcinomata, & alias horridas plagas patientem. Meditare avarum æſtu pecuniarum ferventem, immanem, trucem, crudelem & in proximum, ut illius ſecundum ſanguinem eliciat, & in ſe ipſum, qui maria & terras peragrat, & graviſſima pericula ſuſtinet, ut opes congreget, augeatque, quin umquam pecuniarum ſitim extinguat. Conſidera helluones, & vinolentos inter ructus & crapulas ſtomachi doloribus, febribus, ſtupore, & inſania laborantes, Deo & hominibus inviſos. Iſtorum confeſſionem nobis Scriptura ſancta repræſentat Sap. v. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles*.

III. E cælorum ſolio deſcendit Redemptor noſter, qui omnes in ſinum miſericordiæ ſuæ, & in portum tranquillitatis, & dulciſſimæ ſuavitatis invitavit Matth. cap. xi. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Clamat quoque S. Paulus: *Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis*. Iugum ergo Chriſti ſuave eſt caritatis ſuavitate, dulcedine libertatis filiorum Dei. Ergo illa doctrina ſuavis & benigna eſt quæ hanc libertatem a peccati ſervitute cuſtodit, quæ divinæ legis obſervationem promovet. Ita docent omnes Patres.

IV. Contra clamant & vociferantur Caſuiſtæ plures. Opinio favens divinæ legi rigida & ſæva eſt. Opinio eximens Chriſtianos ab hac lege, & indulgens libertati contra legem benigna, blanda, ſuavis eſt. Ergo Probabiliſtæ vi ſui Probabiliſmi apertiſſime pugnant cum Scripturis ſanctis, & cum univerſa Patrum antiquitate. Iure ergo in opinionum chaos detruſi altercantur. *Licet, & non licet: peccat, & non peccat: eſt mortale, non eſt mortale: eſt veniale, non eſt veniale: tenetur, & non tenetur: ſufficit, & non ſufficit: obligat, & non obligat: poteſt, & non poteſt: probabile eſt urgere, probabile eſt non urgere: qui probabiliter operatur, prudenter operatur: qui ſequitur opinionem minus probabilem con-*

tra

tra legem, vere probabiliter operatur : ergo prudenter, ergo licite, ergo tute. Hoc eſt idioma probabiliſticum a Scripturis ſanctis prorſus alienum. Quid, ſi in medium promerem ius illud ſupremum quod ſibi arrogant Probabiliſtæ, convertendi legem in non legem, & non legem in legem, & vitium in virtutem, & virtutem in vitium media opinione probabili? Sufficiat unum Caramuelis axioma ex *prælud. ad Theolog. Fundam.* decerptum. *Certi ſumus tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc aut illud liceat, ſufficiat reſpondere : DIANA dixit*. Adde, Tamburinus dixit, Eſcobarius dixit, Caſtropalaus dixit, Caramuel dixit. Sexcenta ſimilia paradoxa ſane portentoſa afferre in medium poſſem, quæ horrorem ingerunt.

V. Cetera alia indicata paradoxa *Tom. II.* ad libram vocabo. In dubiis benigniorem opinionem faventem libertati ſeligendam eſſe, improbatur a Scripturis ſanctis, ut *loc. cit.* demonſtrabo. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lx. *art.* 4. expendens illud Iob IX. *Verebar omnia opera mea*, ſic ait : *Cum debemus malis noſtris adhibere remedium, expedit ad hoc ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id quod eſt deterius*. Sophiſma illud ſeductionis pleniſſimum, quod antiqui opinatores, & laxarum opinionum propugnatores opponebant Auguſtino, pudore ſuffundere & quidem gravi deberet Caſuiſtas non paucos. *Quam multi hoc faciunt? Quis non facit? Num omnes perditurus eſt Deus?* Quibus ita occurrebat S. Doctor. Non afferamus ſtateras doloſas, ſed *afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis*. Iſtorum ora obſtruit Scriptura ſancta. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum : nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies*. A vero deviare Probabiliſtas vi Probabiliſmi certum eſt, cum præſcindant a vero, & a falſo, ut probabile hominum mente, & ratiunculis humanis confictum ſequantur.

VI. Quid ergo agendum, ut a tantarum opinionum labiryntho pedem referamus? Opportuno exemplo Auctor operis imperfecti in Matthæum rem declarat. Qui a vera ſemita aberrant, quo longius abeunt, eo ſe viarum diverſitate magis implicatos vident. Ut ſe liberent, ad principium, unde declinarunt, redeant. Probabiliſmus homines opinatores a via evangelica abducit, & in quæſtionum ſilvam eoſdem intrudit, ut per vias latas & ſpatioſas deambulent. Regrediendum ad arctam Evangelii, unde diſceſſerunt, viam : principia illa caritatis univerſaliſſima ſpectanda, quæ intra hanc anguſtam ſemitam nos continent. Qui viam latam ambulant, multi ſunt, & non ſolum indocti, ſed & docti : ſuos magiſtros habent iſti, ſicuti habebant populi tempore Prophetarum, & Salvatoris noſtri. Libros ſuos, & ingentia quæſtionum volumina ſcrutantur, & componunt. Suam ſcientiam, ſuum novum opinandi modum habent, & ſecure ſe ambulare, portumque ſe conſecuturos arbitrantur. Riſu, & ſibilis hæc noſtra ex-

Digitized by Google

excipient, recantantes vetus axioma oppoſitum Auguſtino: *Quam multi hoc faciunt? Et quis non facit? Num omnes perditurus eſt Deus?*

VII. Tu interim, lector, ſanum cape conſilium. Divinas Scripturas ſub Patrum ſanctorum, & S. Matris Eccleſiæ diſciplina inveſtiga. Audi S. Paulum ad Timoth. I. cap. VI. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESU Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones* &c. Item II. cap. II. *Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant litem.* Rurſus cap. IV. *Prædica verbum, inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

VIII. Miſſis innumeris Patrum teſtimoniis pro aſſidua Scripturarum lectione, lubet pauca tranſcribere ex celeberrimo Theologo Ludovico Granatenſi *Part. II. de devot. cap.* IV. §. 7. Ubi morem ſæculi luget, quo vel ipſi Religioſi iuvenes, emiſſa profeſſione, ſterili aridoque Philoſophiæ ſtudio dant operam. Inquit enim: „ Quam multi hodie ſtudioſi ſunt in mundo, & inter hos quam pauci „ qui diſcipuli ſint IESU CHRISTI! Et, quod acerbiſſimum eſt, illi ipſi qui, „ recenter mundo relicto, amplectuntur Religionem, vel eo tempore quo debent expoliare veterem hominem, & huic ſe diſciplinæ impendere, cum vix „ Deum guſtare cœperunt, atque ad eum cognoſcendum ægre aperuere oculos, „ collocantur inter gentiles Philoſophos, & in ſcientiis mundanis exercentur, „ ubi in longum tempus nec verbum de IESU CHRISTO auditur. Quod ſtu- „ dium, etſi propter mutationem temporum, & hæreticorum perverſitatem ali- „ quo modo neceſſarium ſit, ſic tamen tamquam magnam plagam ſæculi no- „ ſtri, & vitæ debemus accipere, utpote quod nobis tantum temporis eripiat, & „ ſeparet, atque exules faciat tot annos a Salvatoris noſtri conſortio. Præſertim „ ſi attendamus quod dicit Gregorius Nazianzenus, omnes illas Gentilium ſcien- „ tias & diſciplinas tamquam plagas AEgypti ob peccata noſtra in Eccleſiam in- „ traſſe. Sed cum miſera temporum conditio nos ad hanc neceſſitatem adegerit, „ congruum illi tempus dandum & aſſignandum foret, atque ita providendum „ ut ædificium, & fundamentum virtutis ſic conſtitutum eſſet in animis eorum „ qui incipiunt, ut ſuſtinendo iſti oneri ſufficerent. Sed quamdiu opus tenerum „ eſt, & infans Chriſtianus adhuc guſtat lac IESU CHRISTI, ſtultitia eſt ipſum „ illum ablactare, & guſtum illi dare librorum Gentilium, *ubi non videt niſi* „ *argumenta ſubtilia, & plena fallaciis ſophiſmata*. Quid vero, ſi bene expen- „ damus, hoc eſt aliud quam imitari crudelitatem Pharaonis ruinam populi Dei

ma-

Digitized by Google

„ machinantis, cum imperaret ut quamprimum Hebræus maſculus naſceretur, „ ſuffocaretur flumine, & aquis AEgypti? *Omnia* (inquit Sapiens) *tempus habent . . . tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*. Tempus illud amplexando Deo debebatur, comparandoque amori tam forti, ut nullis „ aquis mundi ſuffocari poſſet, & extingui: quo facto paullulum licebit ab „ ipſius amplexibus recedere, ut neceſſitatibus proximi intendatur. Quid alias „ volebat Deus noſter in lege, cum prohiberet ne ſponſi cogerentur arma ſumere, & ad bellum procedere? Quid ſignificabat, cum vetaret operari in primogenito bovis, & non tondere primogenita ovium, niſi genus iſtud progenitorum, de quo hic loquimur, liberum eſſe a vinculis & oneribus iſtis, ut totum ſe ſibi, & profectui ſuo impendat. Contra has leges omnes faciunt qui „ tempus iſtud ſuffurantur ſtudio veræ ſapientiæ, & veræ ſcientiæ, ut totos ſe „ humanis ſcientiis addicant. " Hactenus Ludovicus Granatenſis, cui nihil deeſt, inquit Contenſonius, præter antiquitatem, ut Pater Eccleſiæ nominetur. Perpendant illi documentum iſtud qui menſes & annos terunt in legendis vanis libris, ut curioſitatem & intellectum luxuriantem paſcant & ſaturent, quin tamen ſitim extinguant. Labra admoveant Scripturarum fonti, unde ſcaturiunt aquæ ſalientes in vitam æternam, & qui biberint ex his aquis, non ſitient in æternum.

CAPUT VI.

Locus princeps Moralis chriſtianæ eſt evangelicæ doctrinæ ſpiritus. Homo Dei a Chriſto IESU reformatus homini terreſtri Adæ culpa deformato oppoſitus. Finis, & media chriſtianæ Moralis.

I. PRincipem locum, unde Theologus moralis ſuas haurire concluſiones, & regulas quibus fidelium conſcientias dirigere, animas ſanare, & per Dei viam ducere valeat, eſſe evangelicæ legis ſpiritum, nemo ibit inficias. Non ſolum itaque divinas Scripturas inveſtigare Theologi, & Confeſſarii aſtringuntur; ſed eo potiſſimum intendere animum debent, ut novi teſtamenti, quod eſt veteris complementum & finis, ſcopum, & ſpiritum penetrent & comprehendant. Niſi prima cuiuſque ſcientiæ principia, & principale controverſiæ punctum clare diſtincteque intelligas, aberrabis ſane in concluſionibus deducendis. Et profecto quicumque librum aliquem magni momenti lecturus accedit, auctoris finem, & ſcopum comprehendere, doctrinæ ſpiritum & animam aſſequi, intimoſque ſubire receſſus primum omnium conatur. Chriſtianorum liber Scriptura ſancta eſt,

Digitized by Google

eſt, omnium librorum excellentiſſimus, in vetus & novum teſtamentum diviſus. Illud plenum figuris & arcanis, quæ omnia in novo completa & reſerata ſunt. Scopus ergo & finis, quo omnia ſacroſancta myſteria, præcepta, conſilia, documenta chriſtianæ legis tendant, omni virium conatu inveſtigandum eſt. *Diſſert.* 1. hominem Adæ lapſu deformatum, infirmum, vulneratum, plagis dilaceratum, & ſemivivum vidimus. Ut hunc hominem ſanaret, erigeret, & in Dei hominem transformaret, in mundum venit Unigenitus Patris carne ſumpta. Huc omnia divinæ Sapientiæ arcana, huc lex ſancta, huc Evangelia divina pertinent. Iſtius ergo hominis ex terreno cæleſtis imago nobis depingenda eſt, ut chriſtianæ Moralis ſublimitatem ſpectare quoquo modo valeamus.

§. I.

Finis, & media univerſæ evangelicæ legis eſt aſſimilatio hominis chriſtiani cum Chriſto IESU.

I. EVangelicæ legis finis duplex: beatitudo æterna poſt mortem obtinenda; morum ſanctitas in hac vita exercenda. Iſtius ſanctitatis exemplar ſplendidiſſimum eſt ipſe CHRISTUS IESUS, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. VIII. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Exuenda imago hominis terreni eſt, atque hominis cæleſtis induenda, ſubdit idem Apoſtolus I. Cor. XV. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*. En chriſtiani hominis fulgentiſſimam picturam, ipſius S. Pauli pennicillo expreſſam. Qui hanc imaginem non exprimit, verus Chriſtianus non eſt, homo Dei non eſt. Niſi Deus ipſe voce Apoſtoli ſui conceptis verbis hanc divinam hominis chriſtiani dignitatem teſtaretur, inauditum nobis videretur paradoxon. Reſipiſce ergo, o homo, & memor excellentiæ tuæ, altius aſſurge. Recordare te eſſe genus electum, Sacerdotium regale, Deique filium. *Vos autem* (inquit S. Petrus Epiſ. I. cap. II.) *genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Imago iſta cuiuſque maculæ expers eſt, undique ſanctitatis radios effundit, inquit S. Paulus: *Hæc voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*: I. Theſſal. cap. IV. Nec alio quam ſanctitatis nomine Chriſtianos appellat idem Apoſtolus: *Salutate omnes Sanctos*: II. Cor. cap. VII. *Omnibus Sanctis qui ſunt Epheſi*: ad Epheſ. I. Et quo pretio colores huius divinæ imaginis empti ſunt? Sanguinis Chriſti effuſione. *Empti eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Quin corpora noſtra membra Chriſti eſſe teſtatur. *Corpora veſtra membra ſunt Chriſti*. *Creſcamus ergo in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*. Epheſ. IV.

II. At qui fieri poteſt, inquis, ut chriſtianus homo ſimilis Deo evadat? Quæ ſunt

Digitized by Google

ſunt media quibus aſcendere ad tantæ dignitatis faſtigium poſſimus? Amoris divini ignis, conſumpta lutulenti amoris mundani pice, purgatoque corde a terrenis ſordibus, cæleſtem flammam accendit, quæ nos Deo ſimiles, & univerſæ legis ſuæ obſervatores efficit, ut ipſemet Chriſtus Redemptor noſter voce Evangeliſtæ Matthæi *cap.* XXII. teſtatur *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem eſt ſimile huic. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*. Quid ingenium torques, non ut hæc duo mandata altius penetres, ſed ut ab illorum obſervantia te ſubducas, & in ſophiſticarum quæſtionum chaos te detrudas? Huc cogitationes, & mentis tuæ vires collige. Quem amas, non lædis, non iniuriis afficis: quæ illius ſunt, non furaris, eiuſdem nomen non blaſphemas, fraude illum non circumvenis: quæ placitura eidem prævides, ſtrenue alacriterque exequeris: lites eidem non intentas: nihil quod diſplicere illi poſſit, peragere audes. Et ecce te doctorem, & obſervatorem univerſæ legis, ſi duo præfata mandata, cognitu facillima, explorata habeas. En quam verum ſit effatum Apoſtoli Pauli: *Plenitudo legis dilectio*. Contra, ſi iſtius amoris ignis extinctus ſit, aliorum præceptorum obſervantia nec ſimilem te Deo efficit, nec eius gloriæ participem. *Si caritatem non habuero, nihil ſum*: I. Cor. XIII.

III. Hunc Dei hominem oppoſitum homini terreno diſtinctius Salvator noſter delineat Evangeliſtæ ſui Matthæi penicillo, *cap.* V. Illum octo beatitudinibus, paupertate, manſuetudine, miſericordia, ſimplicitate, iuſtitia, ceteriſque virtutibus ornatum vult. Vetat illum eſſe iracundum, alienæ uxoris cupidum, iuratorem, feneratorem, iniuriarum ultorem; ſed contra iubet illum benevolum, liberalem, pacificum, orantem, atque bonum exemplum præbentem. *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos . . . Vade prius reconciliari fratri tuo. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt . . . Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Si manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam. Neque per caput tuum iuraveris*. Ultra pergit *cap.* VI. & alia ſublimiora vitæ chriſtianæ præſcribit documenta. Sancte operandum admonet, non ut hominibus, ſed ut Deo placeamus: eadem nos metiendos menſura qua menſi fuerimus fratres noſtros, prædicit. Divitias conquirere, ſollicitos eſſe rei terrenæ, mundo inſervire, & Deo interdicit; & cæleſti regno acquirendo inhiare primum omnium imperat. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus . . . Ne videaris hominibus ieiunans. Nolite theſaurizare in terra. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Ne ſolliciti ſitis quid manducetis. Si dimiſeritis hominibus, dimittet & vobis Pater veſter*. Sequenti *cap.* VII. iudicium in fratrum actiones ſibi reſervat, ſancta ſancte tractanda, per anguſtam & arctam viam ingre-

in grediendum cum paucis, & pedem a via lata, per quam multi ambulant, coercendum, & alia ſimilia præſcribit. *Nolite iudicare. Nolite ſanctum dare canibus. Intrate per anguſtam portam: quia lata & ſpatioſa porta eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Ultima tandem hominis chriſtiani lineamenta hæc ſunt. Omnium bonorum huius mundi abdicatio quoad animi diſpoſitionem, & promptitudinem: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Huius mundi habitatio, & bonorum uſus adeo moderatus ſit oportet, ut qui uxores habent, eiſdem utantur ac ſi non haberent; ut qui divitiis affluunt, eas poſſideant tamquam non poſſidentes; qui flent, tamquam non flentes; qui gaudent, tamquam non gaudentes: quoniam mundus iſte, non habitatio, non domus permanens eſt, ſed via qua peregrinamur a Domino, ſed ſtadium, in quo pugnandum, laborandum, patiendumque eſt, ut perſequitur narrare Magiſter noſter divinus voce Pauli. *Reliquum eſt ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flent; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura huius mundi.* I. Cor. VII. Poſtremum coercere appetitiones noſtras, affligere ſenſus, torquere carnem rebellem, crucem, qua aſſimilemur Salvatori noſtro, quotidie deferre; ſunt inſignia illa & ornamenta quibus hominis chriſtiani pictura refulget, & conformis ſplendet imagini Filii Dei. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam QUOTIDIE, & ſequatur me. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

IV. Serio nunc perpendas velim, hanc quam delineavi hominis chriſtiani imaginem, univerſis filiis Adam odioſam eſſe, infeſtam, repugnantem. Quoniam homo Dei Chriſti ſanguine redemptus, in libertatem aſſertus & reformatus, opponitur homini terreſtri Adæ culpa deturpato. Chriſtianus homo inviſus mundo eſt, & carnalium hominum deriſionem, improperia, perſecutionem, & contemptionem provocat. Qui mundo placere contendit, chriſtiani hominis imaginem exuit, & Chriſto nuntium remittit. Hæc omnia nobis prædixit Magiſter noſter dilecti ſui Ioannis Evangeliſtæ voce cap. XIV. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et rurſus ore Pauli intonat. *Si hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem.* Item: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Plura alia iſtius divinæ imaginis ornamenta nunc prætereo brevitatis cauſſa.

Digitized by Google

§ II.

Prima & potiſſima chriſtianæ vitæ principia, humilitas oppoſita ſuperbiæ peccati originalis, & caritas quæ huius vitæ anima eſt.

I. QUoniam fieri nequit ut Theologus, aut Confeſſarius populi fidelis animas ab infirmitate ſanare, & in ſalutis æternæ via regere, & inſtruere poſſit, niſi & primum fundamentum, & formam chriſtianæ vitæ perfecte calleat; idcirco hæc duo potiſſimum explicanda, & ſigillatim enucleanda ſunt. Diſſertatione prima protoparentem noſtrum ſuperbia inflatum a Deo defeciſſe, & cetera perpetraſſe, palam feci. Peccatum itaque originale, quod omnes Adæ poſteri contrahunt, ſuperbia eſt, & hac ſuperbiæ peſte inquinati naſcuntur omnes filii Adæ. Antidotum directe ſuperbiæ oppoſitum humilitas eſt. Quemadmodum Ethnicorum ſapientes originale crimen ignorarunt; ita humilitatis antidotum penitus eoſdem latuit. Ceteras virtutes morales, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, magnanimitatem, aliaſque miris præconiis celebrarunt; virtutis autem noſtræ vel ipſum nomen ignotum iiſdem fuit. De hac autem nobis in præſentia ſermo erit.

II. Sublime & excelſum ædificium, quod excitaturus Dei Filius homo factus in mundum venit, duobus potiſſimum conſtat: humilitate, quæ fundamenti loco poſita eſt; & caritate, quæ totius fabricæ forma eſt, præbens valorem, pulchritudinem, & firmitatem, quæque partes omnes mirabili fœdere coniungit atque conſolidat. S. Thomas 2. 2. quæſt. clxi. fuſum de hac virtute ſermonem ſex articulis diſtinctum habet. Pauca ex *art.* 5. *ad* 2. tranſcribo. *Dicendum, quod ſicut ordinata virtutum congregatio per quamdam ſimilitudinem ædificio comparatur; ita etiam illud quod eſt primum in acquiſitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio iacitur. Virtutes autem vere infunduntur a Deo. Unde primum in acquiſitione virtutum poteſt accipi dupliciter. Uno modo per modum removentis prohibens; & ſic humilitas primum locum tenet, inquantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit, & præbet hominem ſubditum, & patulum ad ſuſcipiendum influxum divinæ gratiæ, inquantum evacuat inflationem ſuperbiæ. Unde dicitur Iacobi* IV. *quod* Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Et ſecundum hoc humilitas dicitur ſpiritualis ædificii fundamentum.* Ex hac Angelici doctrina neceſſario conſequitur, nullam comparari ſine humilitate virtutem poſſe; quemadmodum nulla domus, nullum ædificium conſtrui, & erigi, niſi prius iactum fundamentum præcedat, cui tota ſuperſtruatur moles, valet.

III. Patres omnes toti ſunt in hac explicanda, & commendanda virtute, quæ

ſicut

Digitized by Google

ſicut eſt univerſarum virtutum principium, & fundamentum, ita eſt difficilior & cognitione, & executione. Niſi Filius Dei verbo, & opere eam docuiſſet, vix eluceret inter homines natura vitiata ſuperbos, inflatos, ſuperciliosos. Exinanivit ſe Chriſtus Dominus formam ſervi accipiens, ut inflictis per originalis peccati ſuperbiam vulneribus ſanatis, exemplo ſuo edoctos humilitatem homines poſtliminio in cælum revocaret. Audiamus S. Auguſtinum *Lib. de ſanct. virg. cap.* XXXV. in hæc Chriſti verba: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum:* & in hæc alia: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde:* quæ ſic interpretatur. *Ille ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoſcit niſi Pater, & qui Patrem ſolus agnoſcit, & cui voluerit revelare, non dicit: Diſcite a me mundum fabricare, aut mortuos ſuſcitare; ſed* quia mitis ſum, & humilis corde. *O doctrinam ſalutarem! O Magiſtrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata atque transfuſa eſt! Noluit docere quod ipſe non eſſet: noluit iubere quod ipſe non faceret. Video te, bone Ieſu, oculis fidei, quos aperuiſti mihi, tamquam in concione generis humani clamantem atque dicentem:* Venite ad me, & diſcite a me. *Quid, obſecro te, per quem facta ſunt omnia, Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia, fili hominis, quid ut diſcamus a te, venimus ad te?* Quoniam mitis ſum, *inquit*, & humilis corde. *Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi in te, ut hoc pro magno diſcamus a te, quoniam mitis es & humilis corde? Ita ne magnum eſt eſſe parvum, ut niſi a te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet? Ita plane. Non enim aliter invenitur requies animæ, niſi inquieto tumore digeſto, quo magna ſibi erat, quanto tibi ſana non erat. Audiant, & veniant ad te, & mites atque humiles eſſe diſcant a te, qui miſericordiam, & veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, non ſibi.*

IV. Hanc Auguſtini doctrinam paucis, ſed perſpicuis verbis exponit Angelicus *loc. cit. art.* 2. ubi inter plura hæc habet. *Unde humilitas præcipue videtur importare ſubiectionem hominis ad Deum.* Superbia erigit hominem ſupra Deum, humilitas illum deprimit, & ſubiicit Deo. Duplicem diſtinguit humilitatem, mentis nempe, & cordis; ſeu eadem virtus in appetitu reſidens a mentis cognitione tamquam a regula dirigente, & moderante pendet. Cognitio propriæ infirmitatis & paupertatis menſura eſt & norma humilitatis. *Et ideo* (ibi Angelicus ſubdit) *cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, ſicut regula quædam directiva appetitus.*

V. S. Bernardus *ſerm.* XLII. *in Cant.* ſimiliter duplicem diſtinguit humilitatem: alteram, quam parit veritas, & non habet calorem; alteram vero, quam veritas format, & inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu, ſi temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris, in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in ocu-

oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infuſione. Caſſianus *Collat.* xv. *cap.* VII. inquit: *Humilitas eſt omnium magiſtra virtutum: ipſa eſt cæleſtis ædificii firmiſſimum firmamentum: ipſa eſt donum proprium atque magnificum Salvatoris*. S. Leo Pontifex Maximus *ſerm.* VII. *de Epiphan.* ſimilia pangit huic virtuti elogia. *Tota chriſtianæ ſapientiæ diſciplina non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera, & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus Ieſus Chriſtus ab utero matris uſque ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine elegit, & docuit*. S. Ioannes Chryſoſtomus *homil.* XLVII. *in Matth.* fuſius humilitatis chriſtianæ neceſſitatem, & fulgentiſſimas prærogativas deſcribit, eamque, ut ceteri Patres omnes, fundamentum conſtituit divini ædificii, quod Chriſtus erexit, perfecitque. *Iſtius ergo corporis caput eſt humilitas: quapropter ſuas ab ea beatitudines Chriſtus auſpicatur*. Beati, *inquit*, pauperes ſpiritu: *iſtud caput non eſt equidem ornatum ceſarie, aut intortis artificioſe capillis; tot tamen pollet illecebris, ut vel ipſum ad ſe Deum alliciat. Ad quem enim, inquit, inſpiciam niſi ad mitem, & quietum, & humilem, & trementem ſermones meos?*

VI. Plurima alibi habet Chryſoſtomus, plurima Baſilius, ceterique Patres, qui omnes teſtantur nullam comparari virtutem poſſe, neque retineri, humilitate ſublata; quemadmodum corporis membra ſine capite, & parietis ædificium ſine fundamento conſiſtere nequeunt. Sed iterum loquatur S. Auguſtinus *epiſ.* LVI. ad Dioſcorum. *Huic te, mi Dioſcore, ut tota pietate ſubdas velim, nec aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita eſt ab illo qui greſſuum noſtrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem eſt prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non ſint præcepta, quæ dicantur; ſed niſi humilitas omnia, quæcumque bene facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita, cui adhæreamus, & impoſita, qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia: vitia quippe cetera in peccatis, ſuperbia vero etiam in recte factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Itaque ſicut Rethor ille nobiliſſimus cum interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſervari oportere, pronuntiationem dicitur reſpondiſſe: cum quæreretur quid ſecundo, eamdem pronuntiationem: quid tertio, nihil aliud niſi pronuntiationem dixiſſe: ſi interrogares & quoties interrogares de præceptis chriſtianæ religionis, nihil aliud reſpondere niſi humilitatem liberet, etſi forte alia dicere neceſſitas cogeret. Huic humilitati ſaluberrimæ, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ut doceret, humiliatus eſt* &c.

VII. Adeo explorata res eſt, humilitatem eſſe primam chriſtiani ædificii petram, primum & validiſſimum antidotum, quo vulnus naturæ humanæ ex peccato ori-

Digitized by Google

ginali inflictum ſanatur, ut vel ipſe hæreſiarcha Calvinus doctrinam Auguſtini adoptet, & meditandam præbeat.

VIII. Ut vero tantæ virtutis exercitium S. Auguſtinus ſuadeat, ob oculos tuos paupertatem, miſeriam, & plagas animæ tuæ exponit in *Pſal.* lviii. *conc.* ii. his verbis. *In omnibus implet quod dictum eſt:* Miſericordia eius præveniet me. *Cogitate quod dictum eſt:* præveniet me: *ſi aliquid tuum primum attuliſti, ex eo tuo aliquo bono primo Dei miſericordiam meruiſti, non te prævenit. Quando autem intelligis, quia præventus es, niſi intelligas, quod ait Apoſtolus:* Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Hoc eſt* miſericordia præveniet me. *Denique attendens omnia bona, quæcumque habere poſſumus, ſive in natura, ſive in inſtituto, ſive in ipſa converſatione, in fide, in ſpe, in caritate, in bonis moribus, in iuſtitia, in timore Dei, totum non eſſe niſi ex illius donis ita concluſit.* Deus meus miſericordia mea. *Quid eſt* miſericordia mea? *Si dicas ſalus mea, intelligo, quia dat ſalutem: ſi dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum: ſi dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat fortitudinem.* Miſericordia mea *quid eſt? Totum, quidquid ſum, de miſericordia tua eſt. Sed promerui te, invocando te. Ut eſſem, quid feci? Ut eſſem, ut te invocarem, quid egi? Si enim egi aliquid, ut eſſem, iam eram, antequam eſſem. Porro ſi nihil omnino eram, antequam eſſem, nihil te promerui, ut eſſem. Feciſti ut eſſem; & non tu feciſti ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim; & potuit mihi alius dare ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti ut ſim, & alius mihi dedit ut bonus ſim; melior eſt ille qui mihi dedit ut bonus ſim, quam ille qui mihi dedit ut ſim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in miſericordia largior; a quo accepi ut eſſem, ab illo accepi ut bonus eſſem,* Deus meus mericordia mea.

IX. Quemadmodum ergo omnia opera noſtra bona initium a divina miſericordia accipiunt; ita ab humilitate virtutes noſtræ omnes inchoantur, ab humilitate, & caritate perficiuntur, ab humilitate conſervantur. Plura mihi de humilitate in tractatu de virtutibus. Hæc nunc pauca delibavi, ut altiſſimi ædificii chriſtianæ vitæ baſim & fundamentum breviſſime indicarem.

X. Reliquum nunc eſſet ut caritatem, quæ veluti forma eſt, & anima totum ædificium vivificans, & copulans, explicarem, eiuſdem prærogativas, & characteres deſcriberem. Verum hoc egi *Tom. I. in Decal.* quæ conſulere ibidem poteris. Sat nunc mihi eſt dicere, has duas virtutes mutuo ſe amplecti, tamquam baſim, & formam ædificii, ut optime *epiſt. ad Demetriad.* exponit S. Proſper. *In nullo hæ virtutes ab invicem dividuntur, & ambarum tam indiſcreta connexio eſt, ut qui in una earum conſtruitur, ſimul utraque potiatur. Sicut enim pars caritatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt caritas. Et ſi illa recolamus quæ ſine bono caritatis infructuoſa eſſe Apoſtolus definivit, inveniemus eadem ſimilem habere vanita-*

tem.

Digitized by Google

tem, ſi eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione ſcientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Unde quia in diſtrictionem ſuperbiæ & humilitas tendit, & caritas, de utraque habeatur dictum quidquid de una eſt diſputatum.

XI. Si plura de humilitate cupis, conſule S.Thomam *loc.cit.* & ceteros Eccleſiæ Doctores, nec non libros quos ſpirituales vocant. Hæc ego pauca delibavi, ut poſtquam ideam generalem chriſtianæ vitæ adumbravi, duo prima & capitalia lineamenta, quæ ſunt veluti ſpiritus & anima divini ædificii a Chriſto Domino erecti, luculentius ob oculos exponerem. Unum tibi ſub iſtius capitis finem meditandum propono. Cum mundani homines vident Chriſtianos, Sacerdotes, Religioſoſque viros in luxuriæ, avaritiæ, iræ, & ſimilia flagitia prolapſos, obmurmurant, ſtupent, admirantur, illoſque damnari dumtaxat fere ſibi perſuadent qui eiuſmodi ſceleribus inquinantur. Multos æternum perire ob luxuriam potiſſimum, & avaritiam Scriptura ſancta docet. Verum enimvero plurimi, & forte maiori ex parte eorum qui damnantur, occultiſſimo ſuperbiæ vitio pereunt. Superbia cecidit Lucifer cum tertia ſtellarum parte: ſuperbia corruit Adam humani generis parens. Peccatum iſtud ſuperbiæ originalis contrahimus omnes. Hic eſt noſter morbus prævalens; hæc febris omnium infeſtiſſima, quæ medullas omnes pervadit; hæc peſtilentior infirmitas, quæ ex inſidiis, & veluti per cuniculos animarum ſtragem inducit. A carnalibus vitiis, quæ ſenſus hominum offendunt, & infamiam pariunt, ſin minus amore virtutis, ſaltem ignominiæ ſubeundæ timore abſtinemus. Sæpe vitio vitium tegimus, & ut mundi favorem, & plauſum captemus, carnem, & cetera ſordida crimina opere, nedum ore deteſtamur. At fulgidum eſt ſuperbiæ crimen, quod oculorum aciem fugit, & ſplendidam ſæpe induit veſtem. Vel ipſum bonorum operum meritum ſæpe inſidioſe ſurripit, aut inſidias eidem ſtruit. Undique nos obſidet, & circumvenit, ut vel de ipſa gloriemur ſanctitate. Itaque ſi plures moriuntur ob ſcelera minora, ſeu ob morbos mitiores; conſequitur plurimos perire ob infirmitatem graviorem, quæ altius, ſævius, & inſidioſius in animos noſtros dominatur, qualis ſuperbia eſt. Plura dicturus ſum, cum de vitiis capitalibus ſermo erit. Nunc ex his paucis collige, quam verendum timendumque nobis ſit. Nobis blandimur interdum, quod ſimus caſti, pauperes, æqui, non iracundi, non vindicatores, mundo amabiles, & piis operibus fecundi. At ſæpe philautia vaferrima ſerpit, rodit, & occultiſſimos ſubit receſſus, elationem ſuſcitat, & tumentes efficit animos noſtros. Ad ſcopulum iſtum non raro animas allidunt, qui? Nos ipſi, Theologi, Dei miniſtri, Confeſſarii, qui, ut emineamus in populis, aut placentia loquimur, & opiniunculas indulgentes carni obfirmate defendimus, ne mundanæ exiſtimationis iacturam faciamus; aut rigidiorem doctrinam oſtentamus, ut

Digitized by Google

hac via ſingularem nobis plauſum captemus. Ne multa. Undique inſidiæ, undique pericula. Ad firmam humilitatis anchoram alligandæ animæ noſtræ ſunt, ſi æternum declinare naufragium ſincere volumus.

CAPUT VII.

Alter Theologiæ morum fons eſt Chriſti Domini oraculum: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. *Fidelium adultorum plures damnari quam ſalvari omnium argumentorum genere demonſtratur. Idem ne de Sacerdotibus, & Religioſis dicendum eſt?*

I. NEmo me redarguat, quod locorum theologicorum numerum augere velim. Nam locus iſte non eſt a loco Scripturæ ſanctæ diſtinctus, ſed idem morum Theologiæ accommodatus, & quidem, niſi me meus fallat amor, cum lectorum profectu. Antequam vero ultra provehor, & hanc graviſſimam ingredior difficultatem, murmura, erronea præiudicia, & puerorum terriculamenta, quæ Benigniſtæ, ſeu laxioris doctrinæ patroni non pauci paſſim exaggerant, profliganda ſunt. Continenter Caſuiſtæ ſimilia vociferantes obtrudunt. Sublato Probabiliſmo, reiecta caſuiſtica benigna doctrina, quis confeſſiones excipiet, quis ſacramenta adminiſtrabit? Ex doctrina antiprobabiliſtica conſequitur, plurimos damnari, paucos ſalvari. Sed faceſſat Rigoriſmus iſte immanis, & truculentus, qui in deliciis habet ſævire in fratres, torquere miſeros fragileſque peccatores, replere animabus Chriſti ſanguine redemptis infernum. His vocibus & vanis præſtigiis ingentes numeroſaſque turbas ſibi conciliant, plauſum & acclamationes ſibi captant univerſales.

II. En, lector chriſtiane, quo nos malorum adduxit novus opinandi modus, ut loco abſurdi crudeliſſimi, & horrendi obtrudatur quod eſt luculentiſſimum IESU Chriſti Salvatoris noſtri oraculum. Si Chriſtus aperte dixiſſet: Videte ne quis vos nimia ſeveritate opprimat; cavete ne quis vos ſeducat, ut per viam arctam & anguſtam deducat: quoniam via lata & ſpatioſa eſt quæ ducit ad vitam æternam; arcta vero & anguſta quæ ad perditionem tendit; & pauci ſunt qui intrant per hanc, multi per illam: ſi hæc Chiſtus in ſuo Evangelio diceret, conſiſteret obiectum abſurdum. At contra Chriſtus clamat & inclamat: *Attendite vobis a falſis Prophetis. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui intrant per eam; lata vero & ſpatioſa quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui ambulant per eam.* Et cum hæc ita ſe habeant, adverſarii non reformidant, non erubeſcunt opponere tamquam abſurdum quod eſt Chriſti Domini manifeſtiſſimum

ora-

Digitized by Google

oraculum? Admiſſa doctrina antiprobabiliſtica multi pereunt. Ita ſane. At doctrina evangelica, non noſtra hoc teſtatur, non ſemel, non ambigue, ſed perſpicue & manifeſte. Qui ergo præfata opponunt, loco abſurdi habent evangelicam doctrinam. Clamant, multos damnari, paucos ſalvari, benignitate probabiliſtica ſublata. Probandum ex Evangelio eſſet, multos ſalvari, & paucos damnari, ea perſpicuitate & evidentia qua nos oppoſitum oſtenſuri ſumus; & tunc locum obiectio facta haberet. Sed contra iſtos invehitur Auguſtinus: *Confundantur qui dicunt tibi: Euge euge*. Reiectis itaque vanis ſophiſtarum clamoribus, ad propoſitam cauſſam diſpiciendam accedo.

§. I.

Status controverſiæ, & Patrum, atque Theologorum placita.

I. PRædeſtinationis, & reprobationis arcanum profundiſſimum eſt, quod fugit humanæ mentis aciem. Temeritate & inſania laboraret quicumque proprio marte quidquam definire de hoc altiſſimo & imperſcrutabili myſterio auderet. Ea ſolum de tam tremendo formidandoque arcano diſſerere nobis permiſſum eſt quæ Deus ipſe, quæ Chriſtus IESUS in ſuo Evangelio revelavit, quæ ex hoc Evangelio Patres omnes, & ſapientiores Theologi colligunt, & declarant. Quare turpiter falluntur illi qui non ex evangelicis oraculis, ſed ex quadam commiſeratione, & naturæ propenſione ad benignitatem, ad clementiam, ex temperamenti denique inſtinctu, & ex funeſtiſſimi eventus horrore, maiorem ſibi effingunt electorum quam reproborum numerum: quoniam id quod optant, non id quod Scripturæ docent, defendere ſatagunt. Sed toties ex S. Auguſtino diximus: *Nemo optando facit ut verum ſit quod verum non eſt*. Similes iſti ſunt illis qui ludentes pila ſpectant, & vitam, brachiaque eo detorquent & inflectunt quo tendere pilam vellent; at non propterea efficiunt ut illuc pila pertingat, ſi impreſſus motus illam eo non defert.

II. Nonnulla penes omnes certiſſima præmitto. Primum omnes adfirmant ex *Apocalypſis cap.* VII. ingentem maximumque eſſe prædeſtinatorum numerum. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat* &c. Solus Martyrum numerus ingens, & innumerabilis eſt. Quid de Confeſſorum, Virginum, Anacoretarum, & parvulorum copiis numeroſiſſimis dicam? Convenit ſimiliter penes omnes, reproborum numerum longe maiorem eſſe, ſi omnes homines catholici & hæretici, fideles & infideles ſimul comprehendantur. Quæſtio ergo eſt de ſolis Catholicis adultis, Eccleſiæ filiis, excluſis parvulis.

III. Ut a recentioribus Theologis initium capiam, P. Gabriel Vaſquezius incer-

Digitized by Google

tum eſſe ait, plures ne an pauciores ſint qui ſalventur. Quæ incertitudo ſola tremenda eſt, & formidanda, quæque omnes ad ſummam ſollicitudinem, diligentiam, atque vigilantiam excitare debet. P. Franciſcus Suarez celeberrimus Theologus *Lib. VI. de prædeſt. cap.* III. fatetur, communiorem eſſe ſententiam propugnantem pauciores ſalvari, & plures damnari; ipſe vero contrariam defendit. Sed alter celebris Ieſuita P. Didacus Ruiz de Montoia *Tom. de prædeſt. diſp.* LIV. *ſect.* I. merito talem improbat ſententiam, inquiens: „ Hæc opinio magis optabilis quam „ probabilis, ſuos Auctores invitavit magis affectu voluntatis quam tractu rationis „ & auctoritatis pondere. Sed, ut Auguſtinus ait, opinio humana optando non „ efficit ut vel unus ſalvetur, ſed blandiendo, & placendo efficit ut multi dor„ miant, & damnentur. "

IV. Scripturæ divinæ, ſancti Eccleſiæ Patres, & communiter Theologi recentiores docent, plures adultorum fidelium damnari, & pauciores ſalvari. Hanc ſententiam docent ultimæ ætatis Theologi communiter, Caietanus Cardinalis in *parabol. de decem virg.* Lyranus, Carthuſianus, Ludovicus Granatenſis, Abulenſis, Eſtius, Cardinalis Bellarminus, Cornelius a Lapide, Cardinalis Bona, Ruiz de Montoia, Recupitus, Alvarez, Gonet, Contenſonius, Michael Elizalde, Henricus a S. Ignatio, Paulus Segneri in ſuo *Chriſt. Inſtr. I. Part. ſerm.* V. & alii plurimi.

§. II.

Teſtimonia veteris teſtamenti declarant, plures damnari, & paucos ex fidelibus adultis ſalvari.

I. EX innumera Scripturæ ſanctæ teſtimoniorum multitudine pauca ſeligam. Prima mundi ætate antidiluvianorum hominum malitia adeo inundaverat ſuper univerſam terram, ut pœnituerit Deum feciſſe hominem; quemadmodum habetur Gen. VI. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra: & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ.* Et reipſa univerſum humanum genus diluvio univerſali delevit, octo dumtaxat exceptis animabus, quæ per arcam ſalvæ factæ ſunt. Nullum tum idololatriæ veſtigium, nulla hæreſis, ſed omnes eiuſdem religionis erant, ut ex divina Scriptura colligitur. Nos eiuſdem naturæ homines ſumus, eodem morbo, eadem lue inquinati, iiſdemque pravis deſideriis obnoxii. Deridebant & ipſi Noe, cum fabricaret arcam, in quam ſe reciperet; ſicut & nunc deridentur ſervi Dei, qui arctam viam calcandam ſuadent.

II. In lege ſcripta dicitur: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum:* Pſal. XIII. Millia millium Hebræorum

Digitized by Google

rum exierunt de terra AEgypti, quorum duo tantum promiſſionis terram ingreſſi ſunt. Quæ formidanda figura ſalvandorum paucitatem portendit, & ad noſtram inſtructionem directa eſt, inquit: *I. Cor.* x. S. Paulus. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*: & S. Auguſtinus *ſer.* CII. *de temp.* ſubdit: *Hoc ergo audiant qui ita Dominum miſericordem eſſe volunt, ut iuſtum eſſe non credant.*

§. III.

Oracula Chriſti Domini, quæ primum teſtimonium: Multi ſunt vocati, pauci vero electi: *confirmant.*

I. ADeo luculenter hanc tremendiſſimam controverſiam definit Chriſtus Dominus *Matth.* VII. ut dum eiuſdem verba ſerio mecum reputo animo, totis artubus contremiſcam. *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam*. Et velut in admirationem actus exclamat continuo: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam! Attendite a falſis Prophetis*, ſeu a falſis magiſtris, qui blanda & placentia loquuntur, qui in hoc Chriſti ſermone infideles, & hæreticos comprehendi fabulantur. Nulla in toto hoc Evangeliſtæ capite aut hæreticorum, aut infidelium mentio. Lege integrum Chriſti ſermonem, & videbis verum eſſe quod dico, unice ibi morum integritatem ſuaderi. Laudata verba hæc præcedunt immediate. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt lex, & Prophetæ*: & continuo ſubdit: *Intrate per anguſtam portam*. Legis ergo obſervantia, quæ ſenſus comprimit, quæ carnem, & appetitiones coercet, quæ concupiſcentiam a luxuria, in quam abripiuntur libidinoſi, & cupiditatem a divitiis, quas impotenter ſitiunt avari, cohibet, quæ denique ieiuniis, pœnitentia totum corpus affligit, & humilitate, paupertate, & iuſtitia ſpiritum deprimit, eſt via arcta. Fidei myſteria, quæ diſtinguunt Catholicos ab infidelibus, & hæreticis, non conſtituunt viam arctam. Interroga Catholicos omnes, quæ via arcta illos cruciet, fidei, an morum? Omnes reponent, viam mandatorum, viam legis, viam morum illam eſſe quæ eos torquet, quæ perpetuum bellum illorum deliciis, & ſolatiis indicit. Reponent, ſe facillime credere Trinitatem, Incarnationem, & ſacramenta omnia. Verum caſtitatem, iuſtitiam, humilitatem, inimicorum dilectionem exercere, ſeparari a muliere quam depereunt, reſtituere divitias male partas, dimittere iniurias illatas, crucifigere carnem, & cetera omnia præſtare quæ lex iubet: hæc eſt via arcta, per quam ambulare refugiunt. Hæretici, & infideles extra viam ſunt. Si arcta via Catholicos, & ſpatioſa via infideles comprehenderet, omnes Catholici per ar-

ctam viam ambularent, omneſque ſalvi fierent; quod eſt commentum plane ineptiſſimum.

II. Confirmat Magiſter noſter divinus hanc ſuam ſententiam alia non minus expreſſa, quam formidanda, Luc. XIII. *Ait autem illi quidam : Domine, ſi pauci ſunt qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad eos : Contendite intrare per anguſtam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt*. Ut vides, iterum *confirmavit*, inquit S. Auguſtinus, *quod audivit*, nempe *quod pauci ſunt qui ſalvantur*. Quis non paveſcit ad illa verba: *Quærent intrare, & non poterunt?* Quærunt mundani homines, deliciis, viæ ſpatioſæ & latæ addicti, ſemel, bis, ter, quotannis intrare arctam caſtitatis, iuſtitiæ, pœnitentiæ, ieiuniorum viam. Sed hodie confitentur, & poſt paucos dies relabuntur in viam ſpatioſam & latam. Et iſtorum multi ſunt qui quærunt intrare, & non poſſunt : quia nolunt, quia obedire deſideriis ſuis malunt quam Deo.

III. Pluribus parabolis declarat, explicat, atque inculcat tremendam veritatem divinus Iudex. Nam *loc. cit. Luc.* XIII. ſtatim poſt verba, *Contendite intrare*, ſubdit : *Cum intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes : Domine, aperi nobis : & reſpondens dicet vobis : Neſcio vos, unde ſitis. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti : & dicet vobis : Neſcio vos, unde ſcitis : diſcedite a me omnes operarii iniquitatis*. Omnia hæc ad unguem confirmata videmus in tot & Sacerdotibus, & Chriſtianis, qui manducant & bibunt ipſum dominicum corpus & ſanguinem, nedum coram illo. Quis non videt hic ſermonem eſſe non de extraneis infidelibus, & hæreticis, ſed de domeſticis & fidelibus iniquitatis operariis? Parabola de invitatis ad convivium confirmat, multos eſſe vocatos & invitatos, paucos vero commenſales. *Miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias : & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi . . . . venite ad nuptias . Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius ad villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam : reliqui vero tenuerunt ſervos eius, & contumeliis affectos occiderunt*. En curas, ſollicitudines, negotia, oblectamenta depicta, quibus hodie communiter viri mundani faſcinati negligunt divina. Invitantur ad audiendum Dei verbum, ad ſacramenta, ad ieiunia, ad preces. Qui ſunt qui accedunt, niſi pauci? Excuſationes illorum luculentius deſcribit Evangeliſta Lucas cap. XIV. *Primus dixit ei : Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam : rogo te, habe me excuſatum*. Excuſatio hæc non infidelium, ſed fidelium eſt. *Et alter dixit : Iuga boum emi quinque . . Et alius dixit : Uxorem duxi* &c. Et tandem Dominus concluſit : *Nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*.

IV. Meditare, lector chriſtiane, reprobationis cauſſas. Nemo iſtorum dixit :

Vil-

Digitized by Google

Villam uſurpavi . . . . boves furatus ſum : concubinam delegi . Sed quiſque reſpondit : Villam emi : boves emi : uxorem duxi . Nihil in reſponſis iſtis mali eſt. Cur ergo excluſi, cur improbati? Quia ob rerum temporalium ſollicitudinem, curam, nimiumque ſtudium, neglexerunt æterna ; & animarum ſaluti prætulerunt terrena negotia. Quot ſunt in præſens qui a ſimilibus præſtigiis, & faſciniis non ſeducantur? Et eo eſt ſeductionis portentum funeſtius, quo ſibi vitio minime vertunt hanc immoderatam pro rebus terrenis aut comparandis, aut conſervandis ſollicitudinem. Immo Chriſtiani qui non furantur, qui non fornicantur , qui non inebriantur, tametſi toti occupati in divitiis augendis, in mercaturis, & in contractibus multiplicandis, in oblectamentis capiendis, reputantur boni, & per viam ſalutis ambulantes. Verum tremenda parabola oſtendit , quam diverſæ ſint viæ Dei a viis hominum.

V. Altera parabola *Matth.* XIII. eodem recidit. *Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat ſeminare. Et dum ſeminat , quædam ceciderunt ſecus viam . . . alia autem ceciderunt in petroſa . . . alia autem ceciderunt in ſpinas . . . alia autem in terram bonam . . . Qui habet aures audiendi audiat* . Semen eſt verbum Dei. Quarta tantum pars cecidit in terram bonam, reliquæ tres ſecus viam, inter petras, & ſpinas . Parabolam ſuam ipſemet Chriſtus exponit *Luc.* VIII. ubi inquit : *Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam , hi ſunt qui audiunt : deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum , ne credentes ſalvi fiant*. De ea hic fide ſermo eſt, non qua fideles evadamus, ſed qua ſalvi ſimus. Cedo: dum pius doctuſque Concionator has Chriſti parabolas, & formidandam ſententiam de ſalvandorum paucitate ferventi zelo inculcat , ut viros & mulieres avocet a ludis, a choreis, a comœdiis, & a ceteris inſanientis mundi illecebris , quot invenit credentes ? quot ei fidem adhibent? Aut eum ut Rigoriſtam, phanaticumque derident, ſibilant, calumniantur; aut pergunt ad Caſuiſtam, ad Confeſſarium, cui excitatos a Concionatore ſcrupulos aperiunt, & ab eodem linimentum blandum accipiunt, quo rotæ unguntur ad celeriorem curſum per viam latam & ſpatioſam conficiendum. Perſequitur Salvator noſter parabolæ explicationem. De ſecundis ergo addit : *Qui ſupra petram , qui cum audierint , cum gaudio ſuſcipiunt verbum : & hi radices non habent : quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Plures ſunt qui ſanctum Dei verbum aut audientes e ſuggeſtu , vel ex ore Confeſſarii amici, aut legentes in libris ſacris excitantur, commoventur, reſipiſcunt paullulum. Sed ad vocem loquelæ grandis exardet ignis luxuriæ, iræ , ambitionis, & continuo fructus omnes diſpereunt. Creſcit planta, quæ radices non habet, quibus vento tentationis reſiſtat. Hi infideles non ſunt, nec hæretici, ſed Catholici, qui cum gaudio ſuſcipiunt verba vitæ æternæ . Verum tertia parabolæ applicatio eo eſt terribilior, quo univerſalior. *Quod autem in ſpinas*

ce-

cecidit, hi ſunt qui audierunt, & ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Heu! heu! Pauci ne ſunt qui voluptatum illecebris, qui divitiarum ſpinis, qui ſollicitudine vitæ præſentis excantati, oppreſſi, ſeducti, ſterile reddunt verbum Dei? Utinam pauci eſſent, ſed revera plurimi ſunt. Quarta tandem pars ad paucos reſtringitur, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*. Fructum & meſſem afferunt iſti in patientia, ut intelligas haudquaquam ſufficere abſtinere a pravis operibus, ut multi faciunt; ſed uberem parere proventum debemus. Non ſolum reproba & maledicta terra eſt quæ ſpinas, zizania, & tribulos germinat; verum etiam ea quæ frumentum congruum ſemini ſparſo non parit.

VI. Alia parabola eſt de decem virginibus *Matth.* xxv. in qua non tam numerus, quam doctrina ſpectanda eſt. Quæ reprobatæ dicuntur, impudicæ non erant, ſed virgines. Non accuſantur nec de impudicitia, nec de furto, nec de negotiatione, nec de iniuſtitia. Illarum crimen iuxta Gregorium fuit elatio, iuxta Chryſoſtomum avaritia. Habebant quippe unde emerent; ſed ſibi a ſociis dari gratis oleum volebant. Et tum ſolum ad vendentes acceſſerunt, cum tempus defuit. Quis hac ætate, niſi Dominus illas reprobaſſet, damnaret? Negligentia, elatio, avaritia crimina ſunt ob quæ fatuæ virgines, & fatui multi damnantur. Animum intendamus in alteram parabolam illorum qui in ſe confidebant Luc. xviii. *Dixit autem ad quoſdam qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam*. Unum repræſentat ſic ſantem. *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo*. Non propriis viribus aſcribit ſua bona opera, pro quibus Deo gratias agit. Vera fuerunt opera bona, quia mendacii non arguitur. Quodnam iſtius crimen? Philautia occultiſſima, & aliorum contemptio. Si nos videamus homines non raptores, non fornicatores, non iniuſtos, non adulteros, ſed bis in hebdomada ieiunantes, decimas ſolventes; tamquam iuſtiſſimos reputamus. Parum philautiæ, vel iactantiæ de bonis operibus vix vitio vertimus. Sed ab hoc noſtro iudicio valde differt evangelica doctrina. Quid de aliis parabolis, de ſervo pigro, de talentis otio ſepultis, & ad negotiationem non expoſitis dicam? Hæ ſane parabolæ eo omnes conſpirant, ut primum oraculum evincant atque confirment: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*.

VII. Pauca adiicio ex Apoſtolorum epiſtolis. S. Paulus *Galat.* v. inquit: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. Quiſque definiat, pluresque ne ſint, an pauci, qui carnem ſuam crucifigant cum vitiis & concupiſcentiis. Quia qui id non agunt, Chriſti non ſunt; qui Chriſti non ſunt, ſalvi eſſe nequeunt. Repetit ad Rom. viii. *Ergo, fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini:*

ſi

ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.

VIII. Illos ſpiritu Dei agi dicimus, Auguſtino duce, qui voluptate divini amoris trahuntur; quemadmodum ſpiritu mundi pleni ſunt illi qui amore divitiarum, honorum, illecebrarum abripiuntur. Quot ſunt, quæſo, qui ſpiritu Dei aguntur? *Qui enim* (ſubdit Apoſtolus) *ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.* Si cupis ſcire, an plures ſint qui cæleſtium dapum ſapore alliciantur, percurre aulas, tribunalia, theatra, officinas, plateas, nundinas, naves, militiam: intuere puerorum, adoleſcentum, puellarum, feminarum, virorum, ſenum corruptos mores, luxum, pompas, periuria, fraudes, obſcœnitates, convicia, adulteria, fornicationes, rixas, invidiam, ventris ingluviem, comeſſationes, crapulam, ludus, ſcurrilia, deſideria putida, ſuperbiam, fenora, avaritiam; & cum Propheta dices: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Tandem Apoſtolus *I. Cor.* XV. duplex diſtinguit hominum genus, quod ego ſupra delineavi ex eodem Apoſtolo: alterum terrenum, cæleſte alterum. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Quis dixerit plures eſſe homines cæleſtes, qui Chriſti IESU imaginem præferant, quam terrenos, qui veterem hominem per peccatum originale deformatum non portent, qui ſecundum carnem & ſanguinem non vivant? Porro caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. A Dei regno, nedum a ſublimi perfectione terrenos iſtos homines excludit Apoſtolus S. Petrus *Epiſt. I. cap.* III. animas quæ baptiſmate abluuntur, animabus comparat ſalvatis in arca, *in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & vos ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma.* Arca figura Eccleſiæ eſt, extra quam, non ſecus ac extra arcam, ſalus non eſt. Pauci in arca, pauci in Eccleſia ſalvi fiunt, inquit Origenes hom. XXI. in cap. XXVI. Num. *Superna pars arcæ erat arctiſſima; infima vero pars latiſſima: in inferioribus centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo; ſummitas in unius cubiti ſpatium conſummatur, ad deſignandum quod in arca Eccleſiæ pauci ad ſuperna, plurimi ad inferna deducantur.*

IX. Finem huic paragrapho imponat S. Paulus, qui *I. Cor. cap.* IX. & X. luculentiſſime, quæ ex Evangelio recitavi, confirmat. *Cap.* IX. inquit: *Neſcitis, quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem verberans. Sed caſtigo corpus meum*

Digitized by Google

meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Hic Apoſtolus declarat, quid agendum ſit, & quæ ſervanda ſunt in hoc quod percurrimus ſtadio, ut coronam aſſequamur. Qui in ſtadio currunt, omnia onera exuunt, impedimenta, & obſtacula removent, ut expediti & celeres ſint ad coronam corruptibilem aſſequendam. Similiter veterem hominem, peccatorum ſarcinas, concupiſcentiæ, ſuperbiæ, avaritiæ pondera deponere debent; ab omnibus mundi illecebris & præſtigiis liberi ſint oportet qui æternam aſſequi coronam ſincere cupiunt. *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*: inquit Apoſtolus, ut paucitatem electorum indicet. Hoc autem continuo *cap.* x. luculentius exponit.

X. *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus) SED NON IN PLURIBUS EORUM BENEPLACITUM EST DEO: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt NOSTRI, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt . . . Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad CORREPTIONEM NOSTRAM, in quos fines ſæculorum devenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Quis legere, & ſerio hæc meditari poteſt, quin paveat & contremiſcat? Omnes baptizati fuere, omnes eamdem eſcam comederunt, omnes eumdem potum biberunt; *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Omnes Catholici baptizati ſunt, omnes eamdem eſcam manducant, omnes eumdem potum bibunt, omnes communiter eadem ſacramenta frequentant. Num in pluribus iſtorum beneplacitum ſit Deo, mores ipſorum declarant. Plura ſcribit Angelicus in hanc S. Pauli doctrinam *lect.* 1. & 11. Pauca delibo. *Non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, in illis ſcilicet qui Deum offenderunt, ſed tantum in duobus, ſcilicet Caleph, & Ioſue, quibus ſolis conceſſum eſt terram promiſſionis obtinere . . . . . Et notandum, quod ſicut in bonis longe melius eſt quod figuratur quam ipſa figura, ut regnum cælorum quam terra promiſſionis; ita in malis longe peius eſt quod figuratur quam figura ſignificans. Secundum autem Auguſtinum illa ſupplicia quæ ſuſtinuerunt, figura GEHENNAE fuerunt, quæ omni pœna maior eſt.* Hæc grandiora, & tremendiora ſunt quam meis amplificari verbis queant.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

SS. Patrum auctoritate electorum paucitas evincitur.

I. INitium capio a S. Thoma, cuius pauca mox dedi. Sed hanc controverſiam ex inſtituto verſat *I. Part. quæſt.* XXIII. *art.* 7. ubi *arg.* 3. ſibi opponit, plures ſalvari quam damnari, his verbis. *Operatio Dei perfectior eſt quam operatio naturæ. Sed in operibus naturæ bonum invenitur ut in pluribus, defectus autem, & malum ut in paucioribus. Si igitur a Deo inſtitueretur numerus ſalvandorum, plures eſſent ſalvandi quam damnandi . . . cuius contrarium oſtenditur Matth.* VII. *ubi dicitur: Lata & ſpatioſa &c.* Huic autem argumento ſequens præbet reſponſum: *Dicendum, quod bonum proportionatum communi ſtatui naturæ accidit ut in pluribus, & deficit ab hoc bono ut in paucioribus. Sed bonum quod excedit communem ſtatum naturæ, invenitur ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono ut in pluribus. Sicut patet quod plures homines ſunt qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ; pauciores autem qui hac ſcientia carent, qui moriones, vel ſtulti dicuntur; ſed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna in viſione Dei conſiſtens excedat communem ſtatum naturæ, & præcipue ſecundum quod eſt gratia deſtituta per corruptionem originalis peccati, pauciores ſunt qui ſalvantur. Et in hoc etiam maxime miſericordia Dei apparet, quod aliquos in illam ſalutem erigit, a qua plurimi deficiunt ſecundum communem curſum & inclinationem naturæ.* Confirmat hanc ſententiam Angelicus in *Epiſ. I. ad Cor. cap.* IX. ubi hæc habentur: *Neſcitis quia qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium?* ubi hæc adiicit S. Doctor. *In primo notatur conditio viatorum, in ſecundo multitudo vocatorum, in tertio paucitas electorum.*

II. Suam de prædeſtinatione doctrinam hauſit S. Thomas ex S. Auguſtino, qui præ ceteris omnibus controverſiam hanc diſpexit pluribus in locis, ſed præcipue in *Pſal.* XLVII. eamque perſpicue ad ſolos fideles reſtringit, exponens illum Pſalmi verſiculum: *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui*: ubi hæc inter alia ſcribit, quæ, licet prolixiora, lubet tranſcribere. *Qui ſuſceperunt; & ubi ſuſceperunt? Nonne ipſe populus tuus ſuſcepit miſericordiam tuam? . . . Nunc quippe populus Dei cenſentur omnes qui portant ſacramenta eius; ſed non omnes pertinent ad miſericordiam Dei. Omnes quippe ſacramentum baptiſmi accipientes Chriſtiani vocantur, ſed non omnes digne illo ſacramento vivunt: ſunt enim quidam de quibus dicit Apoſtolus*: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. *Tamen propter ipſam ſpeciem pietatis in populo Dei nominantur; quomodo ad aream, quamdiu triturantur, non ſolum granum, ſed etiam palea pertinet: numquid & ad horreum pertinebit? . . . Nam & ipſæ ſpinæ non ad populum Dei pertinent.*

Vis

Digitized by Google

Vis audire? Ita poſita eſt ipſa ſimilitudo. Sicut lilium, *inquit*, inter medium ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. *Numquid dixit in medio alienarum? Non, ſed in medio filiarum . . . Sunt ergo filiæ malæ; & inter illas eſt lilium in medio ſpinarum. Itaque illi qui ſacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei, & eius dicuntur, & alieni: eius propter ipſius ſacramentum; alieni propter proprium vitium. Ita & filiæ, & alienæ: filiæ propter formam pietatis; alienæ propter amiſſionem virtutis. Sit ibi lilium: ſuſcipiat miſericordiam Dei: teneat radicem boni floris: non ſit ingratum pluviæ dulci de cælo venienti. Ingratæ ſint ſpinæ: creſcant de imbribus: ad ignem creſcunt, non ad horreum. . . . Iam hic occurrit unicuique cogitanti, & quid? Iſte populus qui in medio populi Dei ſuſcipit miſericordiam Dei, quantum numerum habet? Quam pauci ſunt! vix inveniuntur aliqui. Illis ne contentus Deus erit, & perdet tantam multitudinem? Dicunt hoc (N. B.) qui ſibi promittunt hoc quod a Deo promittente non audierunt. Et vere ſi male vivamus, ſi mundi huius deliciis perfruamur, ſi noſtris libidinibus ſerviamus, perditurus eſt nos Deus. Quot enim ſunt illi qui videntur ſervare præcepta Dei? Vix invenitur unus, vel duo, vel pauciſſimi. Ipſos ſolos Deus liberaturus eſt, & ceteros damnaturus? Abſit, inquiunt. Cum venerit, & videbit tantam multitudinem ad ſiniſtram, miſerebitur, & dabit indulgentiam. Hoc ſane etiam ſerpens ille promiſit primo homini. Nam minatus erat Deus mortem, ſi guſtaret. Ille autem, Abſit, inquit,* non morte moriemini. *Crediderunt ſerpenti; invenerunt verum eſſe quod minatus eſt Deus, falſum quod promiſerat diabolus. Ita & nunc, fratres, ponite vobis Eccleſiam ante oculos ad inſtar ſimilitudinemque paradiſi. Non ceſſat ſerpens ſuggerere quod tunc ſuggeſſit. Sed caſus primi hominis ad experimentum cavendi debet nobis valere, non ad imitationem peccandi. Ideo ille cecidit, ut nos ſurgamus. Reſpondeamus talibus ſuggeſtionibus quod reſpondit. Nam & ipſum per feminam tamquam per Evam tentavit, & vicit in ſtercore victus in paradiſo. Ergo non audiamus tales voces, nec putemus paucos eſſe iſtos: multi ſunt, ſed inter plures latent. Non poſſumus enim negare plures eſſe malos, & tam plures, ut inter eos prorſus boni non appareant, quomodo non apparent grana in area. Nam quiſquis aream videt, poteſt putare quod palea ſola ſit. Da hominem inexpertum, & putat inaniter fieri quod boves mittuntur, quod ibi homines ſub æſtu deſudant, ut conterant: ſed ibi eſt & maſſa ventilatione purganda. Tunc procedit copia frumenti, quæ latebat in copia palearum.*

III. Prolixa eſt S. Auguſtini concio, ſed gravis, ſed unctione ſuavis, doctrina formidanda, argumentatione urgens, & potens natura ſua excitare vel profundo ſomno dormientes. Idcirco integram reſcribere volui. Similia ſcribit *ſerm.* XVIII. *de verb. Dom. cap.* XIX. item *Lib. X. contr. Fauſtum Manich. cap.* XVI. & rurſus in *Pſalm.* XXV. *enarr.* I. item *Lib. I. contr. Donat. cap.* II. & *ſer.* XXXII. *de verb. Dom.*

IV.

IV. S. Ambroſius *Lib. de Noe cap.* II. hæc ſcribit. *Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. Multi hominibus iuſti videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo: hominibus ſecundum vitæ ſpeciem, Deo ſecundum puritatem animi, & virtutis veritatem.* Si quis hominum Noemo dixiſſet quæ Deus dixit, ipſum cum ſolis ſeptem iuſtum eſſe, ceteris peccato ſervientibus; furere & inſanire viſus fuiſſet. S. Baſilius eadem ac Ambroſius in *Pſal.* I. & in *cap.* x. Iſaiæ ſcribit. *Nemo obſtupeſcat, nemo miretur, ſi tantus numerus Iſraelitici populi ad paucos redigatur. Ne tu mentem intendito iſti numeroſæ multitudini eorum qui nomine tenus dicuntur Religioſi, Deive cultores. Chriſti enim nomine multi admodum inſigniuntur; perquam pauci vero qui veraci teſtimonio operum eam conſtabiliant, & confirment nomenclaturam. Si igitur fuerit populus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ eorum ſalvæ erunt.*

V. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* xl. *ad popul. Antioch.* de urbe tunc temporis confertiſſima, in qua primum diſcipuli IESU Chriſtiani vocari cœperunt, hæc habet ad populum. *Quot eſſe putatis in civitate noſtra qui ſalvi fiant? Infeſtum eſt quod dicturus ſum, dicam tamen. Non poſſunt in tot millibus centum inveniri qui ſalventur, quin de his dubito. Quanta enim in iuvenibus, quæſo, malitia? Quantus in ſenibus torpor? Filii curam nemo gerit, nemo zelum habet ut ſenem reſpiciens imitetur. Exemplaria deleta ſunt.* Percurre elapſa ſæcula, etiam tenebroſa, & offendes exemplaria ſanctitatis, viros apoſtolicos, qui zelo, fortitudine, magnanimitate clamabant, tonabant, reſpectu poſito. Multa ne ſimilia nunc exemplaria? *Deleta ne ſunt?* Lege, quæſo, integram hanc Chryſoſtomi homiliam.

VI. S. Gregorius Magnus *hom.* XIX. *in Evangel.* hæc ſcribit. *Sed poſt hæc terribile eſt valde quod ſequitur.* Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. *Quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtivitatem quam multi convenimus; Eccleſiæ parietes implemus: ſed tamen quis ſciat, quam pauci ſunt qui in illo electorum grege numerantur? Ecce enim vox omnium Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus ſequuntur, non moribus.* Lege eumdem *Lib. XXVII. in Iob cap.* XXII. & *Lib. IV. Dialog. cap.* XXXVI.

VII. S. Gregorius Nazianzenus *orat.* XXXIII. hæc inter alia ſcribit. *Quid igitur, cum audis viam unam eſſe, eamque peranguſtam, quid his verbis ſignificari putas? Unam ſane eſſe, ſi virtutem ſpectes: hæc enim unica eſt, licet in multas partes ſecetur: verum anguſtam propter ſudores, & quia non a multis teritur, ſi quidem multitudinem eorum cogites qui contrario itinere per vitium gradiuntur: ita mihi quoque videtur.*

VIII. S. Hieronymus epiſ. ad Celant. *Duas converſationis vias Salvator oſtendit*. . . . Quam, *inquit*, ſpatioſa eſt via quæ ducit ad mortem; & multi ſunt qui intrant

trant per eam! *Et rurſum* : Quam arcta eſt via , & anguſta quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam*! . . . Illa teritur a multis, hæc vix invenitur a paucis. Illa enim vitiis per conſuetudinem, quaſi declivior, & mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum facile ad ſe rapit commeantium multitudinem; hæc vero inſueto calle virtutum, triſtior atque horridior, ab iis tantum eligitur quibus non tam delectatio itineris cordi eſt quam utilitas manſionis.*

IX. S. Nilus Abbas apud Baron. *Tom. X.* ad an. Chriſti *976.* reprehenſus a Theophilacto Calabriæ Metropolita, quod probaret revelationem factam S. Simoni Stylitæ, nempe quod *ex decem millibus vix reperiretur una anima hoc tempore quæ ad manum Angelorum ſanctorum perveniat*, hoc præbet reſponſum . *Si demonſtravero vobis Magnum Baſilium, & Chryſoſtomum, & Ephrem beatiſſimum , & Theodorum Studitam, ſed Apoſtolum ipſum, ſed & ſanctum Evangelium eadem ſentientes , & dicentes; quid patiemini vos, qui inconſulte aperientes ora loquimini , & Spiritui ſancto adverſamini?* Venerabilis Beda in *cap.* xx. *Matth.* ſcribit. *Ad fidem multi veniunt, ad cæleſte regnum pauci perducuntur.*

X. Aliorum Patrum teſtimonia , ut prolixitatem evitem , prætereo. Id indicare ſufficiat, omnes in hanc eamdem concedere doctrinam . Adverſarios precamur ut vel unum S. Eccleſiæ Patrem adferant qui doceat electorum numerum excedere reproborum multitudinem . Numquid dicturi ſunt, ſanctos Eccleſiæ Doctores viam ſalutis, viam cæleſtis Ieruſalem ignoraſſe? Numquid reponent , ſanctos Dei viros in tanto negotio fideles decepiſſe? An ſolitam illam fabulam reducent in ſcenam, ſanctos nempe Eccleſiæ Patres *hyperbolice* locutos eſſe? Iuniores ergo noſtri ſoli ſapiunt, ſoli divinas Scripturas intelligunt, ſoli preſſe & perſpicue ſcribunt, loquuntur, concionantur? Reiiciendi igitur ſunt Patres omnes. Nam omnes ſingulis fere paginis tam arctam eſſe ſalutis viam Chriſto magiſtro præeunte , docent , ut ſalvandorum paucitatem demonſtrent . Ediſſerant nobis . An benignitate probabiliſtica excuſarent a graviſſimo peccato mortali Auguſtinum, Chryſoſtomum , ceteroſque Patres, ſi in hoc graviſſimo negotio exceſſiſſent, exorbitaſſent, exaggeraſſent? Ego ſane me graviſſime, & immaniſſime peccare exiſtimarem, ſi in unico & ſummo negotiorum , vano & minus fundato timore fideles perterrefacerem . Quid? Nos ipſi exilii noſtri calamitates pro arbitrio augebimus? Nos ipſi abſque urgentiſſimis rationum momentis ſalvandorum multitudinem arctabimus? An cauſſam propriam non oramus? An nos ipſi qui ſcribimus, eadem in navi non verſamur? Quis tam inhumanus, ut velit ſibi ſponte compedes ſtringere, & damnationis æternæ pericula exaggerare , multiplicare , & commentitio timore plus æquo ſe ſe configere? Utinam divinæ Scripturæ, & earumdem ſancti interpretes rationes nobis porrigerent minuendi timorem noſtrum æternum pereundi . At vas electionis Paulus Apoſtolus tanto angebatur timore, ut dixerit: *Caſtigo corpus meum, & in*

ſer-

Digitized by Google

ſervitutem redigo; ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar: I. Cor. IX. *Quid faciet agnus, ubi timet & tremit aries?* inquit Auguſtinus.

XI. Auctor ſermonum in *Lib. Reg. Tom. IV. lec.* XXI. contrariam opinionem defendit, nixus commentis, ut mihi videtur, arbitrariis, atque Scripturis, & Patribus oppoſitis. Et quoniam opus iſtud Italica lingua ſcriptum eſt, & rudium manibus teritur; idcirco eiuſdem ſophiſmata diluere operæ pretium duxi. Pauca curſim indicabo. Inquit. I. *Se le divine Scritture ſi ſpieghino fedelmente, e nel ſincero e letterale loro ſenſo, non è vero che reſtringano la ſalute a pochi, come alcuni van dicendo.* Quis non miratur illud, *Non è vero*? Quis non obſtupeſcit ad illud, *Come alcuni van dicendo*? Qui ſunt iſti aliqui muſſitantes? Omnes ad unum Eccleſiæ Patres. Iſti minus fideliter, minus ſincere interpretati ſunt Scripturas ſanctas? Adiicit II. *Generalmente dove le divine Scritture parlano reſtringendo la ſalute a' più pochi, parlano di tutta la maſſa degli uomini, Gentili, Turchi, Ebrei, Sciſmatici, Eretici, e Cattolici.* Quo duce hoc aſſerit? An aliquo ſanctorum Patrum ſponſore? Omnes oppoſitum adfirmant. Allegat S. Bernardum *ſer. de fallac. præſent. vit.* Integrum ſermonem percurri: nec verbulum habet quod falſiſſimæ interpretationi faveat. Precor lectores ut citatum ſermonem legant: & inde colligent, quæ fides in re graviſſima habenda ſit huic, & ſimilibus Scriptoribus. III. Inaudita libertate cavillari Chriſti oraculum ſtudet. *Arcta eſt via* &c. *pauci ſunt* &c. *Matth.* VII. Audi noviſſimum interpretem. *Se Criſto dice, che pochi ſi ſalvano, come poi dice altrove, che ſalvarannoſi molti*? Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum *Matth.* VIII. *Diſtinguete con Criſto medeſimo i tempi, e accorderete i teſti. Parlò Criſto del tempo preſente d'allora; e come allora pochi ſi convertivano, così diſſe, che pochi allora ſi mettevano nella ſtrada della ſalute.* Pauci ſunt qui inveniunt eam. *Non diſſe che ſarebbero ſempre ſtati pochi. Diſſe*, pauci ſunt, *non diſſe*, pauci erunt.

XII. Qua cenſura digna ſit hæc interpretatio, omnibus Patribus, & ipſi litterali evangelico ſenſui hoſtiliter adverſa, ceteri iudicent. Tempore ergo Chriſti arcta via erat, ſecus nunc? De tempore ſuo præſenti Chriſtus loquitur, non de futuro noſtro? An tempus futurum iſtud non eſt? *Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Turcæ ne iſti ſunt, ethnici, & hæretici, *qui quærent intrare, & non poterunt*? Quomodo Chriſtus *cap.* VII. *Matth.* dicit, *Pauci*, cum *cap.* VIII. dicat: *Multi ab oriente* &c. Interpretatio iſthæc Scripturis ſanctis abutitur. Non modo multos eſſe electos, ſed ſtellarum numerum ſuperare, & innumerabilem eſſe eorum multitudinem, iam diſputationis initio dixi. Truncatum exhibet interpres noſter evangelicum, quem obtrudit, textum. Audi, & expaveſce. *Multi ab oriente venient* &c. *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit*

fletus, & ſtridor dentium. IV. Alio interpretamento circumvenit Chriſti oraculum: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. En illius verba. *Dunque il ſenſo di Criſto fu queſto. Molti ſono i predeſtinati; ma quelli, che con maggiore ſpecialità di elezione in vicinanza della morte ſi convertono, in modo che col loro fervore in quel poco tempo uguaglino i meriti di chi lungamente fu giuſto, ſono pochi*. Omnes ergo Catholici prædeſtinati & electi ſunt, quia omnes vocati ſunt? Qui intemeratam virginitatem, qui morum integritatem toto vitæ curſu ſervant, prædeſtinati ſunt. Qui vero e contrario integro annorum curriculo in omni ſcelerum vitiorumque cœno volutantur, & tempore mortis poſt ſuſceptum Viaticum convertuntur, ſpeciali prædilectione electi ſunt? Scilicet, reponit expreſſius interpres. V. *Per nome di vocati, dice qui Salmerone, s' intendono i predeſtinati; per nome di eletti s' intendono coloro che tra i predeſtinati medeſimi ſono favoriti con più ſtraordinaria ſpecialità di elezione; e il ſenſo è queſto. Molti ſono i predeſtinati; ma quelli che ſiano eletti in maniera, che condottiſi anco al VIATICO col peccato mortale, ſenza la veſte della grazia, pur dopo queſto ſi convertano, e abbian perdono, ſon pochi*. Hi ſunt *electi*, qui peccato etiam mortali fœdati ſanctiſſimum Viaticum ſuſcipiunt, & poſt convertuntur? Omnium Patrum teſtimonia uno verbo deludit, inquiens illos loqui de omnibus hominibus hæreticis, ſchiſmaticis, Turcis, & infidelibus. *Santo Agoſtino, e ſanto Anſelmo dicono ſalvarſi pochi; e parlano anch' eſſi col paragone di TUTTI gli uomini*. Hoc interpretamentum eſt manifeſtiſſima facti falſitas. S. Auguſtinus loco ſupra citato apertiſſime de Catholicis loquitur. Alium textum nunc obiter promo ex eodem S. Auguſtino ſerm. XXIII. de verb. Dom. *Intelligamus ergo, cariſſimi, ad omnes nos, ideſt ad univerſam omnino Eccleſiam iſtam pertinere parabolam &c. . . . Sed, ut dicamus vobis quod Deo inſpirante ſentimus, non qualeſcumque animæ, ſed tales animæ, quæ habent catholicam fidem, & habere* (N. B.) *videntur bona opera in Eccleſia Dei: & tamen ex ipſis quinque ſunt prudentes, & quinque fatuæ*. Audiſtin', quod Deo inſpirante docet Auguſtinus? Ex ipſis animabus quæ bona opera habere videntur, quinque ſunt fatuæ. Quid de aliis, quæ luxui, & pompis addictæ, vix chriſtianæ vitæ umbram referunt, dicendum ſit, tute colligito. Lege teſtimonium prolixum S. Auguſtini ſupra reſcriptum, ut manifeſtam reſponſionis falſitatem plenius teneas. Sed in medium iterum erumpat Auguſtinus ipſe ad hæc monſtroſa commenta penitus labefactanda. Arrige ergo aures, lector, intentaſque præbe Auguſtino in *Pſal.* LXXIII. ſub finem ſic redarguente, & increpante novos iſtos interpretes. *Nondum erat exemplum caſus humani, quando dictum eſt Adam: Morte morieris, ſi tetigeris. Et venit de tranſverſo ſerpens, & dixit: Non morte morieris. Creditus eſt ſerpens; contemptus eſt Deus. Tactum eſt vetitum; mortuus eſt homo. Nonne impletum eſt potius quod minatus eſt Deus, quam quod promiſerat inimicus? Sic eſt certe: agnoſcimus hoc: ideo omnes in morte iam vel experti enati ſumus*.

Non

Digitized by Google

Non enim ceſſat ET MODO *ſerpens inſuſurrare & dicere* : NUMQUID VERE DAMNATURUS EST DEUS TANTAS TURBAS? LIBERATURUS EST PAUCOS? *Quid eſt aliud, quam facite contra præceptum, non morte moriemini? Sed quomodo* TUNC, *ſic &* NUNC : *ſi feceris quod ſuggerit diabolus, & contempſeris quæ præcipit Deus, veniet iudicii dies; & invenies verum quod minatus eſt Deus, & falſum quod pollicitus eſt diabolus. Exurge Domine, iudica cauſam meam. Mortuus es, & contemptus es.* Collige hinc, chriſtiane lector, opiniones blandientes & placentes haudquaquam in paradiſo terreſtri finiiſſe, ſed ad nos, non interrupta temporum ſerie, perveniſſe. Quomodo *tunc* ſerpens Evæ blandia & benigna ſuggeſſit, & ſeveritatem divini præcepti delinivit; ita & *nunc*, inquit Auguſtinus, inſuſurrare ſerpens verſutus non ceſſat. Numquid damnaturus eſt Deus tantas fidelium turbas? Numquid electi *pauci* ſunt? *Sed quomodo* TUNC, *ita &* NUNC : *ſi feceris quod ſuggerit diabolus, & contempſeris quod præcipit Deus, invenies verum quod minatus eſt Deus, & falſum quod pollicitus eſt diabolus.* Tam Evangelia, quam Patres Eccleſiam catholicam & agro frumento & zizania, & areæ palea & tritico plenis comparant. Hæretici & infideles omnes extra Eccleſiam catholicam, extra arcam ſunt. VI. Rationum momenta adducit, ut ſuam opinionem evincat. Et primum vix credibile ei videtur quod narrat de civitate Antiochena Chryſoſtomus. *Appena mi rieſce credibile, che in una città coltivata da un Prelato così zelante, così pochi foſſero i giuſti.* Difficile induci potes, mi Pater, ut credas viro docto & gravi? Nonne auctoritas viri docti & gravis opinionem probabilem reddit? Sed loquatur interpres. *Certamente il Santo* (Griſoſtomo) *non così parlerebbe della noſtra città di Bologna, ſe preſentemente dal pergamo aveſſe a favellare con lei. Si dolerebbe, è vero, che molti e molte portino alle pubbliche converſazioni ſuperbia, e alle private diſſolutezza; ma confeſſerebbe che anco nelle ſtanze della converſazione* MOLTE *e* MOLTE *portano ſotto alle veſti di pompa cilicj di penitenza, e colle giaculatorie interne, e col cuore non ſi ſcordano di converſare con Dio.* Sed Chryſoſtomus dulciſſime rogat. Quæſo, mi Pater, maior ne numerus eſt virorum & mulierum quæ ſub ſplendidis veſtibus cilicia lumbis affixa deferant, & corde Deum alloquantur; an illarum quæ intrinſecus concupiſcentia ardent, extrinſecus vero pompas, luxum, ambitionem, faſtum deferentes, oculis, geſtu, lingua mutuum amorem Platonicum ſubtiliſſime negotiantur? Quid Chryſoſtomum interloquentem inducis? reponit interpres VII. *Se lo zelo de' Santi talvolta parla con certe eſagerazioni, voi o peccatori vi adulate, ſe credete che queſte eſpreſſioni ſiano dette con rigore e con* PROPRIETA'. Ignorarunt ergo Eccleſiæ Patres preſſam propriamque loquendi formam? Omnes in ſummo & unico graviſſimo æternæ ſalutis negotio exaggerarunt, & hyperbolicis figuris ſuos auditores, & lectores deceperunt?

XIII. Plura tranſcribere ex præfata lectione omitto: quia ex paucis adductis,

Digitized by Google

veluti ex ungue leonem, colligere plura vales. Dum ex una parte univerſas Scripturas, omnium Sanctorum Patrum voces, paucitatem ſalvandorum inculcantes, audio; dum ex altera lego Auctores, qui Scripturas nullo antiquitatis Doctore ſuffragante tam peregrinis, & ridiculariis interpretamentis nituntur deludere, ut iocari videantur; ſi immotum me negem, mentiar. Omnes Patres hanc tremendiſſimam quæſtionem verſant, omnes ad unum paucitatem prædeſtinatorum inculcant: quia omnes Scripturæ in ſenſu tum litterali, tum figurato id docent. Nihiloſecius homines noviſſimi reperiuntur, qui vaniſſimis & ex arbitrio excogitatis diſtinctiunculis, Scripturarum, & Patrum auctoritatem elidant? qui præfatam opiniunculam lingua vernacula imperito vulgo legendam præbeant? Hæc ſerio meditans cum Chriſto exclamo: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam! Cavete a falſis Prophetis*, qui vident vana, & dulcia pollicentur. His Doctoribus claude, & aperi aures tuas Doctoribus Eccleſiæ, quos ſcimus Dei lumine perfuſos.

§. V.

Rationum momenta quæ ſalvandorum paucitatem evincunt.

I. UNica eſt ſalutis via arcta & anguſta, non pedibus, ſed moribus peragenda. Duplex electorum genus hanc viam calcat. Innocentum unum, pœnitentium alterum. Quot ſunt adultorum qui innocentiam a peccato mortali immaculatam ſervant? Quiſque iudicium ferat. De veris pœnitentibus hæc ſcribit S. Ambroſius Lib. II. de pœnit. cap. x. *Facilius inveni qui innocentiam ſervaverit, quam qui congrue pœnitentiam egerit*. Vel ipſi adverſarii fatentur, maximam Chriſtianorum partem vitam tranſigere ſæpe mortaliter peccando, & ſæpe reſurgendo per pœnitentiam. Sed vera & ſincera pœnitentia rarior eſt innocentia. Ergo legitima conſecutione ſequitur maiorem iſtorum partem perire.

II. Regnum cælorum vim patitur. At ſtatus violentus in paucis eſt permanens, ut experientia patet. Ergo pauci ſunt qui ſalvantur. Quæ enim difficilia ſunt, locum in paucioribus habent. Difficillima autem eſt regni æterni aſſecutio. Ergo pauci illuc perveniunt.

III. Qui ſalvantur, primo exemplari Chriſto Ieſu conformes ſint oportet. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*. At pauci ſunt qui hanc conformitatem & ſimilitudinem præferant. Quoniam, teſte S. Paulo ad Philipp. II. *omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*. Pauci ſunt qui Chriſti humilitatem imitentur: & tamen Chriſtus *Matth.* XVIII. declarat ac definit: *Niſi efficiamini ſicuti parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

IV.

Digitized by Google

IV. Salvandorum characteres, & ſigna Prophetæ deſcribunt. David *Pſal.* XIV. inquirit: *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* Reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam*. Quot ſunt qui iuſtitiam ſectentur? Ieremias *cap.* VI. clamat: *A minore uſque ad maiorem omnes avaritiæ ſtudent*. Neceſſitas urget pauperes ad iuſtitiam violandam.. Ardens divitiarum ſitis impellit divites ad pauperum ſanguinem exprimendum. Quamobrem Chriſtus Dominus *Matth.* XVI. dicit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam divitem intrare in regnum cælorum*. Quoties hanc Chriſti tremendiſſimam ſententiam mente recogito, divitum conditionem deploro, & paucos illorum ſalvos fieri pertimeſco.

V. Experientiam oculis noſtris obviam conſulamus, & inveniemus, quam pauci ſint qui ſigna prædeſtinationis perhibeant. Sed nolo meis verbis hanc deſcriptionem conficere. P. Ludovicus Granatenſis eam nobis exhibet *Tom. III. Lib. I. part.* III. *cap.* XXVII. ubi hæc habet. *Partem eam quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere, & vide, quo loco res Chriſtianorum hoc exulceratiſſimo ſæculo noſtro ſint conſtitutæ: & fateberis in hoc corpore myſtico a planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrorum ſanum reperiri. Cape quamvis ex celebritatibus celebrioribus... diſcurre poſtea per minora oppida, pagos, vicos, & caſtella, & invenies populos, de quibus vere affirmari poteſt illud Ierem.* III. Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, *ideſt vere iuſtum*; & propitius ero ei. *Certe, exceptis paucis, quos niſi Deus relinqueret ut ſemen, quaſi Sodoma eſſemus, vix differt civitas catholica a mahometica, niſi penes ſonitum campanarum.*

VI. Vox populi vox Dei. Porro populi ipſi clamant unanimi fere conſenſu, quotidie Chriſtianos ad peiora declinare, mundum ſeneſcere, & ſeneſcentem nequiorem, fraudulentiorem, ſceleſtioremque fieri. Vociferantur luxum, pompas, avaritiam, faſtum, magnatum tyrannidem, qua mercenariorum ſanguine, mercatorum laboribus luxuriam ſuam alunt. Negotiatorum uſuras, iniuſtitias, advocatorum fraudes & dolos, cauſidicorum vafritiem, iudicum ignorantiam, feminarum impudentiam, artificum inſidias, iuvenum diſſolutionem, omnes una voce exaggerant, lugent, deteſtantur: Paucos eſſe iuſtos, caſtos, benignos, caritate ferventes, ornatos iuſtitia, qui debita ſolvant, qui cuique quæ ſua ſunt reddant, lamentantur. Hæc omnia comperta, publica, explorata. Unde ergo Benigniſtæ maiorem iuſtorum, & Chriſto Sanctiſque ſimilium numerum colligunt? Non ex Scripturis, non ex Patribus, non ex gravioribus Theologis, non ex manifeſta experientia, non ex voce communi fidelium. Unde ergo hanc maiorem electorum multitudinem colligunt? Ex illo intervallo quod poſt ſumptum ſanctiſſimum Viaticum interfluit uſque ad mortem?

VII. Erronea perſuaſio, quæ iam in ipſis animarum Rectoribus inveteravit, de quadam tertia via, quæ nec arcta ſit, per quam ambulant ſancti & vere morati Chriſtiani, quos ſpirituales vocant; nec lata & ſpatioſa, quam calcant ſcelerati & impii; ſed tertia *communis*, per quam incedunt communiter Chriſtiani illi qui omnibus mundi illecebris fruuntur, ter tamen quaterve in annos ſingulos ſacramenta frequentant, immo Oratoria, Congregationes pias adeunt, ſuoſque directores habent per hanc communem viam ducentes. *Nos*, inquiunt, *vitam Apoſtolorum non æmulamur. A ſanctis viris longe nos diſtare fatemur. Sed communem & conſuetam viam illam inſiſtimus quam communiter honeſti Chriſtiani calcant. Quam multi hoc faciunt! Et quis non facit? Numquid omnes perditurus eſt Deus?* Hæc ſunt communia Chriſtianorum præſtigia, quæ toties labefactavit Auguſtinus cum ceteris Patribus. Dementes fuiſſent ſancti Dei homines vano ſe confingentes timore. Cæci fuiſſent, ſi hanc tertiam blandam, benignam, communemque viam ignoraſſent. Meticuloſus fuiſſet Paulus Apoſtolus, vanus fatuuſque illius timor, quo continenter corripiebatur. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Quid times, Paule? tonat Probabiliſmus. Nullum peccatum abſque actuali advertentia. Nihil in te mali advertis: ergo iuſtus es.

VIII. Sed quam turpiter errant qui talia obtrudunt! Ad legem Dei oculos converte. Profeſſio chriſtiana (idem ſemper recurrit argumentum, quia veritas una eſt) non modo adulteria, furta, fornicationes, periuria, fraudes, rapinas, odia, & cetera crimina vetat: quoniam quælibet profeſſio, turcica, ethnica, iudaica, eiuſmodi flagitia execratur: verum etiam bona opera præſcribit. *Declina a malo, & fac bonum*. Iubet ut imitatores ſimus Sanctorum, Chriſti, & Dei: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: ut ſupra demonſtratum eſt, & *Tom. II.* fuſius oſtendetur. Quamvis ergo Chriſtiani maiori ex parte ab eiuſmodi flagitiis abſtinerent, non propterea ſalvi fierent, niſi altius aſſurgerent. Hanc iuſtitiam exteriorem a ſceleribus immunem iactabant Phariſæi, quos Chriſtus obiurgavit. *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt, mundum*: Matth. XXIII. Porro hanc interiorem iuſtitiam, quæ animam Chriſto ſimilem efficit, non aliunde quam ex operibus externis colligere valemus: quia *a fructibus eorum cognoſcetis eos*. Conferas nunc velim celebriores urbes catholicas cum civitatibus catholica fide deſtitutis. Apud cives iſtos ſicuti nulla vera fides, ita nulla vera animi iuſtitia, ſanctitas nulla. Ut autem utriuſque generis civium corda & animas comprehendas, utrorumque ſtudia, ſollicitudines, molimina, conatus expende. An nobiles & potentes catholici temperantiores in ludis, in faſtu, in ambitu? An mercatores noſtri ſinceriores, æquiores, exactiores? An mulieres noſtræ modeſtiores, verecundiores, humiliores? An populi noſtri in templis devotiores, ferventio-

tio-

Digitized by Google

tioreſque? Et ne longius comparationem traham, videbis plus minuſve eadem utriuſque generis hominum ſtudia, ſollicitudines, opera, & conſilia. Ergo a fructibus ſimiles deprehendis. Illi iuſti non ſunt interna iuſtitia. Ergo neque iſti, exceptis paucis, quorum opera extrinſecus diverſa toto cælo apparent. Utriuſque plantæ iidem fructus: ergo eædem interiores radices, idem veneficus ſuccus. Religio exterior dumtaxat diverſa, ſed opera præter propter, ſi paucos excipias, eadem apparent.

IX. Quæ confirmari omnia poſſunt, ſi in id animum intendamus quod eſt cuique proprium. Sanctum eſt, inquit ſæpe Auguſtinus, quod volumus. Quiſque ſuum heroiſmum in eo collocat quod maiorem ſibi parere in hac mundi ſcæna & theatro gloriam famamque poteſt. Quod unuſquiſque cupit, hoc illi Deus eſt, ſubdit alibi Auguſtinus. Et Chriſtus Dominus: *Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*. Avaro pecunia Deus eſt: honorem Dei loco habet ille; iſte contra voluptatem ceu Deum honorat: ille ſcientiarum fama, hic rerum gerendarum dexteritate: alter divitiarum copia, illa venuſtatis ſplendore refulgere ſummo conatu ambiunt. Niſi gratia divinoque præſidio armati in id incumbant, ut hoc amoris proprii, & dominantis philautiæ idolum de ſolio cordis exturbent, in orcum corruunt. Amor iſte princeps cum dominatur in nobis, illo ferimur, inquit Auguſtinus, quocumque ferimur. Si amor iſte divinus eſt, ad cæleſtia & æterna anhelamus, & veluti illuc rapimur, ut dicit Apoſtolus: *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*. Si amor mundanus ſit, æterna faſtidimus, cæleſtia vileſcunt, & terrena dominantur in corde noſtro. Tu nunc iudex eſto, quot ii ſint qui revera pugnant, ut idolum iſtud deſtruant, ut hunc intimum hoſtem perimant, ut hæc præſtigia, & occultiſſimas inſidias diſſipent, & omnia in Dei gloriam referant. Paucos deprehendes victores; plurimos e contrario iſtius idoli ſpectabis adoratores.

X. Si præclarum hunc triumphum differas ad illum ultimum conflictum, quo poſt ſuſceptum ſanctiſſimum Viaticum vita cum morte commutanda eſt, te ſtultum declarat vel ipſe Seneca, nedum ſententia divina. *Mors peccatorum peſſima*: e contrario *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*. Indefinitæ ſententiæ, & regulæ communiter locum habent, & raro deficiunt. Suas exceptiones & appendices admittunt, ne vel iuſti ſuperbiant, & ſine timore vivant; vel peccatores umquam deſperent. Sed Auguſtinus clamat: *Unus eſt, ne deſperes: ſolus eſt, ne præſumas*. Plura dicenda occurrerent contra facilitatem illam funeſtam mortis tempore reſipiſcendi, veramque pœnitentiam agendi. Sed hæc obvia ſunt, & latius ab ipſis Concionatoribus inculcata.

XI. Tandem hoc pacto concludo. Tres, ut, antequam diſputarem, admonui, ſunt de hoc tremendo puncto ſententiæ. Una quæ ſtatuit, incertum eſſe hunc nu-

Digitized by Google

merum. Altera, quæ contra manifeſta Scripturarum, & SS. Patrum teſtimonia defendit, plures ſalvari quam damnari. Tertia vera, quæ docet, adultorum paucos ſalutem conſequi, plures vero æternum perire. Quam mavis, elige. Secunda, quæ indulgentior eſt, non negat plures etiam damnari, ſi plures ſalvantur. Finge parem eſſe numerum electorum, & reproborum, ita ut huic numero applicari poſſit oraculum Chriſti Matth. xxiv. *Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur. Duæ molentes in mola: una aſſumetur, & una relinquetur. Duo in lecto: unus aſſumetur, & unus relinquetur. Vigilate ergo* &c. Manifeſtum ex integro illius capitis contextu eſt, Chriſtum Dominum ibi non comparare numerum electorum cum numero, quem *cap.* vii. explicui, reproborum. Sed diſputationis gratia ponamus æqualem plus minuſve eſſe tum electorum, tum damnatorum numerum. An vel in hac hypotheſi non adeſſet graviſſimum timendi, vigilandi, conandique fundamentum? Si ego vel in templo auditorum pleniſſimo, vel in qualibet Chriſtianorum frequentia & cœtu denuntiarem, non mediam partem, ſed tertiam, vel quartam, vel ſextam partem fore damnandam: nonne omnes timore extremo corriperentur? Nonne omnes experrectiores vigilantioreſque fierent? Et tamen iuxta omnes, quidquid ſit de maiori, aut minori numero, non parva, ſed magna Chriſtianorum pars damnanda aſſeritur.

XII. Urgeo alio ſub aſpectu argumentationem. Percurras velim omnes Catholicorum ſtatus varios. Videbis nobiles maiori ex parte, divites maiori ex parte, mercatores maiori ex parte, mulieres maiori ex parte, advocatos maiori ex parte, iudices, Religioſos, & cuiuſcumque profeſſionis maiori ex parte eamdem præter propter ducere vitam. Ergo fere omnes, ſeu maiori ex parte aut ſalvantur, aut damnantur. Abſurdum autem eſt, Evangelio, Patribus, & Theologis improbatum, quod fere omnes ſalventur. Plures utique in quolibet ſtatu & profeſſione reperies ad Evangelii amuſſim arctamque viam ſuos componere mores. Verum ſi plures iſtos comparabis cum aliis qui viam latam & ſpatioſam percurrunt, colliges, illos eſſe paucos, iſtos plurimos, qui communiter ſic vivunt, ut pereant. Quot ſunt, quæſo, nobiles qui eamdem vitam mollem otio, & ludis diffluentem non ducant? Quot inter mercatores qui mercium vitia ſponte detegant, qui iuſta pretia ſincere exigant, qui emptorum ignorantia, ſi poſſint, non abutantur? Quot inter divites qui augendis divitiis non inhient? Quot inter advocatos qui lites iniuſtas reſpuant, qui eaſdem citius, quoad poſſunt, expediant, qui clientes ſincere moneant ut a lite iniuſta deſiſtant, qui ſedulam navent tractandæ cauſſæ operam? Quot inter mulieres nobiles quæ eamdem veſtitus formam, eaſdem pompas, vanitatem, luxum, & faſtum non oſtentent? Quot inter artifices qui eadem artificia & fraudes in operibus conficiendis non adhibeant? Quot denique ex quolibet cœtu a communi, & quidem corruptiſſima, vivendi forma

Digitized by Google

ma recedunt? Quot flumini moris humani ſeſe opponunt? Pauci. Ergo aut fere omnes ſalvantur, & pauci pereunt; & hoc abſurdum eſt Evangelio repugnans: aut plurimi pereunt, & pauci ſalvantur: quia pauci recedunt a communi vivendi more.

XIII. Faceſſant ergo pſeudoprophetarum blandiloquia, & benigna præſtigia illæ quibus non per ſolam arctam veritatis, ſed etiam per latam & ſpatioſiſſimam falſitatis viam ſe ducturos ad cælum animas ſpondent imperitis. Præter ea omnia quæ indicàvi argumenta, meditare tot artes, tot conſuetudines, tot profeſſiones, quæ abſque ſpecialiſſima gratia vix exerceri abſque peccato valent. Conſidera artifices, qui ſcenas theatrales, qui immodeſtas comicorum, & comicarum feminarum veſtes conficiunt, qui chartas luſorias indiſcriminatim vendunt, qui meretricibus inſerviunt, & domos locant. Conſidera trapezitas, nummularios, advocatos; publicanos, adminiſtratores publici ærarii, & innumera ſimilia miniſteria, quæ peccandi corruptelam fere pro lege habent, ut clamat Cyprianus epiſt. ad Donat. *Conſenſere iura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt.* In fabulis habent divina documenta, quibus illorum redarguimus fraudes, iniuſtitias, & ſcelera, periuria, & innumera maniſeſtiſſima delicta. *Neceſſario iam quaſi licite peccant*, inquit Chryſoſtomus. Et tamen hi omnes aut fere omnes ſuos habent Confeſſarios, ſuos Theologos, ſacramenta ſuſcipiunt, Congregationibus piis, Oratoriis ſacris interſunt, ſuaſque exercent devotiones. Conſidera tandem divites, nobiles, magnates, qui toto vitæ curſu eo ſtudia ſua dirigunt, ut multos ſervitores, ut ſplendidum apparatum, lauta convivia habere valeant. Si ægrotant, nullum non movent lapidem, ut celebriores medicos accerſant, & donec ſalus corporis deſperata non eſt, huc pertinent eorum conatus, ut convaleſcant. Ut animæ conſulant, ut æternæ ſaluti provideant, quilibet vel de trivio Confeſſarius, & Rector ſatis eſt. Alterutrum ergo dicendum: aut obvium, facillimum, communiſſimum omnibus eſt æternæ ſalutis negotium; quod millies Scripturæ ſanctæ negant: aut plures & plurimi in hoc negotio errant, falluntur, damnantur, ut Chriſtus teſtatur. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.*

§. VI.

Magna Sacerdotum pars damnatur.

I. MAior ne, an minor ſit Sacerdotum, Theologorum, Confeſſariorum, & Superiorum damnandorum numerus, quis definire audebit? Arcana hæc ſunt ſoli Deo cognita. Scripturæ ſanctæ, & Patres, qui maiorem ex adultis Catholicis numerum reproborum aſſerunt, maiorem quoque Religioſorum damnandorum numerum inferunt. S. Hieronymus *epiſ. ad Damaſ.* apud Euſebium: *Ecce*

mun-

Digitized by Google

mundus ubique fervet Sacerdotibus : & tamen ſunt rariſſimi Sacerdotes boni , quod è centum bonus reperiatur unus. S. Ioannes Chryſoſtomus hom. III. in Act. Apoſt. *Non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant ; ſed multo plures eſſe qui pereunt*. Plurima ex Auguſtino, & ceteris Patribus reſcribere poſſem; ſed brevitatis cauſſa prætereo; aliqua tamen infra dabo.

II. Rationes ex Scripturis ſanctis hauſtæ magnam Sacerdotum partem reprobam evincunt. Propheta Iſaias *cap.* XXIV. inquit : *Et erit ſicut populus , ſic Sacerdos*. Populi qui maiori in numero pereunt , ut oſtendi , ſuos habent Theologos, Confeſſarios, & directores, quorum ductu contractus ineunt , uſuras perpetrant variis incruſtatas probabilitatibus, miniſteria exercent, malas artes, theatra, comœdias, ludos frequentant ſimul & ſacramenta. De his Sacerdotibus, & Theologis hæc Deus per Ezechielem Prophetam *cap.* XIII. loquitur. *Deceperunt populum meum dicentes, Pax, & non eſt pax. Et ipſe ædificabat parietem , illi autem liniebant eum luto abſque paleis*. Populus parietem pravarum conſuetudinum , falſarum opinionum, & regularum mores dirigentium conſtruunt; Sacerdotes vero, & Prophetæ, ſeu Theologi (pro eodem enim accipiuntur in Scripturis ſanctis) liniunt parietem iſtum. Sed Ezechiel ſubdit: *Deſtruam parietem quem liniſtis abſque temperamento*. Verum ſeverius Theologos iſtos carpit, quod opinionum lenociniis animas capiant, & abſolutionum nimia facilitate falſo vivificantes ad inferna detrudant. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus , & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas : & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis*. Iterum clamat Deus per Oſeam Prophetam cap. IV. *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum : & erit ſicut populus , ſic Sacerdos*. Cur peccata populi comedunt, inquit Chryſoſtomus, niſi quia id agunt, ut temporalia ſtipendia laudum, plauſuum, obſequiorum, & munerum non amittant? Sic apud Iapones, inquit Cornelius a Lapide, Sacerdotes , quos ipſi *Bonzios* vocant, peccata populi comedunt : quia cuilibet ſcelerum impunitatem ſpondent, dummodo largas eis dent oblationes.

III. Tandem advertas velim, in veteri teſtamento Prophetarum mendacium , adulantium , & palpantium numerum longe maiorem fuiſſe numero Prophetarum Domini. Ex plurimis Scripturarum teſtimoniis unum promo ex *III. Reg. cap.* XVIII. ubi hæc habentur. *Et ait rurſus Elias ad populum : Ego remanſi Propheta Domini ſolus ; Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri ſunt*. Et iterum *cap.* XIX. adeo exiguus erat numerus filiorum Iſrael, qui genua non curvabant ante Baal, ut ſeptem millia non excederet. *Et dereliquam mihi in Iſrael ſeptem millia*

viro-

Digitized by Google

virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal. Ceteri Iſraelitæ, ingentem conflantes numerum, magnam habebant Prophetarum copiam, quorum doctrinis decepti genua flectebant idolo Baal. Illud etiam ſummopere advertendum, numquam aut fere numquam Dominum redarguiſſe ſuos veros Prophetas, quod nimium aſperas, & æquo rigidiores doctrinas prædicarent, quod crudeli *Rigoriſmo* populum perterrefacerent. E contrario continenter invectus eſt adverſus falſos & nimium benignos Prophetas, quod dulcia, quod benigna, quod ſuavia evulgarent, quod opinionum lenociniis, quod blandiloquentia palparent populum, & ſanctiſſimam legem accommodarent eorum appetitionibus. Heinc evidenter conſequitur, longe maiorem in veteri teſtamento fuiſſe numerum Prophetarum & Sacerdotum reproborum quam numerum electorum.

IV. Chriſtus Dominus in Evangelio *Matth.* xv. redarguens Theologos, & Doctores Eccleſiæ Iudaicæ, eos cæcos vocat, & duces cæcorum. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Audi S. Auguſtinum *Lib. de Paſtor. cap.* x. ſic loquentem. *Terret non ſolum cæcum ducentem, ſed & cæcum ſequentem. Neque enim ait: Cadit in foveam ducens, & non cadit ſequens: ſed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt*. Catholici adulti maiori in numero cæci ſunt. Ergo maior quoque eſt numerus cæcorum qui eoſdem in ſalutis negotio docent, inſtruunt, dirigunt. Univerſæ Scripturæ, Patres, & Concilia clamant, populi chriſtiani ruinam a Sacerdotio proficiſci. Iſti ſunt eccleſiaſticæ navis gubernatores: iſti catholici cæli aſtra, & luminaria: iſti gregis evangelici magiſtri & paſtores. Ergo ſi navis ad ſcopulos allidit, gubernatores imperiti ſunt naufragii cauſſa: ſi virginis Eccleſiæ facies tenebroſa, ſi obſcuratum eſt aurum optimum, ſi lapides Sanctuarii diſperſi ſunt, ſi aſtra non fulgent, ſi greges veneficis herbis paſcuntur, & pereunt; ex paſtorum culpa, imperitia, & graviſſima omiſſione proficiſcitur malum.

V. Mente tecum reputa, quot ſint Confeſſarii, Paſtores, & Rectores animarum ad tam ſublime munus electi. Quot dignitatem iudicandi animas anhelant hebetes, inepti, ut artem quamdam & profeſſionem, unde ſibi, non ſecus ac alii artifices, panem comparent, aut viam ſibi parent ad gradus ſuæ Eccleſiæ occupandos? Alii ignorantes omnino Scripturarum ſanctarum ſola, notitia quorumdam caſuum; alii ut auram popularem captent, & ſeſe numeroſa populi frequentia circumdatos conſpiciant; alii quadam politica, vel a natura inſita, vel aliquo humano reſpectu acquiſita inſtructi Rectores fiunt animarum.

VI. Quid de ſimplicibus Sacerdotibus dicendum, qui veſtem ſacram induunt, vel ut corporis labores declinent, & habeant unde abſque vultus ſudore panem comedant, vel ut familiæ onera & expenſas minuant, vel ut liberius otio, ludis, diverticulis, & oblectamentis indulgeant. Vitam ſolemni ritu Deo litarunt, & operibus

Digitized by Google

peribus mundo totam conſecrant. Quot ex iſtis electi, ſpiritu Dei acti, ſi ſpiritu Dei vocati non ſunt?

VII. Si ultimum cœtum Clauſtralium ſpectemus, non maior apparebit electorum numerus. In ſacroſanctis Evangeliis nullus de Religioſis clauſtralibus peculiaris ſermo. Verum plurima ſunt quæ, cum Chriſtianos omnes comprehendant, potiori iure ad Religioſos pertinent. Univerſalis doctrina evangelica, quæ intonat, ſatis minime eſſe a malo, a vitiis, a ſceleribus declinare, ſed bonum agendum, & de virtute in virtutem proficiendum, Religioſos præcipue ſpectat. Rogo te ut ſerio mediteris parabolas *Matth.* xxv. de ſervo pigro & oſcitante, & *Luc.* xix. de arbore ſterili fructus non edente, & de ſeminibus *Matth.* xiii. & de pecunia non expoſita ad menſam, & de talentis ſepultis.. Seminum, & talentorum nomine omnia ſive naturæ, ſive gratiæ, ſive doctrinæ, ſive ſanitatis corporalis, ſive cuiuſque habilitatis dona veniunt. Porro, *cum augentur dona*, ſeu talenta, *creſcunt rationes donorum*: inquit S. Gregorius.

VIII. In his parabolis evangelicis ſermo non eſt de peccato veniali, aut de imperfectione morali, ſed de æterna damnatione, de gravi peccato. Servum quippe pigrum otioſa talenta ſervantem proiicit Deus in tenebras exteriores. Arborem non ferentem fructus, abſcindi, & flammis tradi iubet Deus. Terra ſterilis, & infructifera, reproba eſt, & ea ſolum bona quæ fert fructus in patientia. Præterea non alia mala præferunt divinæ iſtæ parabolæ, niſi otium, torporem, ignaviam, deſidiam. Numquid votorum, aut præceptorum violationes, otium, torporem, ignaviam, negligentiam vocabis?

IX. Pauca ex ſanctis Patribus promam. S. Auguſtinus *ſerm.* 111. ſic alloquitur ſanctos Epiſcopos. *Auditis in Evangelio & bonorum ſervorum meritum, & pœnam malorum: & malitia tota illius ſervi reprobati, graviterque damnati iſta fuit, quia noluit erogare, ſervavit ad integrum quod accepit: ſed Dominus eius lucra quærebat.* Religioſorum quiſque expendat, num virtutem quam tempore profeſſionis habuit, auxerit, num fervor ardentior ſit, num profectus talento, aut talentis acceptis reſpondeat.

X. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* xxv. *in Matth.* inquit: *Vides quomodo non ſolum rapaces, & qui aliena invadunt, nec ſolum malefactores; verum etiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur ſupplicio. Audiamus ergo hæc verba, & donec tempus habemus, noſtram amplectamur ſalutem. Amplificemus talentum. Si enim in pigritia, & otio vivimus, nullius noſtri, etiam flentium, ibi miſerebitur . . . Et qui talentum accepiſſet, etſi depoſitum reddidit, condemnatus eſt tamen.*

XI. S. Hieronymus in *cap.* xxv. *Matth.* damnationem ſervi deſcribens ait: *Quod putaverat ſe pro excuſatione dixiſſe, in culpam propriam vertitur. Servus autem malus appellatur, quia calumniam Domino fecit; piger, quia noluit duplicare: & in alte-*

Digitized by Google

altero ſuperbiæ, in altero negligentiæ condemnatur. Plurima alia hoc de argumento ſcribit epiſ. ad Demetriad. *Dicta nobis paullo ante ſententia eſt. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: & blandimur nobis, ſi malis fructibus non gravemur, qui damnandi ſumus, ſi a bonis ſteriles manſerimus? Iuxta hanc intelligentiam abſcindet Pater omnem palmitem non ferentem fructum in Filio; & qui acceptum talentum in ſudario abſcondit, quaſi inutilis ſervus, & nequam damnatur a Domino. Nec minuiſſe ſolum, ſed & non auxiſſe culpabile eſt.*

XII. Præter Patrum, & ſanctarum Scripturarum teſtimonia, S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CXVXIII. *art.* I. robuſtiſſimam rationem porrigit. Quæſtionem inſtituit de puſillanimitate, quam peccatum eſse definit, inquiens: *Omne illud quod contrariatur naturali inclinationi, eſt peccatum, quia contrariatur legi naturæ. Ineſt autem unicuique rei naturalis inclinatio ad exequendam actionem commenſuratam ſuæ potentiæ, ut patet in omnibus rebus naturalibus tam animatis, quam inanimatis*. Ut profundam ac ſolidiſſimam rationem teneas, cogita quæ mala ſequerentur, & quæ univerſi perturbationes, ſi ignis non calefaceret, ſi aqua non madefaceret, ſi Sol non luceret, & aſtra curſum non perficerent, ſi calor naturalis in homine otioſus eſſet, nihilque operaretur iuxta commenſurationem ſuæ virtutis. Mundus naturalis continuo præceps corrueret. Idem accidit in mundo morali, & ſpirituali, inquit Angelicus Doctor, ſi virtutes, & dona data ſterilia ſint & otioſa. *Sicut autem* (perſequitur S. Thomas) *per præſumptionem aliquis excedit proportionem ſuæ potentiæ, dum nititur ad maiora quam poſſit; ita etiam puſillanimus deficit a proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in id tendere quod eſt ſuæ potentiæ commenſuratum. Et ideo ſicut præſumptio eſt peccatum, ita & puſillanimitas. Et inde eſt quod ſervus qui acceptam pecuniam Domini ſui fodit in terram, nec eſt operatus ex ea propter quemdam puſillanimitatis timorem, punitur a Domino, ut habetur Matth.* XXV. *& Luc.* XIX.

XIII. Ad iſtius angelicæ doctrinæ amuſſim revoca tot & tot Religioſorum qui talentorum copia a Deo donati ſunt, vitam, conatus, & molimina. Et in primis illud eſt perpendendum, puſillanimitatem vix loco vitii a pluribus haberi. Quin non raro puſillanimes cauti, prudentes, maturique iudicii reputantur. Videbis multos iactare ſe plura habere talenta; vitio tamen ſibi minime vertunt iiſdem abuti. Memoria ſe carere plures ſponte confitentur; vix unus acumine ingenioque ſe deſtitutum aſſerit. Abſit ut aliquem retuſo hebetique ingenio hominem pronunties. Excandeſcit, ſeque iniuria affectum reputat. Quod vero hæc talenta, quibus ſe præditos gloriantur, prodegerint, prodigantque in dies, quod in ſudario abſconderint, ſub terra ſepulta tenuerint, pauciſſimi ſibi vitio vertunt. Porro quot Religioſi ingenio atque acumine pollent? Ubinam profectus? Ubi congruum lucrum? Peccant iſti contra naturæ legem, inquit S. Thomas, qui non operantur

iuxta

Digitized by Google

iuxta *commenſurationem ſuæ potentiæ*. Peccant contra donatorem divinum, qui ad negotiandum talenta tradidit. Et propter hoc peccatum ſervum pigrum damnavit Deus. Peccant vero iſti contra propriam profeſſionem, vi cuius talenta ſua in animarum ſalutem, in bonum publicum, in Eccleſiæ utilitatem negotiari aſtringuntur. Religiones quæ *activæ* nuncupantur, inſtitutæ ſunt, ut excolendæ Domini vineæ deſudent. In hunc finem fidelium eleemoſynis & patrimonio aluntur. Religionum enim omnium reditus ſunt piorum fidelium oblationes in hunc finem conſecratæ Deo, ut Religioſi viri ab omni temporali ſollicitudine immunes, totos ſeſe occupent in Chriſtianorum ſalute curanda. Hæc omnia luculenta ſunt, & obvia. Vide porro, an pauci Religioſi ſint qui ingenio & acumine abutantur ad paſcendam curioſitatem, ſaturandamque mentis libidinem? An talentis non abutuntur illi qui in lectitandis libris tempus inſumunt, nullo præter vanam, ſterilemque eruditionem, ſibi præſtituto fine? Comparantur iſti meretricibus, quæ, cum numquam pariant, ſemper vegetæ, venuſtæ, & aptæ ſunt ad alliciendos, & faſcinandos homines, veneremque exercendam. Similiter iſti viciſſitudines temporum, bellorum, & humanorum eventuum ſeriem inveſtigant, & ut propriam expleant curioſitatis, qua abripiuntur, ſitim, & ut in promptu habeant quo ſe eruditulos & venuſtulos aliis præbeant, notitiaſque conquiſitas in tempore ad auram captandam, quemadmodum meretrices, divendant. Quare puſillanimitate, deſidia, & curioſitate victi tempus terunt, & talenta prodigunt. Si de quolibet verbo otioſo reddenda ratio Deo eſt, quid de vita otioſa? Quid de tanto tempore inutiliter inſumpto? Quid? Otio non vacant, quia legunt, ſcribuntve? In quem finem? In proximorum ſalutem? In Eccleſiæ utilitatem? Lectiones iſtæ, ſcriptioneſque ſteriles ſunt, aridæ ſunt, plantæ ſunt abſque fructibus, præcidendæ, flammiſque tradendæ, ut minantur evangelicæ parabolæ. Audi S. Thomam Aquinatem explicantem præfatas parabolas in *Catena* vere *aurea*. *Talentum quippe in terra abſcondere, eſt acceptum ingenium in terrenis actibus implicare*, nempe aut in ſæculi negotiis, aut in vano ſterilique litterarum ſtudio, & curioſa rerum inveſtigatione. Levandi animi, & recreationis cauſſa præfatis indulgent? At ſermo nunc haud eſt de his qui poſt improbam talentorum negotiationem aut in animarum directione, aut in ſtudio ad proximorum ſalutem, & publicum Eccleſiæ bonum, iucunda & erudita lectione animum aliquando recreant. Sed illorum nunc miſerandam lugemus conditionem qui concionibus, miſſionibus, confeſſionibus audiendis, ſcriptiſque in publicum bonum neglectis, vanis in ſtudiis tempus inſumunt, prodigunt, dilapidant. Iſtos tremendæ ſententiæ latæ a Chriſto in ſervum pigrum obnoxios eſſe, ſentire nos urgent & parabolæ evangelicæ, & Patrum teſtimonia, & Angelici Doctoris rationes.

XIV. Quid quod S. Thomas evincit, iſtos non ſolum culparum puſillanimita-

tis, deſidiæ, otiique, verum etiam ſuperbiæ reos eſſe? Puſillanimitatis & deſidiæ fontes dicuntur, quatenus coercere curioſitatem, excutere otium, ſuſtinere labores, tædia, & incommoda, quæ exercitatio propriæ virtutis, ingenii, & talentorum applicatio parit, recuſant. Superbiæ rei ſunt, quod ſe impares reputant ad ea peragenda quæ reipſa præſtare diligenti talentorum uſu valent. Tribus aut quatuor præditi ſunt talentis. Sed quoniam ea parere quæ illos edere vident qui quinque talenta, aut ſex, aut decem acceperunt; & æque ac illos refulgere in mundi theatro nequeunt, animos deſpondent, otio torpent, & tum puſillanimitatis, tum ſuperbiæ captivi evadunt, duplici ſupplicio puniendi. Audi S. Thomam cit. quæſt. CXXXIII. art. I. ad 3. *Dicendum, quod etiam puſillanimitas aliquo modo ex ſuperbia poteſt oriri, dum ſcilicet aliquis nimis proprio ſenſui innititur, quo reputat ſe inſufficientem ad ea reſpectu quorum ſufficientiam habet. Unde dicitur Proverb.* XXVI. Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. *Nihil enim prohibet quod ſe quantum ad aliqua deiiciat, & quantum ad alia ſe in ſublime erigat.* Pauci, an multi ſunt pigri iſti ſapientiores, qui, cum ipſi nihil agant, moroſi & tetrici cenſores ſunt, omnia vellicant, carpunt, faſtidiunt, contemnunt? Paucis nunc totam Angelici doctrinam perſtringo. Sicut univerſus mundi naturalis ordo pervertitur, quando virtutes & facultates creaturis inſitæ ab Auctore naturæ, ſteriles fiunt, & proprium munus non exercent; ſic univerſa Reſpublica ſpiritualis & moralis conturbatur, evertitur, confunditur, quoties homines pro diverſitate talentorum, profeſſionum, & officiorum ſuas non explent partes, & dona a Deo accepta in bonum proprium, & publicum exercenda, otioſa & ſepulta tenent.

XV. Quid de aliis innumeris Religioſis dicam, qui cum in humili ſtatione collocati a divina providentia ſint, uno talento accepto, apti ſunt ad inferiora miniſteria, ad inſerviendum aliis, adiuvandiſque in evangelica negotiatione, puſillanimitate, ſuperbiaque & ipſi affecti, otio diffluunt? Sicuti in mercatura alii vendunt, alii emunt, alii ſcribunt, alii tranſcribunt; ſic in hoc ſpirituali negotio alii docere, alii audire, hi mente, illi corpore, hi ſcribere, alii tranſcribere iuxta talentorum diverſitatem debent, ſi pigri ſervi pœnam declinare cupiunt. Quæſo, obteſtorque iſtos, & omnes, ut continenter ob oculos habeant parabolam Luc. XIX. *Vocatis autem decem ſervis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio . . . Venit autem primus dicens: Domine mna tua decem mnas acquiſivit.* &c. *& alter venit dicens: Domine, ecce mna tua quam habui, repoſitam in ſudario: timui enim te, quia homo auſterus es.* Servus iſte *Rigoriſmi*, & *Auſteriſmi* dominum accuſabat, quod pecuniæ ad negotiationem traditæ proventum exigeret. Mirum propterea haud erit, ſi mihi quoque non pauci *Rigoriſmi* notam ſint inuſturi, propterea quod hanc Chriſti IESU doctrinam ſane formidandam inculcem, altiuſ-

tiuſque exaggerem. Negotiatio, mercatura, ſtudium poſtulat induſtriam, applicationem, indefeſſum laborem, propoſitum proficiendi, lucrandi, & amplificandi facultates. Ergo qui hoc ſtudio, applicatione, & induſtria carent, non negotiantur. *Negotiamini, dum venio*. Audiſtin'? Non ſat eſt negotiatio; ſed negotiatio continua uſque ad Domini adventum neceſſaria eſt. *Negotiamini dum venio*.

§. VII.

Alia rationum momenta quæ plurium Religioſorum cuiuſque profeſſionis & diſciplinæ damnationem timendam oſtendunt.

I. OMiſſionis peccata ſunt quæ magis latent, & plus nocent. Non alia niſi omiſſionis crimina in tremendo iudicio exprobraturus Deus eſt præſcitis. *Diſcedite a me . . . . qui non dediſtis* &c. *non collegiſtis* &c. *non ſuſcepiſtis* &c. In quolibet bene inſtituto tribunali graviora ſcelera improperari reis ſolent, ut iudicium magis ſplendeat. Cum itaque in formidando ultimo tribunali ſolæ omiſſiones obiiciendæ ſint, graviſſima iſtas malitia plenas eſſe oportet ob ingentem beneficiorum collationem. Sed ultra pergamus.

II. In quolibet genere bonum vel exceſſu, vel defectu corrumpitur. Et nimio calore, & defectu caloris homo phyſice perit. Similiter in genere moris. Peccamus verbis ſuperfluis, & otioſis, ſilentium neceſſarium non ſervantes: & ſilentii tranſgreſſionem vix nobis vitio vertimus. Peccamus non loquendo, cum opus fuerit. *Væ mihi, quia tacui*: inquit Iſaias. Et S. Auguſtinus *Lib. de Paſtor. cap. ix.* clamat: *Quid eſt, fratres? Videtis, quam ſit tacere periculoſum?* Et pauci de ſilentio obſervato ob vanos politicoſque reſpectus ſe accuſant.

III. Titulus ſervitutis malitiam omiſſionis, inertiæ, & torporis patefacit. Servus pravus eſt, tametſi dominum non offendat, nec ei quidquam ſurripiat, dum vacat & oſcitatur. Nos peculiari titulo ſervi Dei appellamur. Ergo iniqui ſervi ſumus, quoties deſides & oſcitantes ſumus; licet poſitiva crimina non perpetremus. Si Fratres laici ad laborem profeſſi corpore non laborarent, pravi eſſent. Ergo pravi ſumus omnes, dum mentis induſtria, & virtutis ſtudio non operamur, non proficimus: & hoc ſolum communi ſervitutis iure. Quid quod empti ſumus pretio magno? Infinitum iſtud emptionis pretium, quo nos a diaboli captivitate redemit Dominus noſter, indefeſſam ſerviendi, & operandi vigilantiam declarat. Ergo minime tantæ ſervitutis debito ſatisfacimus; tametſi a peccatis, ab offenſis in Dominum abſtineamus, niſi negotiemur, niſi ſedulo famulemur, niſi amplificare vivum a Domino acceptum ſtudeamus.

IV. Accedit quod validiſſimi hoſtes ab hoc vigili & ſedulo famulatu nos abdu-

cere

Digitized by Google

cere tentant. Devicta carne, & ſanguine, eſt nobis ſumma colluctatio adverſus ſpiritales nequitias, quæ diu noctuque circuunt, ut nos devorent. Inſuſurrat & nobis ſerpens, & ſibilat: *Nequaquam moriemini*: ſive torporem & ſegnitiem noſtram mortalem non eſſe, ſed ad ſummum venialem . . . Et interim, dum tepide remiſſeque vivimus, ſenſim ſine ſenſu victas manus hoſti damus, & a Domini famulatu recedimus. Emptionis noſtræ pretium ſemper habere ante oculos debemus, ſi ſtrenue ſervire Domino emptori, & fortiter reſiſtere inimico ſeductori velimus. Audi S. Hieronymum epiſt. VIII. de ſcient. divin. leg. *Non eſtis veſtri, ſcribit Apoſtolus*. Empti enim eſtis pretio magno . . . . *Clementer Spiritus ſanctus noſtro iure nos convenit, ſciens hoc in uſu publico apud omnes homines cuſtodiri, ut tanto ſervus in opere domini eſſet cautior, quanto maiore peculio eſſet comparatus; ut intelligamus quam ſtrenui debeant eſſe in opere domini, qui cum ſciant pro pretio ſuo ſanguinem Chriſti datum, alteri qui nihil præſtitit, magis præbeant ſervitutem*.

V. Alterum præſtigium, quo faſcinati plures Religioſi in damnationis periculo verſantur, diluendum eſt. Religioſos debere ſub gravi culpa ad perfectionem in caritate ſitam tendere, docet S. Thomas cum omnibus Patribus. Quam veritatem nunc extra controverſiam poſitam conſtituo, non probo. Aliqui fundamentum hoc quatere pertentant. Aſtringimur, inquiunt, ad perfectionem ſub gravi culpa tria ſervando vota. Neque aliunde quam ex votis hæc gravis obligatio inhiandi perfectioni manare poteſt; cum regulæ ſeu conſtitutiones ad gravem culpam non obligent. Ergo tria vota ſi ſervemus, debitam aſſecuti perfectionem ſumus. Intempeſtiva foret horum confutatio inſtituto præſenti. Curſim indicabo aliqua. Confundunt iſti media cum fine. Tria vota inſtrumenta & media ſunt altius aſſurgendi, rebuſque divinis vacandi. Singula percurramus vota. Caſtitatem nos vovere docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXXXVI. ut a ſollicitudine, curis, & illecebris ſoluti liberius divinis rebus operam demus. Non ideo ergo vovemus caſtitatem, ut illam tantum ſervemus, ibique ſiſtamus, ſed ut medium altius aſcendendi. Quamobrem probat *I. Part. quæſt.* XCVIII. *art.* 2. *ad* 3. non fuiſſe in ſtatu innocentiæ laudabilem virginitatem, & continentiam, quia defuiſſet libido. Similiter relictis omnibus non vovemus paupertatem, ut finem ſervandæ paupertatis (hoc enim & Crates fecit Philoſophoſus) ſed ut Chriſti veſtigia premamus. Neque tandem obedientiam ſpondemus, ut homini pareamus; ſed ut ſub illo in Chriſti palæſtra proficiamus, & hominis cæleſtis imaginem ſplendidius exprimamus. Voveo, inquis, caſtitatem, ut hanc perdifficilem arduamque virtutem ſervem. Si integre ſervavero, voto ſatisfeci. Falleris, inquit S. Thomas *loc. cit. art.* 4. Caſtitatem voviſti, non ut rem arduam ſervares; ſed ut hoc freno coercita concupiſcentia, expeditius Deo inſervires: quia caſtitas medium eſt opportunum ad hunc finem.

VI. Heinc colliges quam pernicioſa ſit plurium doctrina, aſſerentium, poſſe Religioſos ſola vota ſervantes implere profeſſionem ſuam, tametſi deliberate nolint regulam, & conſtitutiones ad culpam non obligantes ſervare: quam opinionem ſane falſiſſimam & exitioſiſſimam profligavi in *Diſcipl. Apoſtolico-Monaſtic. Part. II. diſſ.* 1. Pauca nunc curſim indico. Voviſti caſtitatem: ergo ſtudium perfectionis neceſſarium eſt ſaltem ut periculum talis voti violandi declines. Aſtringeris ergo frequentare preces, ſilentium, ieiunia, temperantiam, ſenſuum cuſtodiam, modeſtiam, & alia quæ regula, & leges præſcribunt. Cavillantur aliqui hanc doctrinam, diſtinguentes periculum probabile, magis probabile, minus probabile: & ſicuti opiniones minus probabiles amplectuntur ut ſuaves; ita hæc pericula probabilia ut dulcia deglutiunt, & variis fucis eadem depingunt ut ſpecioſa. Sed hæc faſcinia paucis explodo. Ipſis fatentibus adverſariis, obſervatio ſive virginitatis, ſive caſtitatis perardua & valde difficilis eſt. Conſtat hoc tum ex effreni concupiſcentia, tum manifeſta experientia. Porro ea eſt rerum difficilium & arduarum natura ut in paucis & raro contingant. Raro contingit matres filios odiſſe, intemperantes ſobrios eſſe, pigros aſſiduos in labore. Caſtitas itaque cum abſolute ſpectata, ardua & difficillima ſit, deficit in pluribus, & contingit in paucioribus. Veritas hæc evidens & certa eſt, quam, præter innumera argumenta, evincunt & S. Pauli colaphizationes, & ſaxa Hieronymi, & Benedicti vepres, & Franciſci nives, & Martiniani undæ, & millena alia Sanctorum exempla. Ergo omnes voventes caſtitatem obligationem gravem contrahunt devitandi eiuſdem violationis periculum. Periculum autem iſtud ſolo perfectionis ſtudio, nempe exacta obſervantia ſilentii, ieiuniorum, temperantiæ, orationis, & aliorum quæ regula & leges præſcribunt, declinatur. Multiplicas, inquis, onera, & animas opprimis. Sic argutantur ſophiſtæ imperiti, qui putant faciliorem & ſuaviorem efficere Dei legem, ſi ea ſubtrahant ſine quibus vix obſervari caſtitas & caritas valent. Faciliora ſunt, inquit celeberrimus, & eloquentiſſimus Ludovicus Granatenſis *conc. de dilect. inimicor.* hæc duo, feminam non aſpicere, & non concupiſcere, quam aſpicere, & non concupiſcere; ſicut facilius avibus eſt integris quam truncatis alis volare. Difficilius igitur eſt caſtitatem ſolam quam iunctam alteri oneri navandi perfectioni, cuſtodire. Ergo obligatio ad utrumque quid facilius, non difficilius imponit. Hæc duo onera numerum, non ferendi difficultatem, multiplicant; ut pluribus demonſtrare exemplis poſſem, niſi alibi, ubi oraculum evangelicum, *Iugum meum ſuave eſt*, explicui, præſtitiſſem.

VII. Inſiſtunt, facilius fore, ſi aſſeratur, caſtitati ex voto, perfectioni ex libertate operam navandam. Argutatio iſthæc duplici pede claudicat. Copulata hæc duo diximus, quæ coniuncta curſum perficiunt, ſeiuncta pereunt. Neque ſeparatio, neque coniunctio a noſtris pendet opiniunculis; ſed quod eorum natura exigit,

Digitized by Google

git, declarari a nobis debet. Libere perfectioni inhianti nullum obligationis onus imponit; reſiſtentem pigrumque aſtringit & impellit. Perarduam difficillimamque caſtitatem ſe ſolam ſpectatam, & aliarum conſtitutionum præſidio deſtitutam, fatemur omnes. Res perardua & valde difficilis, ut dixi, in paucis locum habet, in plurimis deficit. Conſidera hominum multitudinem voventium, & non voventium caſtitatem. Paucos qui conſiſtant, plurimos qui cadant, offendes. Votum naturam, inclinationes, concupiſcentiam non mutat. Eadem remanent pericula. Ergo aut ea adiicienda ſunt quæ pericula removent, nempe aliarum legum, quas recenſuimus, obſervantiæ; aut, periculis conſiſtentibus, frequentiores lapſus erunt. Vota tria communia ſunt Religionibus quibuslibet, & ſunt veluti genus ad ſpecies varias, quæ legum diverſitate differunt. Qui neglectis legibus vota ſervanda inculcant, conſiſtere ſine ſpecie genus contendunt, & Religioſos aereos, commentitios, ac imaginarios efficiunt.

VIII. Duo alia vota obedientiæ, & paupertatis, quoniam confinia præſtituta, ut caſtitas, non habent, tantam hodie latitudine gaudent, quantam excogitare varia hominum ingenia, pravarum opinionum labe fœdata, potuere. Tria edidi volumina adverſus excogitata commenta in paupertatis votum. Quantum iſtius obſervantia vel in ipſis exactioris diſciplinæ Religionibus floreat, experientia teſtatur. Plura hic dicenda occurrerent, quæ prætereo. Non eſt ſane cuiquam blandiendum, quod in ſeveriore Religione reperiatur, niſi Chriſti, & Apoſtolorum paupertatis ſpiritum imitari pro virili conetur. Plurimum confidere in ieiuniis, in veſtitus aſperitate, in ſolitudine, in ſilentio, in chori frequentia, ceteriſque ſacris operibus poteſt. Verum quanti hæc omnia facienda ſint, niſi Dei ſpiritu vivificentur, quiſque iudicet. Si exteriora hæc opera omnia cum laboribus conferantur quos perferunt mundani homines cuiuſque ſtatus, minoris profecto ponderis invenientur. Non commemorabo militum, agricolarum, baiulorum, artificum, mercatorum, pauperum calamitates, miſerias, vigilias, famem, ſitim, ſudores, viciſſitudines. Uxoratos divites, nobileſque, quos feliciores reputas, tibi ob animum propone: matrimonii vinculum indiſſolubile, caſtitas coniugalis inter corruptiſſimi ſæculi præſtigia illecebraſque facilior ſane non eſt caſtitate virginali. Quid ſi coniugati diſparis genii, & inclinationis ſint: illa infirma, hic robuſtus; mæſtus iſte, hilaris hæc? Expende filiorum educationem, filiarum proviſionem, familiæ onera, ſtatus conſervationem, ſervorum ſtipendia, miniſtrorum infidelitatem, patrimonii aut augendi, aut præſervandi induſtriam, æmulorum inſidias, inimicorum calumnias, infortunia quæ paſſim occurrunt, viciſſitudines quæ facultates abſorbent, & ſexcenta alia, quæ omnes Religioſorum auſteritates longe ſuperant. Vides vestium pompas, apparatus ſplendidos, currus refulgentes, convivia lauta. At ſub hoc ſplendore latitant curæ, anguſtiæ, ſollicitudines, cor-

Digitized by Google

dis animique anxietates, angores, & amaritudines incredibiles, quas tu non conſideras. Ab his omnibus, & mille aliis liberi nos ſumus. Parcus eſt Religioſorum victus; ſed ad campanulæ ſonitum ſemper eſt paratus. Rigida veſtis, interruptus ſomnus, anguſta habitatio; ſed nulla cogitatio. Curæ, ſollicitudines, egeſtates a nobis exulant, & flagella non appropinquant tabernaculo noſtro, niſi nos ipſi ſponte illa conquiramus. Tranquillitas animi, cordis quies, hilaritas, pax ſunt vel in hoc mundo hereditas noſtra. Porro niſi recenſitis mundi ſarcinis, & iugo graviſſimo ſoluti, ſimus in ſtadio velociores ad obtinendum bravium, niſi ſanctitatis exemplo mundo præluceamus, niſi conſtantes ſimus in iis perferendis quæ exilii conditio ſecum defert, niſi ardens caritas vivificet auſteritates noſtras, quæ in earum conſpectu quas mundani patiuntur, leviſſimæ ſunt; unde æternam ſperare coronam licet?

IX. Plurimos infinitæ Dei miſericordiæ beneficio, divinæque gratiæ uberrima vi in omnibus ſacris Ordinibus conſpicimus ſpiritu Dei actos, fervore caritatis ſuccenſos, paupertatis ſeveros cultores, caſtitate integerrimos, obedientia præclaros, ieiuniorum obſervatores exactos, & in via Domini proficientes, atque in dies altius aſſurgentes. Verum enim vero plures quoque reperiri tepore, deſidia, otio, languore diffluentes, nemo inficias ire audebit. Suaviſſimum profeſſionis ſuæ iugum ſuſtinent potius quam deferant: non excutiunt, quia nequeunt: ieiunia ſervant, ſed delicias, cum poſſunt, venantur: chorum frequentant corpore, ſed animus alio vagatur: ſacrificia offerunt, ſed fervore carent. An iſtorum numerus priorem numerum ſuperet, inconſultus & temerarius eſſem, ſi definirem.

X. Sed pauca ex Bernardo, & Auguſtino promam, quibus ad evangelicæ perfectionis ſtudium, damnationemque vitandam excitem, urgeamque. S. Bernardus *epiſ.* ccliv. plurima hoc de argumento ſcribit. Pauca delibabo. *Ubi ergo ſunt qui dicere ſolent: Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quam patres noſtri? O Monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere quo perveni; nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſæculo? Et certe de homine ſpecialiter dictum eſt*: Fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. *Ipſe denique hominis ſæculique auctor, quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, numquid ſtetit? Et quidem, teſte Scriptura*, pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes. *Pertranſiit ergo, ſicut non infructuoſe, ita non remiſſe, non pigre, non lento greſſu; ſed, quemadmodum item de eo ſcriptum eſt*, exultavit ut gigas ad currendam viam. *Porro currentem non apprehendit qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideo Paulus aiebat*: Sic currite, ut comprehendatis. *Ibi tu, Chriſtiane, fige tui curſus profectuſque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam*. Factus eſt,

eſt, *inquit*, obediens uſque ad mortem. *Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes. Brav um Chriſtus eſt. Quod ſi illo currente tu gradum ſiſtis; non Chriſto appropias, ſed te magis elongas: timendumque tibi eſt quod ait David*: Ecce qui elongant ſe a te, Domine, peribunt. *Itaque ſi proficere currere eſt; ubi proficere, ibi & currere deſinis: ubi vero non currere, ibi & deficere incipis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere, nonniſi deficere eſt.*

XI. Reſpondent, doctrinam S. Bernardi intelligendam eſſe non *formaliter*, ſed *conſecutive*, & *diſpoſitive*, quatenus peccata venialia omiſſionis contingunt, quæ nullum gradum gratiæ ſubtrahunt: ideo qui non currunt, formaliter iidem manent. Hæ ſunt novæ Theologiæ *Caramuelicæ*, ſeu probabiliſticæ ſcita & documenta, quæ ſicut Ethicen chriſtianam, ita monaſticam perfectionem peſſumdant. Ignoranter ergo, & falſo S. Bernardus dixit, quod non proficere ſit deficere? Monachorum nemo ignoravit, omiſſionem inhiandi perfectioni, & currendi ad illam, eſſe peccatum veniale. Bernardus, ut eoſdem a torpore excitaret, Scripturis ſanctis adductis probat, deficere a via ſancta illos qui non proficiunt. Acuti iuniores non pauci bilances ſuas ſemper in manibus habent, ut ponderent gradus aut malitiæ, aut fervoris, & teporis. Bilances iſtæ doloſæ ſunt, & ineptiſſimæ ad gradus hos diſcernendos, quos humana mens ignorat. S. Auguſtinus, ut iſtos ſophiſtas confundat, exemplum adducit de puero, qui a pueritia ad iuventutem, a iuventute ad adoleſcentiam, ab adoleſcentia ad virilitatem, a virilitate ad ſenectutem pergit. Gradus iſtius tranſitus diſtinguere neſcimus; ſicuti ignoramus gradus quibus incipientes ad proficientes, & proficientes ad perfectos tranſeunt. Nemo dicere valet: Hoc momento puer deſiit eſſe puer, iuvenis deſiit eſſe iuvenis. Effectus videmus, ſed eos ſecernere non licet. Porro ſicut in vita corporali qui nolunt ſe reficere, & proficere, profecto obeunt, quin gradus caloris naturalis deficientis diſcernere valeamus; ita quoque in vita ſpirituali, qui vires ſpiritus perfectionis ſtudio non inſtaurant, pereunt. Delicientur adverſarii in ſuis nugis *formaliter*, *conſecutive*, *diſpoſitive*, efficiantque ut his vaniſſimis argutiis Monachi non comedant, non bibant, ſimulque non deficiant, ac pereant: & tum ſuadebunt, Religioſos renuentes proficere in via Domini, non defecturos, neque perdendos. Vita corporalis, qualitatum ſeu humorum contraria pugna quotidie conflictatur; & ideo quotidie refectione indiget. Theologia Scripturarum, Sanctorumque omnium eſt, ut vidimus in *diſſert.* naturam noſtram infirmiſſimam eſſe, undique vulneribus laceratam, extinctas non eſſe arbitrii vires, ſed magnopere extenuatas, & concupiſcentiæ rebellionem adeo prævalere, ut captivum ſub eiuſdem tyrannide ſe pronuntiaverit Paulus: *Captivantem me ſub lege peccati*. Ergo ſicuti moritur qui cibo non inſtaurat vires cor-

Digitized by Google

porales; ſic perit qui in hac ſpirituali militia, in qua tot vaferrimi hoſtes & domeſtici, & extranei nobis inſidiantur ad mortem, non pugnat, non certat, non currit poſt Chriſtum, uſquedum illum comprehendat. *Sic currite, ut comprehendatis*. Memento, gratiam actualem, & virtutes nutrimentum animæ eſſe, quemadmodum panis alimentum corporis eſt. At panis non te nutrit, niſi mandas, niſi comedas, deglutiaſque. Similiter Deus ordinaria lege iuxta applicationis menſuram gratiam ſuam maiorem & minorem diſtribuit & dividit. Memento parabolæ evangelicæ. *Omni habenti dabitur, & non habenti*, ſeu non negotianti, *& quod habet, auferetur ab eo*. Recordare tepidorum vomitum inculcatum a Ioanne. Audi Auguſtinum in Pſalm. lxix. *Quantumcumque profecerimus, nemo dicat, Sufficit mihi. Qui dixerit, remanſit in via, non novit pervenire. Ubi dixit, Sufficit, ibi hæſit. Attende Apoſtolum, cui non ſufficit. Vide quomodo ſe vult adiuvari, donec perveniat. Fratres, inquit, ego non arbitror me comprehendiſſe; ne illi ſibi viderentur comprehendiſſe, quibus rurſus dicit: Qui ſe putat aliquid ſcire, nondum ſcit quemadmodum oporteat eum ſcire.*

XII. Hæc eſt doctrina Scripturarum, & Sanctorum, tremenda quidem ſenſibus, carni & ſanguini contraria, quæ timorem excitat, lacrymas exprimit, fervorem accendit, & fortitudinem ad currendum in ſtadio confirmat. In hanc animum intendito. Averte oculos a Theologia nova pruriente ſenſibus, a nugis caſuiſticis, quæ te tepidum & ſegnem reddunt in via Dei, & te beatum dicunt, & ſecuritatem ſpondent, ut ſubdit *ibidem* S. Auguſtinus. *Confundantur qui dicunt tibi, Euge, euge. Confundaris inter illos & tu, quia tu tibi dicis: Euge euge*. Et paullo ante ibi: *Plus perſequitur lingua adulatoris quam manus interfectoris.*

XIII. Poſt tot exaggerata pericula, poſt tot timendi momenta, nullum ne remedium dabimus, quo & pericula evadamus, & proficiamus? Iam fuſe hoc remedium expoſui ſupra. Quodnam iſtud? Lectio Scripturarum ſanctarum. Quodnam aliud? Lectio Scripturarum ſanctarum. Quodnam tertium? Lectio Scripturarum ſanctarum. Audi Ioannem Trithemium, qui ſcripſit an. 1493. ſæculo tenebroſiſſimo. Trithemius alloquitur Monachos non adeo eruditos, nec doctos; tamen pro inſtructione vitæ monaſticæ ad Scripturas ſanctas eos mittit. Sic enim loquitur homil. IV. *Divinas igitur Scripturas, fratres mei, ſæpius legite, per quas poteſtis contra inſidias diaboli fortiſſime vos armare. Nam ſi iuxta Apoſtolum Paulum Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia; qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, & ſapientiam: & Chriſtum quomodo ſciet? Ignorantia enim Scripturarum ignorantia eſt Chriſti: & qui neſcit Chriſtum, ad eius non pertinebit conſortium, ſancto dicente Chriſtophilo* (I. Cor. XIV.) *quoniam ſi quis ignorat, certe & ignorabitur. Quanto autem quis in ſtudio divinarum*

Scri-

Digitized by Google

Scripturarum magis aſſiduus fuerit, tantum ex earum lectione maiorem intelligentiam & dulcitudinem capiet. Vos autem maxime decet, fratres, divinas Scripturas quotidie diſcendo revolvere . . . . . Idcirco vos hortor, & moneo, ſi veſtram ſalutem diligitis, ut divinas lectiones in manibus ſemper habeatis, quatenus omne tempus quod vobis poſt orationis cultum ſine labore permittitur, ad ſacræ Scripturæ ſtudium expendatur. Non prætereat dies ulla, fratres mei, in qua Monachus Chriſto militans non aliquid legat ex ſacris voluminibus, quod eum in ſancto propoſito faciat meliorem. Quin potius divi Hieronymi ſequatur conſilium dicentis: Sint Scripturæ ſemper in manibus divinæ, & iugiter mente volvantur: nec tibi ſufficere putes mandata Dei memoriæ recondere, niſi ſtudeas illa etiam operibus adimplere. Si Trithemius adeo neceſſarium reputavit ſanctarum Scripturarum ſtudium Monachis vitam ſolitariam degentibus; quanto impenſius in hoc ſtudium incumbere Religioſi debent qui non contemplativam tantum, ſed activam etiam vitam profitentur. Hi reformandis Chriſtianorum moribus, qua ſacramentorum adminiſtratione, qua concionibus habendis, qua libris moralibus ſcribendis, qua dictanda e cathedris & gymnaſiis doctrina ſedulam navare operam debent.

§. VIII.

Epiſcopi antequam ad ſacerdotium, & ad confeſſiones admittant Religioſos, eoſdem ſuper Evangeliorum notitia examinare debent.

I. IN ſanctarum Scripturarum ſtudium omnes incumbere qui apti ſunt, aſtrictos oſtendimus omni argumentorum genere. Ad profeſſionem vero Sacerdotum omnium hoc potiſſimum attinet, ut ipſæ divinæ Scripturæ clamant. *In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Levitas, & Sacerdotes . . . . præcepitque eis dicens . . . . Ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum.* II. Paralip. cap. XIX. Nemo mihi vitio vertat, ſi parergon iſtud huic diſſertationi, occaſione arrepta, inſeram. Clerici itaque ad ſacros Ordines non promoventur, niſi proprium patrimonium habeant, ut expediti a terrenis negotiis vacare legis ſanctæ ſtudio valeant, ut *loc. cit. cap.* XXXI. Scriptura ipſa divina docet. *Præcepit etiam populo habitantium Ieruſalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut poſſent vacare legi Domini.* Innumera ſunt divina teſtimonia, quæ hanc Sacerdotum omnium obligationem evincunt. Iſti ſunt legis ſanctæ cuſtodes, prædicatores. An hi docere legem fideles valent, ſi ipſi eam ignorant? An Parochi, an Confeſſores Chriſtianorum vitam reformare ad Evangelii prototypum valent, niſi

Digitized by Google

ipſi Evangelii imaginem expreſſam habeant, niſi ſpiritum Evangelii calleant? Exploratum itaque eſt, ut iam demonſtravi ſupra, Sacerdotes præcipue, & gravius Confeſſarios, Theologos, & Concionatores in ſanctarum Scripturarum ſtudium incumbere ſingulariter debere.

II. Quæ cum ita ſe habeant, ſuper notitia harum Scripturarum examinandi ab Epiſcopis ſunt Sacerdotes, maxime dum ad confeſſiones, ad regimen animarum admittuntur. Ingenia Sacerdotes torquent, antequam ad confeſſiones, ad animarum curam accedant, ut ingentia volumina Dianæ, Bonacinæ, Tamburini, La-Croix, aliorumve revolvant. Dubitationum, quæſtionum, diſtinctionum, ſubdiſtinctionum farraginem memoriæ mandant. Alphabetaria, Bertualdum, Bertachinum, Compendia Dianæ, Bonacinæ, Tamburini, Rotarii, & aliorum perdiſcunt, ut examen ante Epiſcopos ſubeundum felicius doctiuſque ſuſtineant. Ecquid? Morem ne iſtum damnabis? Minime. Aio tamen: Sacerdotes iſti Phariſæorum more, neglectis Scripturis ſanctis, hominum opiniones diſcunt. Verum æternus animarum Paſtor Chriſtus Dominus, non ad tribunal Caſuiſtarum, ſed ad Evangeliorum tribunal doctrinas, & opera noſtra ſeveriſſimo examine expendet. At numquid diſcere memoriter Confeſſarii, Parochi, Theologi Evangelium debent? Quid, ſi adfirmanter reſponderem, ſi ſubſtantiam ſpectes, & ſpiritum evangelicæ doctrinæ? Ingentia Bonacinæ, Dianæ, Tamburini, La-Croix, Sporer, Salmanticenſium volumina revolvunt, præcipuas controverſias ediſcunt, innumeras diſtinctiunculas, quæſtiunculas, definitiones, & diviſiones improbo labore memoriæ mandant. Sacer Evangeliorum, & Epiſtolarum, Eccleſiaſtici, Proverbiorum, Sapientiæ codex longe inferior eſt codice Dianæo, Tamburiniano, La-Croſiano, aliiſque caſuiſticis voluminibus. Iſtius ſacri codicis doctrina, quæ mores fidemque ſpectat, perſpicua, ſimplex, ſplendida, pervia, facillima. Imaginem ſanctitatis vividis coloribus refert, & mores chriſtianos ſimplici nitidoque ſtilo exponit. Contra volumina plurium Caſuiſtarum maiori ex parte contentioſa, litigioſa, rixoſa, pugnantia, difficilia, arida, quæ frequenter non repræſentant, ſed implicant, obſcurant, confundunt vitæ chriſtianæ exemplar divinum. Ergo, ſi hæc volumina diſcunt, facilius ſacrum codicem apprehendere valent.

III. Epiſcopi igitur in Confeſſariorum, Parochorum, & etiam Sacerdotum ordinatione debent per ſuos examinatores ſuper Scripturarum notitia illos interrogare, eorumque de his ſcientiam inveſtigare. Utique moderatione, prudentia, & maturo iudicio opus eſt in tali experimento. Clerici interrogentur exempli gratia, quot ſunt Pauli Epiſtolæ, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ. Illi ſuper parabolis evangelicis; iſti ſuper epiſtolam Pauli ad Titum &c. Sacerdotes interrogari debent, quis ſit evangelicæ legis ſpiritus, qualis imago chriſtianæ vitæ, quæ do-

Digitized by Google

documenta contineat epiſtola S. Pauli ad Timotheum. Non de arcanis, non de punctis chronologicis, neque de difficultatibus quarum notitia neque ad fidem, neque ad mores pertinet, examinentur; ſed de iis quæ fidem, & mores formant, & de fœdere morum cum fide. Scita illa divina Eccleſiaſtici, & Proverbiorum plus mentem illuminant quam omnes diſtinctiunculæ, finitiones, notioneſque quibus redundant volumina ingentia quæ diu noctuque revolvunt. Documenta evangelica de arcta via peragranda, de lata vitanda, de ſalvandorum paucitate, & damnandorum multitudine, de caritate univerſam legem comprehendente, tanto perfundunt lumine mentes noſtras, ut heinc facillime ars regendarum animarum, & caſuum in dies occurrentium reſolutiones apprehendantur. Hac ſanctarum Scripturarum notitia imbuti Sacerdotes, & Confeſſarii, legere quoque morales Auctores poſſunt: quia tum facillime diſcernere valent, num illorum opiniones & deciſiones ſint doctrinæ evangelicæ conformes. Quemadmodum enim aurum falſum a vero per contactum ad lydium lapidem diſtinguitur; ita opiniones falſæ a veris per reductionem ad ſanctam legem ſecernuntur. Plura ſunt in Moraliſtis de Eccleſiæ præceptis, & de iure poſitivo humano. Verum quia Eccleſia ſemper præcepta ſua, & ſanctiones ordinat ad maiorem divinæ legis obſervantiam, immo ex ipſis divinis Scripturis, & Traditione haurire omnia ſolet; ideo Scripturarum ſtudium ad omnia utile eſt. Non improbo itaque abſolute Caſuiſtarum lectionem; ſed dico, magna cum cautione legi illos debere. Plura ordinata ſunt ab Eccleſia circa ſacramentorum adminiſtrationem, quæ ſciri debent. Sed hæc omnia & Tridentinum Concilium, & eiuſdem Catechiſmus perſpicue exponunt, non pauci vero Caſuiſtæ verborum pugnis, & inutilium quæſtionum farragine involvunt.

IV. Aerem verberas, inquiunt, dum a tot annis obtinentem conſuetudinem evellere contendis. Examinatores, & Confeſſarii a tot annis ſolos Moraliſtas revolvunt, hanc viam hactenus calcarunt. Subeundus improbus labor eſſet, & novum arripiendum iter, ut chriſtianæ doctrinæ ſinceram imaginem ſibi ex Evangeliis, aliiſque ſacris codicibus formarent. Verum habet. At neceſſarium ne ſtudium eſt ſanctarum Scripturarum, an ſecus, potiſſimum Sacerdotibus, Theologis, & Confeſſariis? Si negas; Scripturas divinas inficiaris. Si adfirmes; ergo corrigenda conſuetudo, quæ ſane nova eſt, & tredecim ſæculorum mori contraria. Si potiſſimum Sacerdotes, Confeſſarii, & Theologi Scripturis ſanctis non ſtudent, laici ne illis operam dabunt? Porro ſi Sacerdotum, Confeſſariorum, & Theologorum profeſſioni annexum eſt Scripturarum ſtudium: ergo ſuper hoc ſtudio examinandi ab Epiſcopis ſunt; ſicut quilibet artifex, & profeſſor de iis interrogatur quæ ad profeſſionem eius attinent.

V. Sed quot Sacerdotes, quot Confeſſarii Scripturam ſanctam legunt? Non le-

Digitized by Google

legunt, quia non intelligunt. Ergo indigni Sacerdotis, Confeſſarii, & Theologi gradu ſunt. Sed intelligunt ſpinoſos, & ſophiſticos tot Moraliſtarum libros. Ergo potiori iure Scripturas ſanctas apprehendent, ſi corde mundo, ſi humilitate, ſi precibus, & ardenti veritatis cognoſcendæ deſiderio acceſſerint. *Si quis autem veſtrum* (inquit S. Iacobus cap. I.) *indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.*

VI. Verum cuinam in mentem veniſſet, litterarum tuarum, Chriſte IESU, faſtidioſos homines, quibus eaſdem ſcripſiſti, futuros? Si litteras Principum, Regum, Imperatorum ad ſe ſcriptas quis haberet, qua diligentia eaſdem cuſtodiret? Qua attentione eaſdem legeret? Omnibus hominibus epiſtolas ſanctas ſcripſit Deus; illarum depoſitum cuſtodiendum Sacerdotibus præcipue commendavit: & iſtorum plurimi ſanctiſſimis his epiſtolis ad ſe a Deo Scriptorum divinorum calamo datis, neglectis, glandibus & quiſquiliis delectantur? Hoc ſane videtur tremendum illud ſupplicium quod per Prophetam Amos minatur Deus cap. VIII. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini . . . . Circuibunt quærentes verbum Domini.* Faſtidium iſtud Scripturarum ſimile illi eſt quo Hebræi nauſeabant manna illud quod e cælo illis pluebat: cupiebantque e contrario cæpas AEgyptiorum.

VII. Tandem, ut luculentius pateat onus iſtud examinandi Sacerdotes ſuper Scripturis ſanctis, antequam ad Sacerdotium admittantur, verba in medium proferam quæ Epiſcopus pronuntiat, dum ſacrum Ordinem illis confert. Sic quippe Deum orat: *Ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, doceant.* Diu itaque noctuque meditari Sacerdotes debent Scripturas ſanctas. Exploratum ergo certumque Epiſcopis eſſe debet, Sacerdotes in Scripturis ſanctis verſatos eſſe. Ergo illorum eſt, periculum facere, num reipſa illis ſtuduerint. Quomodo enim diu noctuque meditari Scripturas ſanctas valent, ſi eaſdem ignorent? Quot Sacerdotes ad examen accedunt qui Scripturas ſanctas legerint? Quid, ſi eiſdem carerent? Qualis culpa ſit iſtius examinis omiſſio, definire nolo. Dum Eccleſia ſurripuit idiotis verſiones vulgares, ſimul iuſſit ut Sacerdotes, ut Parochi divinas Scripturas explanarent. Ergo ex mente Eccleſiæ ad hoc ſtudium obſtricti Sacerdotes ſunt.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Confeſſarii, Concionatores, & Theologi tum voce, tum ſcriptis altius inculcare debent evangelicæ legis ſpiritum, ſeveritatem, & electorum paucitatem, omni humano timore ſpreto. Radix corruptæ Moralis, & plurimorum damnationis eſt nimia de divina miſericordia confidentia.

I. Legiſſe me memini, quemdam Hiſpaniarum Monarcham hoc pacto allocutum eſſe Concionatorem vere apoſtolicum, qui Aulicorum mores reformaverat, feminaſque ad pompas deteſtandas induxerat. Innumeri Concionatores, o Pater, inquit Rex, totis lateribus & voce elata declamarunt integris Quadrageſimis contra vanitatem, luxum, nuditatem, impudentiam, & ſcandala mulierum aulicarum; at illorum declamationes fruſtraneæ. Semen divini verbi cecidit inter ſpinas. Nulla reformatio, fructus nullus. Tu, o Pater, nec verbum adverſus tantam corruptelam pronuntiaſti; nihilominus luxus abiit, diſperierunt pompæ, & faſtus, abſcondita & operta nuditas, reformati mores, modeſtia, verecundia, morum ſanctitas hanc meam aulam illuſtrant. Ediſſere, o Pater, hoc arcanum, & occultiſſimam ſimulque uberrimam tuæ prædicationis vim, quæ tam prodigioſam peperit meſſem. Finge, o Rex, vaſtam in hac tua aula plantam, profundis radicibus, vaſtiſque ramis inſtructam, & ſpiſſis frondibus ornatam. Si quis hanc plantam foliis exuere, ſingulatim eadem colligendo vellet, cum ultimum decerperet, iam ex altera parte, unde collecta prima fuiſſent, rurſus erumperent folia nova. Verum ſi uno ictu radicem recidas, continuo areſcit planta. Ego, o Rex, contra folia falcem non extendi, ſed contra radicem. AEternitatis tremendiſſimum arcanum, inferni atrociſſima tormenta, iudicii divini formidandam ſeveritatem, mortis ſingulis momentis vitam obſidentis punctum, & cetera religionis noſtræ graviora myſteria, eo quo potui ferventiore zelo, & uberiori eloquentiæ ſacræ vi repræſentare, auditorum corda emollire, rerum terrenarum ardorem extinguere, & divini amoris flammas accendere ſtudui: & continuo vanitatis, luxus, pomparum folia ſeipſis diſperiere. Nunc arcanum teneo, repoſuit Rex.

II. Ex narrata hiſtoria infero, Concionatores, Confeſſarios, Theologos debere in primis altius inculcare evangelicæ legis ſpiritum, chriſtianæ vitæ imaginem conformem imagini Chriſti IESU, & electorum paucitatem reproborumque multitudinem. Et eo gravius eſt Concionatorum, Confeſſariorum, & Theologorum moralium hæc chriſtianæ vitæ, & paucitatis electorum capita exaggerandi onus,

quo

Digitized by Google

quo magis hac noſtra ætate Chriſtiani falſam evangelicæ legis ideam ſibi effinxere. Graſſantur corruptelæ, illecebræ, ſolatia, Paganorum mores & vitia in catholico orbe triumphant. Et, quod extremum malorum eſt, Confeſſarii ac Theologi plurimi honeſtant & fucant non ſcelera ipſa, ſed eas illecebras, ludos, comœdias, comeſſationes, & corruptelas quæ morali quadam neceſſitate ad ipſa horrenda flagitia compellunt. Percurre omnium Catholicorum ſtatus, & ordines, atque tecum ſerio reputa, quot iuxta prudentem exiſtimationem & maturum iudicium ſint electi. Ne vitio, amabo te, mihi vertas, ſi curſim hoc punctum refricem. Quot inter pauperes, ut ab infimo cœtu initium capiam, humiles, patientes, & ſpiritu pauperes? *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Quot inter artifices ſinceri, ingenui? Quot inter mercatores, advocatos, iudices, qui ſitiant iuſtitiam? *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Plures ne ſunt qui hanc iuſtitiam ſitiant, quam qui eam nauſeent; faſtidiantque? Quot inter Nobiles, Magnates, & poteſtates ſupremas, qui carnem ſuam crucifigant cum vitiis, & peccatis? Quot ſunt inter feminas verecundæ, pudicæ, humiles, modeſtæ? Quid de divitibus dicam? *Divites difficile intrabunt in regnum cælorum.* Difficilia autem, ut diximus, in paucioribus eveniunt. Sed audi interpretationem graviſſimam S. Auguſtini Quæſt. Evang. Lib. I. quæſt. VI. *Quod ait Dominus, divitem non intrare in regnum, & diſcipuli dicunt: Quis poteſt ſalvus fieri? cum pauci ſint divites in comparatione multitudinis pauperum, ita intelligendum eſt, quod omnes qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadverterint.* In divitiis malum non eſt, ſed in affectu inordinato. Beati ergo ſunt qui ſpiritu pauperes ſunt, non qui re, cum iſti plurimi ſint. Porro cum pauperes ſpiritu pauci ſint, heinc eſt quod diſcipuli perterrefacti exclamarunt: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Quoniam quot ſunt qui magno & improbo labore non ſatagant diteſcere, & quidem maiori illo quo ſatagunt acquirere regnum cælorum? Ne ſinas te ab univerſalis fere conſuetudinis depravatæ torrente abripi. Audi vel ipſum *Senecam*, qui initio *Lib. de vit. beat.* hæc ſcribit. *Nulla res nos maioribus malis implicat quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorum exempla multa ſunt; nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliorum ſupra alios ruentium. Quod in ſtrage hominum evenit, cum ipſe ſe populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in ſe attrahat. Primi exitio ſequentibus ſunt . . . . Nemo ſibi tantum errat, ſed aliis erroris cauſſa, & auctor eſt. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum unuſquiſque mavult credere quam iudicare, numquam de vita iudicatur, ſemper creditur: verſatque nos, & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis. Sanabimur, ſi modo ſeparemur a cœtu . . . Non eſt quod mihi illud . . . reſpondeas: Hæc maior pars eſſe videtur. Ideo enim peior;*

Digitized by Google

ior. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum; & quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit.

III. Hæc ſola ethnici Philoſophi doctrina ſummo pudore ſuffundere illos deberet qui communem latamque viam multitudinis exemplo percurrunt, atque defendunt. Exurgite ergo viri fratres, clamat Paulus, qui Senecæ tempore vivebat: induite armaturam Dei, & adverſus Chriſtianorum turbam, qui a Scripturis divinis deflectunt, vocem exaltate veſtram. Altius inculcate arctam ſalutis viam, electorum eam percurrentium paucitatem. Nolite multitudinis ſatyras, improperia, & perſecutiones timere. Quoniam hæc omnia characteres ſunt electorum. Humanos reſpectus, Magnatum favorem, multitudinis plauſum, & mundanos honores pro nihilo ducite. Audite iterum aurea verba S. Caroli Borromæi in orat. ad II. Concil. Mediol. *Ecquæ nobis utilitas exiſtet, ſi iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quadam indulgentia conciliemus? Audiamus Paulum clamantem:* Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Diſſipat autem Deus oſſa eorum qui hominibus placent, *inquit Propheta. Proponamus nobis ob oculos libertatem illam ſpiritus & virtutem qua armati patres noſtri Apoſtoli, qua muniti Martyres, qua inſtructi ſanctiſſimi homines Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius .... qua affecti alii religioſi viri, apoſtolico quodam animorum ardore, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quaſi tribunitiis fracti, nec debilitati pro Dei gloria, pro gregis commiſſi ſalute, adhibuerunt illam quaſi cenſoriam virtutem acerrimam peccatorum vindicem. Eorum fere exemplo adducti, nos quoque apoſtolica illa conſtantia, & evangelica virtute, qua una nihil eſt in eccleſiaſticis Paſtoribus illuſtrius, nihil magis neceſſarium, ſine metu, & conſtanter certe agamus ... quod Evangelium docet, quod Chriſtus iubet, quod ratio præcipit, quod gregis ſalus, quod Eccleſiæ auctoritas dignitaſque poſtulat. Nam ſi contra a nobis fiat, in formidoloſo Dei iudicio, cum animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ ſunt, rationem ſumus reddituri, tum aliorum nos accuſantium vociferationes, & irati iudicis nos item acerbe obiurgantis eas voces audiemus: Si ſpeculatores eratis, cur cæci? Si paſtores, cur gregem vobis commiſſum errare permiſiſtis? Si ſal terræ, quomodo evanuiſtis? Si lux eratis, cur ſedentibus in tenebris & umbra mortis non illuxiſtis? Si Apoſtoli, cur apoſtolica virtute non uſi cuncta egiſtis ad hominum oculos? Si os Domini, cur muti? Si vos huic muneri impares eſſe ſentiebatis, cur tam ambitioſi? Si pares, cur tam deſides, tam negligentes? Nihil vos Prophetarum voces, nihil Evangelii leges, nihil Apoſtolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil labentis Eccleſiæ ſtatus, nihil hic formidoloſus iudicii dies, nihil præmia, nihil ſupplicia, æternique cruciatus moverunt?*

IV.

Digitized by Google

IV. Perpendas, lector, velim, quot nunc Concionatores, Confeſſarii, Theologi, Parochi, Epiſcopi hac animi fortitudine muniti ſint; quot divino zelo flagrantes, qui elata voce intrepidoque pectore prævalentes opiniones laxas improbent, & labefactare ſtudeant. Non pauci ſat ſibi feciſſe arbitrantur, ſi ipſi oppoſitum ſentiant, & operentur. Hæc omnia quæ narravi, manifeſta experientia teſtatur, inquit P. Michael Elizalde ſapientiſſimus Ieſuita *Lib. VI. quæſt.* VI. ubi hæc habet. *Nobis etiam tacentibus ipſa facta loquuntur. Raro quippe negatur abſolutio ad pœnitentiæ tribunal accedentibus: conſilia pro conſultantium affectu ſæpe contraria dantur; & pauci repulſam patiuntur.*

V. Inter plures radices corruptæ chriſtianæ Ethices, & damnationis plurimorum prima & potiſſima eſt nimia de miſericordia divina confidentia. Hac falſa & commentitia divinæ miſericordiæ imagine imbuti in primis Caſuiſtarum plures arctam Dei viam amplificare opinionum blanditiis ſtudent, continenter vociferantes: *Iugum meum ſuave eſt*. Hac quoque erronea perſuaſione præoccupati Chriſtiani in vitiorum cœno volutantur, ſemper inclamantes: *Miſericordia Domini plena eſt terra*. Quodlibet Dei attributum infinitum eſt, & immenſum. Infinita potentia, infinita bonitas, infinita iuſtitia, infinita miſericordia eſt. At in quo ſita miſericordia hæc ſit, videndum eſt. Miſericordia hæc peccatores ſincere contritos, Deumque timentes, qui a peccatis, quoad fieri poteſt, abſtinent, ſinu ſuo complectitur: *Miſericordia Domini ſuper timentes eum*; minime vero ſuper contemnentes eum. Qui timent ergo Deum, in eo ſperent. At numquid Deum timent qui aut manifeſtis flagitiis illum offendunt, aut illas illecebras vanaſque conſuetudines quæ ad Dei offenſas viam aperiunt, proſequuntur? Decipiuntur funeſtum in modum Caſuiſtæ, qui ideo miſericordes ſe reputant, quia ſanctam Dei legem laxare, eamque aptare humanis ſenſibus curant. Recogitent oraculum divinum: *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes, & commovit illos, quaſi fluctus maris .... Peccator tranſgrediens mandatum Domini incidet in promiſſionem nequam*. Omnes Chriſtiani qui in inferno torquentur, communiter in hac divina miſericordia falſo confidebant, & pauci deſperatione perierunt; immo ideo in deſperationem inciderunt plures, quia nimium in divina miſericordia confidebant. Et hæc eſt diaboli aſtutia. Primum homines ad peccandum allicit, & pertrahit, ſpe immoderata veniæ facillime obtinendæ. Poſtquam vero illos in vitiorum ſentinam impulit, deſperationis laqueo eoſdem ſtringit. Communiter peccatores nimium de miſericordia præſumunt: ſæpe pœnitentes plus æquo de miſericordia diffidunt. Miſericordiam & iuſtitiam meditari ſimul debemus, & iſtius duplicis attributi meditatione coercere præſumptionem, & ſpem firmare. Omnibus miſericordia placet; ſed mundus Dei iuſtitiam communiter ignorat. *Pater iuſte, mundus te non cognovit*. Agnoſcunt Deum homines omnipotentem, optimum, clementem; at iuſtum illum aut neſciunt, aut neſcire volunt.

VI.

VI. Pauca delibo ex celebri *epiſt.* I. S. Paulini ad Celantiam nobilem matronam poſtulantem certam ex Scripturis ſanctis vivendi formam. Cui poſt multa hæc altius inculcat. *Quam ſpatioſa via quæ ducit ad mortem; & multi ſunt qui intrant per eam! quam arcta via, & anguſta quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inveniunt eam! Vide, quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantumque diſcrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur a multis; hæc vix invenitur a paucis. Illa enim vitiis per conſuetudinem quaſi declivior, ac mollior facile ad ſe rapit commeantium multitudinem; hæc vero inſueto calle virtutum.... atque horridior ab his tantum eligitur quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quam utilitas manſionis. Aſperam enim nobis, & inſuavem virtutum viam nimia facit conſuetudo vitiorum; quæ, ſi in partem alteram transferatur, invenietur, ſicut Scriptura dicit, ſemita iuſtitiæ levis. Ponamus ergo iam rationem vitæ noſtræ, & per quam potiſſimum gradiamur viam, conſcientia teſte diſcamus. Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de anguſta via eſt. Si cum paucis anguſtum iter, & ſubtilem quamdam ſemitam invenimus, ad vitam tendimus. Si vero multorum comitamur viam, ſecundum Domini ſententiam imus ad mortem.*

VII. Finem huic paragrapho imponat S. Auguſtinus, qui in *Pſalm.* CXXXVI. ita ſcribit. *Dilectores mundi aliquando interrogant nos, & dicunt nobis: Exponite rationem... Quid reſpondemus? Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur. Non noſti capere niſi quod fulget ad tempus: æterna meditari ignoras: non capis quod interrogas... Vere, fratres, ſic eſt. Incipite velle prædicare veritatem, quantulamcumque noſtis, & videre, quam neceſſe ſit ut tales patiamini irriſores, & exactores veritatis, plenos falſitatis.... Sed vide, quomodo verſeris inter eos... ne ſi amantur a te, & affectas amicitias eorum, & times talibus diſplicere, incipiat te delectari Babylonia, & obliviſcaris Ieruſalem. Hoc ergo timens, vide quid ſubiiciat, vide quid ſequatur...* Si oblitus fuero tui, Ieruſalem &c. *Ecce inde erat civis ille qui Dominum interrogavit:* Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam conſequar?... *Et Dominus dixit illi quiddam de canticis Sion: & noverat quod non caperet; ſed exemplum dedit nobis, quomodo multi quærant quaſi conſilium ad vitam æternam; & tamdiu nos laudant, quamdiu reſpondemus quod quærunt. Sed cum inter iſtos obſtrepentes, male interrogantes, veritati reſiſtentes verſamini, obſtringite vos non eis velle placere, ne obliviſcamini Ieruſalem hic agentes in terra.* Si oblitus fuero Ieruſalem, obliviſcatur mei dextera mea.

§ X.

Diluuntur nonnullæ oppoſitiones tum Theologorum, tum Concionatorum ſe excuſantium non poſſe laxas Moraliſtarum opinationes refellere, quin ſibi, & aliis graviſſimas perſecutiones concilient. Alii negant, e ſuggeſtu prædicandas eſſe doctrinas quæ in controverſiam vocantur a Caſuiſtis.

I. TAmetſi pluries propoſita ſophiſmata labefactaverim, nihilominus quia nihil frequentius in ore habent plures mundi adoratores, quam eiuſmodi carnalis prudentiæ effata obtrudere, operæ pretium exiſtimavi & ego non ſemel, ſed ſæpius occaſione data eadem profligare.

II. An non vides, inquiunt, per latam ſpatioſamque viam maiorem hominum partem percurrere? An non vides molliorem Ethicen hodiernæ vivendi conſuetudini accommodatam ab illis acriter propugnari qui multitudine, auctoritate, potentia, exiſtimationis fama longe ſuperant; parvum eſſe numerum eorum qui pro ſaniore doctrina pugnant? Hi enim pauci, illi multi; iſti imbecilles, & mundo odibiles, illi fortes, & mundi plauſu auraque fruentes. Summa ergo imprudentia eſt, & temerarius auſus in tam numeroſæ, & tam potentis multitudinis conſpectu, immo contra eiuſdem voluntatem, conatus, & molimina propugnare doctrinam rigidam, quæque mundo maiori ex parte diſplicet. Quid vis tibi, & aliis invidiam, calumnias, & perſecutiones atrociſſimas conciliare? Tene ſententiam, & cohibe linguam, calamumque. *Relinque mundum vadere ſicuti vadit.*

III. Hi ne Chriſtiani, qui ita argûtantur? Indigni ſane ſunt chriſtiana profeſſione miſeri iſti homines, qui carnalis animaliſque cuiuſdam prudentiæ obducti præſtigiis, vellent mundi axiomata, mores, & corruptelas cum Chriſti doctrina componere. Si præfatis regulis uſi fuiſſent Apoſtoli, Martyres, omneſque veri Chriſti Ieſu ſervi, ubi Evangelium, ubi ſacramenta, ubi crux, ubi religio chriſtiana foret? Oh oh, tu ne, effutientes reponunt, tu ne Apoſtolus, Martyr, & verus Ieſu Chriſti ſervus? Quid ipſe reſpondeam, non habeo. At reſpondet S. Auguſtinus. *Videtis, fratres, cum quo tremore iſta dicamus . . . . Et quid dicit peccatori Deus? Ut quid tu prædicas? Prohibet ergo prædicatores? Et ubi eſt iſtud? Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere. Ubi illud: Sive veritate, ſive occaſione annuntietur Chriſtus?* In Pſal. xlix. Inſtaura itaque animos, & his miſeris blateronibus cum Auguſtino reſponde: *Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur*. Et ut fortius contra eiuſmodi hoſtium

ſtium

Digitized by Google

ſtium aggreſſus obarmeris ad Chriſti cauſſam orandam, audias velim poſtremæ ætatis noſtræ Apoſtolum S. Carolum Borromæum, qui in oratione ad Concilium II. Mediolanenſe contra ſimiles homines talia obloquentes: *Non ferunt hæc tempora veterum canonum ſeveritatem: ſic iam diu viximus: ſic vixerunt, ita egerunt qui ætate anteceſſerunt: vitæ inſtitutum nihil eſt quod mutemus*: hæc reponit. *At nos hæc, atque adeo alia huiuſmodi contemnamus, proponamuſque nobis ob oculos libertatem illam ſpiritus, & virtutem qua armati patres noſtri Apoſtoli, qua muniti Martyres, qua inſtructi noſtri ordinis ſanctiſſimi homines, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius huius Eccleſiæ Antiſtes, qua affecti alii religioſi viri, apoſtolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis minis, non hominum clamoribus, non furoribus quaſi tribunitiis fracti, nec debilitati pro Dei gloria, pro gregis commiſſi ſalute, forti conſtantique animo adhibuerunt illi quaſi cenſoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem*. Vide plura *Tom. I. in Decal.* & alibi, ubi pluries egi de præcepto confitendæ veritatis tam fidei, quam morum. Meditare ſæpe: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet*: Luc. cap. IX. *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*: Galat. I.

IV. Concionatores, cum miniſterium ſuſtineant apoſtolicum, docere tenentur Chriſtianos morum Theologiam. Non pauci ſunt qui verborum phaleris, qui deſcriptionibus, vocumque inflexionibus geſticulatores potius quam ſacros Prædicatores agunt, qui vel propter plauſum, vel propter quæſtum, inquit S. Thomas in Epiſt. Pauli, vel propter utrumque, ſubdit alius, verbum Dei profanant, & proprium miniſterium ſacrilege prodigunt. Plures alii nimis abſtracte veras doctrinas exaggerant, quin auditores inſtruant: quia ipſorum non pauci Theologiam Chriſtianam non tenent. Alii plures in hac erronea perſuaſione ſunt, ad Concionatores minime attinere catecheſes, & practicas inſtructiones pro morum regimine tradere, & conſcientiæ caſus reſolvere. Eccur hoc? Quia, inquiunt, Caſuiſtæ diſcrepant invicem, contrariaſque opiniones docent ſuper eadem materia. Concionatores autem non debent e publico ſuggeſtu ex opinionibus controverſis unam præferre alteri: quia præiudicium inferrent Caſuiſtis, & ſcrupulos, ac diffidia excitarent in auditoribus. Chriſtiani ne ſunt qui talia opponunt? Non debuerunt ergo Apoſtoli, non Martyres, non omnes Eccleſiæ Patres ex opinionibus controverſis in materia fidei unam præ altera perſuadere populo. Eadem autem eſt fidei morumque doctrinæ neceſſitas. Utique Concionator non debet doctrinam inter Theologos catholicos controverſam ut certam obtrudere, nec dubiam ut extra controverſiam proponere; ſed Concionatorum proprium munus & debitum eſt ſaniores, & Evangelio, Patribus, Conciliis, gravioribuſque Theologis conformiores doctrinas prædicare, ſuadere, inculcare. Si Concionatores prædicare nequirent niſi doctrinas extra controverſiam poſitas, ad ſola definita dogmata coarctaretur illorum

Digitized by Google

prædicatio. Quot Caſuiſtarum opiniones ſuper ipſo primo mandato amandi Deum & proximum, ſuper tribus theologicis virtutibus? Quot opiniones de conſuetudine iurandi, de honorandis parentibus, de homicidiis, de impudicitiis, comœdiis, choreis, de mendaciis, de differenda pœnitentia, de occaſionibus proximis, de recidivis, de eleemoſynis, de ieiuniis, de feſtis, de luxu, de pompis, de vanitatibus mulierum, & de ſexcentis aliis punctis chriſtianæ Moralis? De his ergo, & aliis ſimilibus aut tacere, aut in abſtracto tantum, ut aiunt, Prædicatores loqui poterunt? Non debent de doctrinis quæ ſunt apud Caſuiſtas in controverſia, loqui? Quis umquam ſimilia paradoxa ex chriſtiani hominis ore prodire credat? Non debent Concionatores ignorantes, qui proprium exercere miniſterium non didicere, ea tractare argumenta quæ ipſos latent.

V. Prodeat in medium P. Michael Elizalde, qui *Lib. VI. quæſt.* VI. *§.* 5. hæc ſcribit. „ Ulla vix theologica doctrina Concionatori opus eſſe, plures cenſent: ſubinde rurſus vix non quilibet, modo voce, pectore, ac ceteris corporalibus dotibus „ vigeant, habendis concionibus idonei non exiſtimantur. Unde demum minor „ quam par eſſet, auctoritas ſacris concionibus relicta eſt, atque ex eorum dictis „ vix non quaſi ignorantium ad ſcientiores, vel etiam tamquam ad ſcientes ab- „ ſolute intelligenteſque ad Theologos appellatur; & ludibrii pene loco perinde ferme „ dicitur concionatorie dictum, & aliquid inepte dictum eſſe: quo dicendi genere „ quidam non verentur ſacras etiam ipſas Doctorum Eccleſiæ homilias profanare.

„ Moverunt hac ætate Concionatores ipſi quæſtionem longe digniſſimam, qua „ ſcilicet de cauſa, cum Concionatoribus numquam magis Eccleſia abundaverit, „ fructus tamen colligatur exiguus, utrum in cauſa ſit Concionatorum ipſorum „ vita & mores: quia quippe dicunt, & non faciunt: utrum doctrinæ qualitas, „ quia ſua dicunt: utrum demum corruptio, culpaque auditorum? Et certe hæc „ ſingula, & una omnia obſtare in primis compertum eſt: omnium porro minime auditorum ipſorum mores, & delicta obſtant: nam longe ſceleſtiores audi- „ tores Apoſtoli, apoſtolicique viri alii ſortiti ſunt; quos interea in viros alios con- „ verterunt, convertuntque etiam modo: & ſi Doctores tum concionum, tum ce- „ teri una in unum omnes, vel plerique conſpirarent, fideles ſane magno metu „ percuterentur, colligerenturque fructus immenſi. Et ſapienter, ut alia omittam, „ ab Illuſtriſs. Mindonienſi Guevara notatum elapſo ſæculo fuit, in ſacris Scriptu- „ ris ſignificantiſſimam illam particulam *VAE*, haud quidem populo, ſed *Doctoribus*, *Paſtoribus*, *Sacerdotibuſque* denuntiari ſolitam eſſe.

„ Relinquam ceteras ſterilitatis proſequendas cauſas Concionatoribus ipſis: & „ duas hic ſignificabo, quæ theologicæ plane conſiderationis exiſtant. Altera de- „ fectus, quem dixi, doctrinæ; altera eſt, quam etiam dixi, ea ad *Theologos*, *Confeſſores*, *Conſultoreſque appellatio*.

„ Di-

Digitized by Google

„ Dicam primum de defectu doctrinæ. Sunt itaque duo, vel tria genera rerum „ de quibus conciones habeant: & alia quidem omnium ſenſu, & conſenſu peccata ſunt & quoad nomen, & quoad rem etiam ſignificatam, quam omnes intelligunt, & concordant, ut fornicatio, adulterium, homicidium, & pauca alia „ ſimilia: alia ſunt quæ quoad nomen quidem omnium conſenſu peccata ſint, ut „ fraudes, avaritia, ambitio, uſuræ, ſimoniæ, iniuſtitia tam commutativa, quam „ diſtributiva; at rem ſignificatam non omnes ſciunt, & intelligunt; quin de pleriſque rebus ſub his nominibus contentis ſunt opiniones, & controverſiæ & affirmantes, & negantes. Poſtremo ſunt res aliæ, quas Concionatores inſequi ſoleant; & tamen fideles haud credunt eſſe malas; certe eſſe mortiferas negant, „ ut eſt luxus, & profanitas veſtium, meretricia ferme nuditas feminarum, Quadrageſimæ, & ieiuniorum non obſervatio, & ſimilia.

„ De primo rerum genere ſatis digne Concionatores cauſam agunt; & cum nihil in his populum doceri oporteat, ſed reprehendi, & moveri, nihil plus doctrinæ videtur deſiderandum. At cum ad mores, vitamque chriſtianam non ſatis ſit ea vitare quæ nomine, & re cunctis peccata nota ſunt, quin niſi aliis „ etiam vitatis difficulter admodum, nec a pleriſque, ſed a paucioribus ea quoque ſic nota vitentur; ſacer Orator munus ſuum explere non poteſt, niſi cetera etiam illa a populo evellere poſſit. Scriptum utique eſt ſanctum Evangelium „ contra adulteros, fornicatores, & homicidas; at non contra eos ſolos ſcriptum „ eſt; nec ad ſalutem ſufficit hoc genus peccatorum vitare, ſi vel nomine, vel „ re avari ſimus, ſuperbi ſimus, uſuras, ſimoniam, fraudes, iniuſtitiamque re ipſa „ ſine nomine exerceamus. Hæc ergo & nomine, & re noſſe ſacri Oratores deberent, nec aliis, qui cauſam definirent, remittere.

„ Videtur ergo hoc in genere rerum deſiderari doctrinam. Dicunt certe, & plurima dicunt adverſus malum regimen, & in iniuſtitiam diſtributivam, dicunt „ in ſuperbiam, in avaritiam, in fraudes, in ambitum; at nomina magis inſequu „ videntur quam res ipſas, quæ proinde in populo manent ſicuti prius: nemo „ enim ſe ſe eorum nominum reum cenſet, & uſuras, & iniuſtitiam exercet magis quam fateatur.

„ Deberent ergo in primis ſcire definire ſignificatum nominum, remque ipſam „ contentam, & contectam populo palam declarare, ut ſcirent, intelligerentque, „ quid reipſa improbetur, damneturque, cum uſura, cum ſimonia, cum ſuperbia, „ & cetera illa tam fortiter reprehenduntur: ſin minus fructus colligi nequit: ſupponetque populus, ſe de rebus illis omnibus cum Confeſſoribus acturum cauſam, & vi concionum nihil prorſus concluditur. Cum ergo non ex ipſis, ſed „ aliunde maxima pars vitæ inſtituenda ſit, quemadmodum ex ipſorum dictis modus navigiorum fabricandorum non pendet, ita nec modus vivendi Chriſtiano-

„ rum pendere poterit, nec in aliena iam meſſi fructus colligi eorum opera, quæ, „ ut ſupponitur, de nominibus magis eſt quam de rebus.

„ Atque hæc quidem ita quaſi de concluſionibus, quibus palam circumſcribere, „ declarareque deberent, quas re ipſa res damnent, & inſequantur. De probandi „ porro genere, de quo boni quique vehementer dolent, quodque inſtituti noſtri „ non eſt, nihil opus eſt ut doleamus hic etiam nos. Probant ſcilicet alibi ex a- „ lienis, alibi ex propriis, ſed ſine ſenſu, & præter ſenſum. Ibi parum Scriptu- „ ras verſant, ſanctos Patres prætereunt; dicta Oratorum, & gentium maxime „ colunt; & mundum univerſum percurrunt, longiſque deſcriptionibus implent. „ Quid ergo chriſtianum inde concludant? Alibi Scripturas quidem, & Sanctos „ nominant; ſed quibuſdam, ut vocant, conceptibus tam longe a vero, atque a „ veriſimili divagantur, ut non Oratoris ſolum, ſed neque Pœtæ quidem locum „ teneant: quam Eccleſiæ cladem plangunt, planxeruntque ante nos plurimi: ubi „ alia nihil nunc ad nos pertinentia aliis relinquimus.

„ Tertium genus erat rerum earum quas populus peccata eſſe haud credit, ut „ luxus veſtium, nuditas iam pectoris, iam humerorum, & ſimilia. In hæc etiam „ ſeveriores Concionatores invehi vehementer ſolent; quin tamen vix certo ullo „ fundamento, vel ſerio collato in rem ſtudio ipſis conſtet, utrum peccata ſint, „ & utrum rurſus venialia, vel mortalia ſint. Nam ſi nulla forent peccata, re- „ prehendi haud deberent; ſi rurſus ſolum eſſent venialia, non tam atrociter. Per- „ iculum deinde ſubeſt fallendi: nam quando tantopere exprobrantur, iure exi- „ ſtimare feminæ poſſunt, mortalia haud eſſe quæ tanta oratione improbantur; „ Orator vero nondum dictamen de eorum gravitate formavit. Excedit ergo ora- „ tio eius ſcientiam, & merita cauſæ. Deinde nulla fundamenta afferunt, quibus „ materiæ gravitatem commonſtrent, & reprehendant magis quam probent.

„ Horum Concionatorum unum maximi ſane zeli hominem offendi, qui *fortiſ-* „ ſime hanc muliebrem vanitatem contereret. Quæſivi vero ipſum, quid demum „ de profanitate iſta cenſeret, an nullum eſſet peccatum, an ſolum eſſet venia- „ le, an mortale? Ipſe nihil theologice cauſam diſcuſſerat; & vere, & coram „ Deo neſciebat, quid, vel quale, & quantum demum illud eſſet. Quid ergo, in- „ quam tum ego, improbat, & tantopere etiam improbat, quod neſcit, quid, „ quale, & quantum ſit? Hic itaque maximus defectus eſt doctrinæ; nec mini- „ ſterium ſuum implere ſic poſſunt; ut Paulus Timotheo iubet, quem idcirco le- „ ctioni, & doctrinæ, ut inferius tractabimus, attendere voluit.

„ Ex hac ergo doctrinæ inopia ſecuta eſt altera illa cauſa appellationis ex ipſo- „ rum dictis ad Theologos, & conſcientiæ & morum peritos. Atque ex utraque „ inter alia factum eſt, ut tot operariorum, miniſtrorumque copiæ exiguus ideo „ fructus correſpondeat, & ex aliorum magis doctrina, & regula, quam ex ſua

„ fide-

Digitized by Google

„ fideles vitam ſuam, & mores, contractus, emptiones, & venditiones, atque uni„ verſam actuum ſeriem inſtituant, atque texant. “

VI. Hinc collige, quam erronea, ne dicam inſana, hallucinatione obcæcati illi ſint qui vellent Concionatores contra abſtracta vitiorum ſimulacra, & ſcelerum ſpectra zeli tela unice intorquere, miſſa doctrina, qua explicetur, in quo ſita vitia ſunt. Nollent ut Concionatores patefacerent monſtroſa illa opinionum paradoxa, quibus vitia incruſtantur. Plebeii, artifices, operarii, aliique e populo vel legere neſciunt, vel legendi tempus non habent. Niſi populi a Concionatoribus inſtruantur, doceantur, atque muniantur contra graſſantes corruptelas pravaſque conſuetudines laxarum opinionum fucis obtectas, in perpetua ipſi ignorantia iacebunt. Nonne Patres SS. catecheſes habebant ad populos? Quid ferventius Epiſcopi ſancti doctique inculcant quam catecheſes a Parochis, a Concionatoribus faciendas populo? Quomodo autem catecheſes iſtas peragere rite valent, niſi ſanam Scripturæ, & Conciliorum doctrinam explicando, & falſas laxaſque oniniones refellendo? Tot Confeſſarii, ut in Tomo de pœnitentia palam fiet, novo opinandi modo præventi, ut licitas permittunt conſuetudines, moreſque, & plura quæ ad manifeſta flagitia viam aperiunt. Niſi miſera gens a docto Concionatore dedoceatur, & evangelicæ doctrinæ pabulo alatur, qua via ad veritatem aſſequendam perveniet? Optanda utique eſt Theologorum, & Concionatorum concordia. Verum ſi hæc haberi nequeat; numquid Concionatores docti, & ſpiritu Dei acti prodere miniſterium ſuum debent? Abſit; ſed veluti murum pro domo Dei ſe ſe opponere tenentur, & frontem illam æneam, quam Prophetæ Deus dedit, induere. Loquatur, & quidem fuſe laudatus P. Elizalde *ibidem §. 6. pag.* 187.

„ Vellem ego quod maximam ſibi ſacri Oratores conciliarent auctoritatem, nec „ ex ipſis ad alios, ſed ex aliis ad ipſos eſſet in diſcordia appellatio: eſt enim, „ ut ex Auguſtino declarandum ſuſcepimus, eorum quæ ex alto, & in templis „ ad concionem dicuntur, ſecuritas maior.

„ Ut itaque ex §. præc. ſumitur, deficiunt illi magis in doctrina, quam pec„ cent, & fallant: & ſive ſatis concluſiones quas ſtatuunt, aliquando declarent, „ & nomina magis quam res ſignificatas inſequantur: ſive concluſiones denuo „ ſatis probent, ſive minus probent, & magis acuminibus quibuſdam ludant; pro„ fecto concluſiones ipſæ plerumque tutiſſimæ & raro falſæ eſſe ſolent, ut ex §. 4. „ conſtat. Quare appellandum non eſſet.

„ Sunt præterea Concionatores alii, quos etiam Miſſionarios apoſtolicos appel„ lamus, qui & concluſiones perſpicuas ponunt, eaſque litteraliſſimis Scriptura„ rum, Sanctorumque teſtimoniis ita luculenter, ita clare demonſtrant, ut ſolutio „ alia non ſuperſit, niſi Nolo, & niſi dicti facti pœnituerit, Damnor. Hi populo „ palam denuntiant, proximos, inimicos etiam, ut ſonat, & ad litteram eſſe dili-

„ gendos. Item denuntiant, ex adultis etiam catholicis plures damnari: ex quo „ illa moralis practiciſſima concluſio manifeſtiſſime conſequatur, plerorumque vi- „ tam, & mortem non eſſe vitam & mortem iuſtorum. Hinc rurſus illa, non „ ſufficere ad ſalutem vivere, & mori, ſicut vivunt, & obeunt plerique; mu- „ tandam proinde eſſe vitam, & mores. Atque hæc, & ſimilia tractantur, ac de- „ nuntiantur, ubi & quando maxime fideliter, veraciter, & cum chriſtiana ſimplici- „ tate, & zelo cauſa ſalutis, & animarum diſcutitur, tractatur, & terminatur; „ de quibus nos Lib. IV.

„ De his porro iniqua eſt omnis appellatio ad aliud tribunal, & iudicium docto- „ rum Theologorum, vel aliorum. Nihil enim in Theologia ſupereſt adverſus illa, „ quin Theologia omnis, quæ vere Theologia ſit, ſcilicet ex Dei Scripturis, Sanctiſque „ collecta, eadem illa docet, ſtatuit, & promovet: aliæ autem, ſi quæ eſſent, do- „ ctrinæ hominum, Theologia non ſunt, & cavendæ magis eſſent. Si quidem er- „ go non ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, illi quærunt, & dicunt, & veriſſima di- „ cunt; iniqua prorſus ſit omnia alia provocatio, & appellatio neceſſe eſt.

„ Unus itaque & idem eſt finis, & ſcopus Concionatorum, & concionum in „ templo & ex alto, atque Theologiæ moralis, & Conſultorum conſcientiæ. Fi- „ nis remotus utrorumque eſt ſalus animarum; proximus vero rectitudo, & ho- „ neſtas morum, vitaque chriſtiana. Ex quo uno principio permulta conſequun- „ tur.

„ Primum enim conſequitur, facultates concionatoriam, & moralem non eſſe „ res invicem divulſas; quaſi vero moralis leges conſcientiæ præſcribere debeat, „ quid rectum, quid pravum, quid magnum & grave, parvumque ſit ſtatuere & „ ſcire; atque iura proſequi, quibus unicuique vivendum ſit: agat vero conciona- „ toria de quo neſcio alio; de moribus quidem illa tractet, ſed præter legum, „ obligationumque uniuſcuiuſque præſcribendarum curam, & cognitionem, & „ conſcientiæ regulandæ, obligandæque, vel ſolvendæ cauſas non ſuas habeat, ſed „ aliis, ideſt Theologis, relinquat. Sanctarum etiam Scripturarum litteralem, „ exactamque ſcientiam, non ſuam, ſed Scripturarum eſſe conſtituat: quibus ſane „ demptis facultas nec ſtatuat, nec doceat, contra quam Timotheo præſcriptum „ fuit: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: item: *Ut potens ſit* „ *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*, etiam Theologos. „ Quare optandum eſſet ut Concionatores quique ſcirent in primis miniſterii ſui „ definitionem & eſſentiam. Et plures forte invenias qui paſſim quidem concio- „ nes habeant; numquam vero exacte norint quid munus ſuum ſit, & miniſte- „ rium. Evangelium, inquiunt, verbum Dei fidelibus miniſtrare, hoc noſtrum eſt. „ Hoc utique veſtrum eſt. Sed Evangelium, opinor, & verbum maxime docent, „ atque præſcribunt, quomodo Chriſtianis ſit vivendum, quæque vitanda, quæ fa-

„ cien-

Digitized by Google

„ cienda ſint, ut ſalvemur: quo dempto, quid, quæſo, ſupereſt? Hoc porro ipſum, „ & nihil aliud eſt ſcopus, & finis, munuſque Theologiæ moralis. Ergo coinci- „ dunt. Unde miratus valde ſum Concionatorem in toto orbe celeberrimum, „ quocum agendum mihi fuit de his moralis Theologiæ cauſis, quæ ſcilicet eſſet „ via ſalutis: atque prompte reſpondit, hanc non eſſe artem ſuam. Quæ eſt ergo „ ars ſua, ſi fidelibus viam ſalutis oſtendere ars ſua non eſt?

„ Conſequitur deinde, ſi quidem unus idemque utriuſque facultatis ſcopus & „ finis, eadem ab utraque adhibenda eſſe media. Quare ex eiſdem libris, & per „ eoſdem libros eſſet cauſa agenda: nec enim recte cum ægrotis ageretur, ſi me- „ dici quidem ex Hippocrate, vel Galeno medicamenta præſcriberent, dein vero „ pharmacopolæ, & infirmarii non inde, ſed ex libris prorſus aliis medicamenta „ conficerent. At ſacris Concionatoribus id ſuppoſitum eſt, ſibi quippe ex libris „ Dei, & per libros maxime Sanctorum cauſam eſſe agendam. Ex his ergo ip- „ ſis, & per hos ipſos, non per omnino alios, & Theologus, & Confeſſor, & „ Conſultor, directorque conſcientiæ uti deberent: ex qua plane concordia fructus „ ingentes colligerentur. Ut itaque in ſacris concionibus vix alii libri audiuntur; „ Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Gregorii, ac ſimiles perpetuo teruntur, „ hi noti, hi domeſtici, familiareſque ſunt; tractatur autem, quomodo ſit viven- „ dum: profecto ubicumque de hoc eodem tractatur, per eoſdem peritos eſſet de- „ terminandum. Cum porro alii in templis proferuntur, ex aliis vero dein vivi- „ tur; fiet plane ut Sanctorum doctrina in templis maneat, haud vero tranſeat „ ad mores.

„ Ubi illud perpetuo quærere ſoleo; utrum quæ ex Scripturis, & Sanctis in tem- „ plis efferuntur, vera ſint, aut falſa? Si falſa (quod abſit) nec quidem in templis „ eſſe ingerenda. Sin vero vera ſunt, ut utique ſunt; ergo etiam in ſchola, & in „ libro morali, & ubique vera ſunt. Fieri ergo nequit ut aliud ſit verum tem- „ plorum, & non hoc, ſed aliud ſit verum librorum moralium, & uno modo „ ex ſuggeſtibus ſacris inſtituendi ſimus de via ſalutis, & prorſus alio alibi.

„ Dixi, eadem in eumdem finem media a Concionatore, & Theologo morali „ eſſe adhibenda; non alia, & alia: nam cum utraque poni ſimul nequeant, alte- „ rutra omittentur, ut plerumque ſane contingit; quemadmodum ſi alter mihi dicat, „ Valliſoletum non niſi equo, aut non niſi hac via eſſe eundum; alter vero aut cur- „ ſu, aut alia via eundum doceat; alterutrum omittatur neceſſe eſt: & ſane ex „ Miſſionariorum, aliorumque ſimilium doctrinis pauci ſunt qui vivant.

„ Quamquam, inquam, eadem ſint adhibenda media, & eiſdem libris, maximis, „ doctriniſque utendum a Concionatore, & a Theologo, non tamen eodem modo. „ Etenim utriuſque quidem eſt docere; at hoc, quaſi unum, & maximum eſt Theo- „ logi. Concionatoris non hoc ſolum: tria ſcilicet illa ad verbi Dei præcones per-

Digitized by Google

„ tinent quæ Auguſtinus *Lib. IV. de doctr. chriſt. cap.* XII. multa inter alia documen-
„ ta tradit, & probat, ut *doceat*, *&* *delectet*, *&* *flectat*. Subdit autem, docere ne-
„ ceſſitatis eſſe, delectare ſuavitatis, flectere victoriæ: quod ſi docere potens quis
„ non ſit, fruſtra ſtrepit & clamat. At quoniam partes hæ quoque aliæ ipſorum ſunt,
„ non una eſt Concionatorum, & Theologorum dictio, & forma dicendi; ſed laxior
„ alia, & alia preſſior, exactiorque, atque præterea increpare, reprehendere, ob-
„ ſecrare, & alia præſtare Concionatores debent, quæ inſtituti noſtri non ſint:
„ illud nos noſtrum proſequimur, eadem ab utriſque eſſe tradenda, eamdem oſten-
„ dendam ſalutis viam, non ab his quidem arctam unam, ab aliis aliam; eam-
„ demque morum rectitudinem, & honeſtatem eſſe tuendam. Licet vero Theolo-
„ gi potiſſimum ſit docere, tamen reprehenſio, perſuaſio, & motio alienæ non
„ ſunt a Theologia morali, ut Apoſtolorum epiſtolæ doctrinales de moribus, ſcri-
„ pta Sanctorum, librique ſpirituales, & natura demum moralis Theologiæ, quæ
„ eſt practica, & propter agere, ſatis commonſtrant.

„ Ut itaque ad concordiam unitatemque huius quaſi duplicis fori, & facultatis
„ deſiderandam revertar, a principio plane non fuit ſic. Neque enim Apoſtolo-
„ rum in primis tempore alia ipſi in concionibus dabant; & alii deinde Theolo-
„ gi, ex quorum dictis eſſet vivendum, ſupererant: aut alia ipſi tamquam mini-
„ ſtri ſermonum, & verbi Dei annuntiabant; & alia deinde tamquam Theologi
„ epiſtolis ſuis, aut verbo edocebant. Neque Martyrum tempore, nec ætate Do-
„ ctorum fuit iſta ſacrorum Oratorum Theologorumque diviſio, ut alii quidem
„ Theologi eſſent, & alii dein verbi Dei annuntiatores, & alia, & alia utrique
„ docerent: & Theologorum eſſet doctrinam tradere, Concionatorum vero neſcio
„ quid aliud; & hi quidem ex Scripturis, illi autem aliunde differerent, cauſaſque
„ terminarent, atque ad hos ex illis appellaretur.

„ Etenim, ut loquar clare, atque omnes, ſi velint, intelligant, nequaquam Au-
„ guſtini, Chryſoſtomi, Ambroſii, Gregorii, ac ſimiles viri Dei ex alto quidem,
„ & in templis dicebant; ſupererant autem dein alii quaſi Theologi, ad quos ap-
„ pellaretur, & ex quorum Theologia vita inſtitueretur; nullibi uſpiam hoc genus
„ hominum erat. Neque rurſus illi ipſi ſummi viri quaſi unam facultatem homi-
„ lias ſuas, & conciones, ſermoneſque tradebant; ac deinde, quaſi rem prorſus
„ aliam, morum diſciplinam, moralemque Theologiam, ex qua viveretur, con-
„ ſignabant: ſed conciones, homiliæ, ſermones, & Theologia moralis, morum
„ diſciplina, & hoc genus omnia unum idemque erant: unde nulli nobis ſuppe-
„ tunt eorum libri, alii quaſi concionatorii, alii vero prorſus alii, qui theologici
„ morales vocarentur; & opera etiam illa quæ de concionibus non ſunt, talia
„ exiſtunt quæ ex concione dari poſſent, eiuſdem plane naturæ, unius doctrinæ,
„ ex eiſdem libris compacta, atque verbis Dei conferta. At modo utraque iſta

„ fa-

Digitized by Google

„ facultas differt adeo, & diſtat, ut nullæ vix duæ aliæ diſcrepent magis; & „ Concionatores nihil ſibi opus eſſe doctrina cenſere videntur, & neſcio quid aliud „ agunt; ac cum Theologia reliqua prætermittunt etiam velut minime ſuam pri„ mam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ, quæ de vitiis, & virtutibus in genere, „ & ſpecie tam copioſe inſtituunt: quam plane inconſiderationem Auguſtinus a „ *cap.* XVI. repellit: & potens non eſt exhortari in doctrina ſana, & eos qui con„ tradicunt, arguere, & falſi dicti convincere; fallit in Eccleſia Dei Doctoris per„ ſonam, munus ſine doctrina neceſſaria ſuſcipiens. Utinam ergo conciones eas „ habeamus quæ in ſcholis quoque valeant; utinam Theologiam eam quæ in tem„ plis etiam ædificet; & utraque iſta facultas in unum conſpirans ſe ſe viciſſim „ iuvet, nec altera diſſipet quæ altera plantavit, rigavitque. Certe prolixiorem di„ greſſionem claudam, atque citra metum dicam, vitam chriſtianam nuſquam vel „ in templis, vel foris addiſcendam, ubi omnium caput non ſit Ieſus Chriſtus, „ & hic crucifixus."

§. XI.

Diluitur altera obiectio ex contrarietate doctrinæ Concionatorum, & Confeſſariorum. Quibus potius credendum, Concionatoribus, an Caſuiſtis, & Confeſſariis?

I. PUgna & contrarietas inter doctrinam e ſuggeſtu a Concionatoribus explicatam, & in libris quos quadrageſimales, & in aliis libris quos ſpirituales vocant, typis editam, & doctrinam quam Caſuiſtæ in libris, & Confeſſarii in Confeſſionali adhibent docentque, non minus eſt manifeſta quam Solem lucere in meridie. Declamant, detonantque Concionatores adverſus hodiernas mulierum hominumque promiſcuas converſationes, ludos, choreas, pectoris feminei nuditatem, luxum, & pompas. Clamant, inclamantque non eſſe differendam pœnitentiam, habitus pravos, conſuetudines vitioſas difficillime evelli; atque adeo peccatores inveteratos, & habitibus iniquis obnoxios perquam raro, & non niſi gemitibus, ſummaque difficultate ad Deum converti. Vociferantur iuſtificationem impii opus Dei maximum eſſe, quod, præciſo miraculo, momento non peragitur: pœnitentiam baptiſma eſſe ſecundum, laborioſum, quod gemitus, planctus, preces, eleemoſynæ, & alia pietatis exercitia præcedere debent. Clamant, non eſſe abſolvendos peccatores ex conſuetudine, & habitu peierantes, blaſphemantes, procantes, ſe polluentes, & a proximis occaſionibus non recedentes. Hæc & alia id genus argumenta altius exaggerant Concionatores; & auditores ſæpe commotos ſe ſentiunt, conſcientiæ morſus, & latratus experiuntur. Confeſſarios adeunt, iiſdem ſuas animi anguſtias patefa-

Digitized by Google

faciunt, lacrymantur, gemunt. Confeſſariorum alii dicunt, Concionatores rethorice loqui, figuris, & metaphoris res exaggerare. Læto animo, inquiunt, ſis: ſcrupuli hi ſunt. Concionatores ad perterreſaciendos induratos peccatores plus æquo res amplificant: illi univerſe & abſtracte prædicant, quæ te non ſpectant: mihi acquieſce: macte animo, vade in pace, & noli timere. Alii ſubdunt: Concionatores non decidunt caſus morales, neque has quæſtiones tractant. Perfectionem evangelicam ſuadent, minime practicas vivendi regulas præſcribunt. Nolite timere, nobis credite. Et reipſa Confeſſarii non pauci communiter abſolvunt eos qui frequentant converſationes promiſcuas, qui inſerviunt matronulis, & ipſas matronulas, quæ hodie in templo orant, craſtina die cum amaſiis in converſatione procant, & procantur: abſolvunt recidivos frequentes, conſuetudinarios, periuros, blaſphemos, qui a tot annis præter propter eadem perpetrant ſcelera. Quid quod ipſi Miſſionarii, poſtquam e ſuggeſtu omni argumentorum genere demonſtrarunt pravos habitus brevi tempore non eradicari, difficillimam eſſe impiorum converſionem, quæ paucis momentis non peragitur; quando poſtea tranſeunt ad confeſſionale, frequenter vel ipſos peccatores inveteratos abſolvunt, & quindecim dierum ſpatio plura peccatorum millia Deo conciliaſſe ſe autumant, ad Euchariſtiam admittunt, & poſt Miſſionariorum diſceſſum vix quinque in centum ex tot pœnitentibus revera ad meliorem frugem converſi apparent.

II. Qua contrarietate doctrinæ poſita, & omnibus manifeſta, rogatur, cui doctrinæ fides habenda, an illi quæ e ſuggeſtu, an alteri quæ e confeſſionali prædicatur & ſuadetur? Duo Evangeliſtæ Matthæi teſtimonia, quæ contrarietatis ſpeciem præferre videntur, viam reſolvendæ propoſitæ quæſtioni aperient. Evangeliſta *cap.* XXIII. inquit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Antea vero nempe *cap.* XVI. Idem Evangeliſta dicit: *Intuemini, & cavete a fermento Phariſæorum, & Sadducæorum . . . Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Phariſæorum, & Sadducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum; ſed a doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.* In priori textu Evangeliſta dicit: *Quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* In ſecundo monet ut caveamus a doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum. *Intuemini, & cavete a doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.* Pugnare recta hæc duo, *facite*, *cavete*, videntur. Varia ſunt Interpretum placita, quæ referuntur a P. Michaele Elizalde *Lib. VI. Part. II. quæſt.* VI. Concordiam, quam huius duplicis textus ex Auguſtino affert præfatus Elizalde, ceteris præferendam exiſtimo.

III. Inquit igitur ibi *§.* IV. *pag.* 184. „ Hoc loco nonnihil pro ſacris Concionatoribus, & ad ipſos eſt dicendum. Tractat itaque Auguſtinus *ſer.* XLIX. de verbis „ Domini de modo dignoſcendi doctrinas bonas, quæ ſervandæ, faciendæque ſint, „ &

„ & malas, quæ ſecus: atque ſententiam Domini practiciſſime exponit, & de pa-
„ ſtoribus, & mercenariis late differit. *Fratres mei*, inquit, *numquid non aſcen-*
„ *dunt aliquando aut Presbyter, aut Epiſcopus? Non dicit aliud de ſuperiore loco,*
„ *niſi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne ſcelera admittantur. Non poſ-*
„ *ſunt dicere aliud qui cathedram Moyſi ſedent, & ipſa loquitur de illis, non ipſi.*
„ Et inferius: *Hoc autem inceperam dicere, quia de loco ſuperiore non poſſunt di-*
„ *cere, niſi Bene facite, nolite periurare, nolite fraudare, nolite aliquem circumve-*
„ *nire.*

„ Atque hæc quidem, quæ mox magis declarabo de doctrinis, quæ dicunt,
„ traduntque ex alto, ex ſacro ſuggeſtu, & in templis. Quid vero de privatis
„ conſiderationibus? Subdit continenter excelſus Doctor: *aliquando ſic vivunt, ut*
„ *de tollenda villa aliena cum Epiſcopo conſilium habeatur, & petatur ab illo tale*
„ *conſilium. Aliquando nobis contingit, & experti dicimus: nam non crederemus.*
„ *Multi a nobis conſilia mala petunt, conſilia mentiendi, circumveniendi, putantes*
„ *quod placeant talia nobis. Sed in nomine Chriſti, ſi Domino placet quod dicimus,*
„ *nullus talis nos tentavit, & invenit quod volebat in nobis.* Haud intelligas, le-
„ ctor, de hæreſibus fuiſſe a fidelibus conſultum Auguſtinum, utrum ſcilicet li-
„ ceret mentiri ſub his terminis, aut tollere villam, ut ait, alienam, aut fratrem
„ circumvenire ſub his terminis: nam termini ipſi, & voces malum & illicitum,
„ quin & apertam hæreſim efferebant. Re ipſa igitur & vere, ut nunc quoque
„ contingit, de villa aliena tollenda, de mentiendo, de circumveniendo, non ſub
„ his vocibus, ſed magis ſub prætextibus, terminiſque aliis conſilia petebantur;
„ nullus tamen, quod volebat, in Auguſtino invenit. Sunt porro qui maximi du-
„ cant, ſi quicumque veniunt, quod volunt, in ipſis inveniant, & hi ſe ſapien-
„ tiſſimos putant; ſed ineptiunt.

„ Hanc Auguſtini expoſitionem, & concordiam arbitror non quidem neceſſario
„ ac ſemper veram; at veram ſæpiſſime; ac præterea etiam idiotis, & omnibus
„ obviam, & expeditam, ut ſcilicet ea tuta habeant, ſervent, & faciant quæ au-
„ diunt ex alto; & quæ in privatis conſultationibus diſſentanea audient, ſuſpecta
„ magis habeant, ut magis ſtatim declarare enitar.

„ Multa in confirmationem adduci poſſent, & regula Domini de male agenti-
„ bus, qui lucem oderunt, accommodari huc quoque, & explicari apte poſſet.
„ Favit vero ipſe Dominus *Ioan.* XVIII. de diſcipulis ſuis, doctrinaque a Pontifice in-
„ terrogatus. *Ego*, inquit, *palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in*
„ *templo, quo omnes Iudæi conveniunt; & in occulto locutus ſum nihil. Quid me*
„ *interrogas*? &c. Recte porro & ſynagogam, & templum connectit: nec enim
„ alia in templo, & prorſus alia in ſynagoga, & ſchola, ſed eadem ubique edo-
„ cuit, non aliam, & aliam ſalutis viam. Favit etiam, quando diſcipulos ſuos iuſ-

„ ſit

Digitized by Google

„ ſit, quæcumque in iis perſecutionis, & paucitatis quaſi tenebris audiviſſent; „ prædicare ſuper tecta, & orbi univerſo denuntiare.

„ Ex hac ergo ab Auguſtino conſtituta regula ea plerumque ſaltem bona, & „ facienda dicimus quæ ſacri Concionatores, Presbyteri, aut Episcopi ſedentes ſu- „ per cathedram Moyſi ex alto prædicant; ea autem non eſſe ſervanda & facien- „ da quæ alibi præter, aut contra dicerentur. Illi nimirum honeſtiſſima, ſanctiſ- „ ſimaque plerumque decernunt: diligendum eſſe Deum ſuper omnia, diligendos „ inſtar noſtri proximos etiam inimicos docent, nec gloſſis corrumpunt, aut di- „ cunt, ſatis eſſe non odiſſe. Si in Dei futurum iudicium incidant, tremendum „ illud, ut revera eſt, & Sanctis ipſis formidandum ſtatuunt; ſi de via ſalutis ſermo „ fiat, non latam illam, ac ſpatioſam, ſed arctam ſtrictamque dicunt: tenet enim „ eos, ne aliter dicant, Evangelium, quod etſi non exactiſſime, aliquo ſaltem „ modo commemorant, exponuntque, nec eo prorſus omiſſo aliis ex libris do- „ cent. Hæc, & ſimilia paſſim de loco ſuperiore ingeminant. Sunt certe alterius „ educationis, ſcholæ, gentis, indolis, ingeniique homines; & tamen conveniunt, „ nec alii latam viam tutam, intutam alii dicunt, & diſſentiunt.

„ Neque vero uſquam audimus eos ex alto docentes, in magna occaſione pro- „ pter hæc illaque præiudicia permanere poſſe; eruendum magis oculum aiunt, „ abſcindendas potius manus ipſas, & pedes, ſi ſcandalizaverint &c. Haud dice- „ re ſolent, mutuo, non quidem propter alios titulos, lucrari quem poſſe ſex, octo, „ decem; & inſuper pignus quoque accipere; ſed vel omittunt iſta, vel reprehen- „ dunt: nec item duellum ſic vel ſic acceptari poſſe; beneficia eccleſiaſtica ita „ renuntiari poſſe, ut non quidem vendantur, eædem tamen quæ in emptionibus „ ſolent ſummæ vel ſolvantur, vel dentur: res quippe eædem eſſe ſæpe ſolent, & „ in nominibus, formalitatibuſque honeſtas omnis reponitur. Taceo de ieiuniorum „ relaxatione, de veſtium profanitate, de impudicis multis, atque ſimilibus, quæ „ ſacri Concionatores vel prætermittunt, vel improbant, approbant vero ex alto „ nuſquam; quod ſi facerent, aures plane offenderent fidelium; nec Evangelium „ exponere, ſed profanare cenſerentur. Ipſa itaque cathedra, ſanctitudo etiam loci, „ &, ut ita loquar, publicitas, Evangelium denique ipſum, quod quoquomodo de- „ mum tractant, & exponunt, nec prorſus præter dicere audent, eos tenet ne aliter „ dicant, & doceant. Sapienter itaque Auguſtinus ad iſta reflectens de his dictis Do- „ minum explicavit, *Quæ dicunt*.

„ Ex his plurimum dirigi poſſent, ſi vellent, Confeſſores in confeſſionario, & „ Conſultores in cubiculo. Neque enim, opinor, ea lex Chriſtianorum eſt, „ ut Concionatores quidem viam ſalutis ex Evangelio docere debeant; Con- „ feſſores autem, aut Conſultores non inde, ſed aliunde debeant; aut Concio- „ natores de omni verbo ſuo rationem reddituri ſint, ceteri non ſint; aut il-

„ lis

Digitized by Google

„ lis placere, adularique non liceat, Confeſſori vero, qui iudex etiam ſedet, at-
„ que iudicis perſonam ſuſtinet, non diſplicendi, ſed placendi lex conſtituta
„ ſit. Nihil plane horum. Videre ergo, reflectereque Confeſſores, Conſultato-
„ reſque poſſent, ſi vellent, utrum ea quæ clam, & in occulto reſolvunt,
„ & docent, auſuri eſſent palam, & coram ex alto dicere, & quæ in aures
„ ingerunt, prædicare ſuper tecta. Quod ſi rubor eſſet, verecundia impedi-
„ ret, populus etiam forte ſcandalizaretur; regula eſt: Quæ dicunt, nolite
„ facere.

„ Neque eſt inſtantia in libro, quaſi dicas, ea quæ tu in occulto doces, reſol-
„ viſque, eſſe in libro aliquo, vel libris: libros autem, qui etiam in lucem edi
„ dicuntur, tam eſſe publicos, atque ſunt ea quæ ex alto in templis dicuntur.
„ Non, inquam, eſt inſtantia, nec par ratio eſt librorum, & eorum quæ in tem-
„ plis ex alto dicuntur; ſed occurrunt diſparitates plures. Nam cum ſacer Con-
„ cionator orat, ipſe adeſt, non autem adeſt, ſed abeſt Auctor, cum liber legi-
„ tur; quin magis Scriptoribus illud congruit, *Epiſtola non erubeſcit*. Deinde liber
„ ab hoc, & illo ſeorſim legitur, ſicut conſultationes ſeorſim fiunt; Concionator
„ ab omnibus excipitur: publica proinde eſt huius dictio, & auditio; non autem
„ libri lectio: & ſi quidem liber hic, aut ibi, his, aut illis diſpliceat; cum Au-
„ ctor abſit, ac forte etiam obierit, parum dolet. Omitto hæc, & alia. Illud ad
„ præſens eſt maximum, quod ſacris Oratoribus inſtitutum ſit Evangelium expo-
„ nere, atque ex illo de moribus diſſerere: multis porro Scriptoribus, qui de mo-
„ ribus luculenter tractant, non hoc eſt inſtitutum, & exigua eſt, & rara Evan-
„ gelii, Scripturarumque mentio, & expreſſio. Atque hæc cauſa maxima eſt cur
„ ea magis quæ Presbyteri, & Epiſcopi ex alto denuntiant, ſervanda facienda-
„ que ſint. "

IV. Hæc, quantumvis prolixa, reſcribere placuit, quia opportuna. Prudentiſſi-
me ait P. Elizalde *ſæpiſſime* vera eſſe & ſancta quæ audiuntur ex alto. Contra ve-
ro in privatis conſiliis, deciſionibus, & reſolutionibus diſſentaneis a doctrinis quæ
ex cathedra evangelica prædicantur, eſſe nonnumquam falſa, vel falſitatis ſuſpe-
cta. Ut plurimum ergo ſuper cathedram Moyſi ſedentes, & in templis ex alto
prædicantes ſanam doctrinam annuntiant; e contrario e cathedris ſecretis & pri-
vatis aliquando opiniones falſæ, aut falſitatis ſuſpectæ exire poſſunt. Hæc tamen
Auguſtini, & Elizalde concordia ſuas excipit appendices. Nam non adeo raro
occurrunt Concionatores qui chriſtiana Theologia deſtituti ea exaggerant quæ igno-
rant. Dum hæc ſcribo, audivi Concionatorem pectore & voce præſtantem, ſed
evangelica ſcientia carentem, inculcaſſe ſuis auditoribus deſideria diteſcendi, the-
ſaurizandi, & conquirendi divitias, nulla adiecta limitatione, eſſe *quid indifferens*;
quamquam (addidit) *Rigoriſtæ* hoc improbarent. Rigoriſmus ne, *Qui volunt divites*
fieri,

fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli &c.? Regula igitur ut plurimum vera eſt; at ſuas excipit appendices. Communiter igitur quando Confeſſariorum, & Caſuiſtarum doctrinæ contrariæ ſunt Concionatorum, & Miſſionariorum, & librorum ſpiritualium doctrinis; iſtis, non illis adhærendum. Concionatores n onnnlli quandoque adulterant verbum Dei, quod paradoxa e ſuggeſtu, cogitationes futiles, pueriles, ineptiſſimas aurito gregi divendunt, tamquam ſublimium mentium partus, & ſubtiliſſima inventa. Rariſſime vero iſti e ſuggeſtu laxas opiniones, quæ morum praxim ſpectent, evulgant.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE TRADITIONIBUS, ECCLESIA, CONCILIIS, PATRIBUS, ALIISQUE CHRISTIANAE THEOLOGIAE LOCIS.

PRAELOQUIUM.

THeologiæ chriſtianæ magiſtro præcipue neceſſaria eſt cognitio ſacrarum traditionum, & aliorum theologicorum fontium, unde ſanioris doctrinæ concluſiones hauriendæ ſunt. Ad Theologum quippe moralem credenda, & agenda explananda attinent. Porro Moralis chriſtianæ ſanctitas & integritas in præclarorum hominum geſtis potiſſimum manifeſtatur. Diſpoſuit, inquit S. Auguſtinus, providentia divina, ut ſi quæ in Scripturis divinis ambigua, obſcuraque apparerent, Sanctorum officiis, & heroicis geſtibus luculenta ſplenderent. Ritus, & cæremoniarum diſciplina, & plurima quæ tum ad politiam & ornatum Eccleſiæ catholicæ, tum ad ſacramentorum adminiſtrationem, pœnitentiæ peragendæ, communionis frequentandæ rationem ſpectant, a perenni traditione manarunt. Quare Theologus moralis in Eccleſiæ diſciplinam cum veterem, tum hodiernam incumbere præcipue debet, ut poſſit *omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe, reddere*. Idcirco a ſacris traditionibus hanc auſpicabor diſſertationem. Paucis tamen rem abſolvam, prout ad inſtitutum meum pertinet.

CAPUT I.

Notio ſacræ traditionis, eiuſque diviſio.

I. TRaditio generatim accepta, doctrina eſt quæ alteri ſive voce, ſive ſcripto communicatur; ut S. Paulus II. *Theſſ. cap.* 11. inquit: *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. Preſſius ſpectata traditio ſacra apud Theologos eſt doctrina *viva voce* tradita. Si auctorem illius ſpectes, *divina* una, *humana* altera. Si materiam conſideres, alia *fidem & mores*, alia diſciplinam, ritus, & cæremonias comprehendit. Rurſus alia *neceſſaria*, alia *libera*: alia *immutabilis & perpetua*, alia *temporaria & mutabilis*. Alia tandem *univerſalis*, alia *particularis*.

II. Traditio *divina* doctrina Dei eſt, non ſcripta, ſed a Deo maioribus noſtris revelata, & ſucceſſoribus de aure in aurem communicata; qualis fuit in lege natu-

turæ ante legem ſcriptam de mundi creatione, de originalis culpæ remedio, de ritibus divini cultus. Huiuſmodi quoque traditio eſt de ſacrorum librorum divinitate.

III. Divina traditio alia vocari *dominica* ſolet, quam Chriſtus Dominus ore proprio communicavit Apoſtolis, & hi ſucceſſoribus: eiuſmodi eſt de ſacramentorum numero, de perpetua B. Mariæ virginitate. Alia eſt *apoſtolica*, quam Apoſtoli Spiritu ſancto dictante acceperunt, & abſque ſcripto communicarunt Eccleſiæ. Ambæ hæ traditiones divinæ ſunt, & apoſtolicæ: divinæ quidem, quia a Deo revelatæ: apoſtolicæ, quia Apoſtolis communicatæ. Hoc duplex genus traditionis Concilium Tridentinum exprimit *ſeſſ.* IV. ubi ait: *Veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt.* Rurſus aliæ ſunt traditiones *apoſtolico-divinæ*, de quibus dictum eſt. Aliæ pure apoſtolicæ, ut inſtitutio Quadrageſimæ, diei dominicæ feſtum loco Sabbati, & aliæ id genus.

IV. Traditio humana eſt doctrina quæ ab humana, non divina auctoritate dimanat. Alia civilis, quæ a Republica proficiſcitur: alia eccleſiaſtica, quæ ab Eccleſia ſuam trahit originem; ut traditio de celebrando Paſchate luna decima quarta cum Iudæis, in quocumque die eveniret, quæ conſuetudo obtinebat ſæculo ſecundo in Aſia: ſimiliter traditio de celebrando Paſchate die dominico conſequente lunam decimam quartam, quæ tum obtinebat in Eccleſia Romana, & communiter in aliis, ut ab Apoſtolis dimanans. Traditio humana eccleſiaſtica, alia univerſalis, alia particularis; alia Eccleſiæ Latinæ, ut uſus azymi panis in ſacrificio; alia Eccleſiæ Græcæ, ut celebratio in pane fermentato: uno verbo hæc traditio tam varia eſſe poteſt, quam diverſæ ſunt Eccleſiæ particulares. Univerſalis omnes obſtringit; particularis ſolos obligat fideles particularis Eccleſiæ. Perpetua ſemper durat, & a nulla humana auctoritate mutari poteſt; ut ſunt omnes traditiones divinæ apoſtolicæ. Temporaria eſt quæ brevi, aut longo tempore durat pro circumſtantiarum varietate. Eiuſmodi ſunt pure apoſtolicæ & eccleſiaſticæ. Reipſa variæ ab Apoſtolis inſtitutæ, mutatione deſiere; ut trina immerſio in baptiſmo, quotidiana in Miſſa communio, agapes, ſeu communia convivia, quæ in uſu fuerunt in Eccleſia, communio ſub utraque ſpecie, & aliæ ſimiles. Traditio neceſſaria vi præcepti omnes obſtringit: & eiuſmodi ſunt omnes traditiones divinæ, & apoſtolico-divinæ, & Eccleſiæ univerſalis. Traditiones liberæ a cuiuſque arbitrio pendent, ut uſus aquæ luſtralis, ſignum crucis in fronte, aliæque ſimiles.

V. Regulæ dignoſcendæ traditionis divinæ, pure apoſtolicæ, & eccleſiaſticæ. In primis initium traditionis ſpectandum eſt, ut monet S. Auguſtinus Lib. I. con-

tr.

Digitized by Google

tr. Donat. cap. XXIV. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, nonniſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Cardinalis Gotti *quæſt.* III. *dub.* 3. *§.* 2. *de loc. theol.* alteram regulam tradit, videlicet ſpectandum eſſe, an traditio apoſtolica cœperit poſt Chriſti aſcenſum in cælum: quia tunc vult ille pure apoſtolicam eſſe. Hoc autem non videtur verum : nam iam diximus, alias eſſe traditiones apoſtolico-divinas, ſeu *dominicas*, quas Apoſtoli ab ore ipſius Chriſti acceptas ad poſteros tranſmiſere : alias apoſtolico-divinas, quas Apoſtoli poſt aſcenſum Chriſti in cælum, *Spiritu ſancto dictante*, ut inquit Tridentinum, nobis communicarunt.

VI. Regula altera eſt, quæ materiam traditioni ſubiectam reſpicit. Si materia eiuſmodi eſt, ut eccleſiaſticæ poteſtatis confinia ſuperet, ut formæ ſacramentorum, traditio apoſtolico-divina eſt. Iſtius generis Cyprianus ait eſſe illam quæ aquam immiſcendam vino in ſacrificio docet.

VII. Tertia regula. In expendenda traditione conſulendus eſt communis SS.PP. conſenſus. Si enim primorum ſæculorum Patres omnes unanimi voce conſentiant traditionem divinam eſſe, oppoſitumque ut hæreſim damnent, talem traditionem divinam eſſe tenendum eſt : eiuſmodi ſunt traditiones quæ præfiniunt perpetuam B. M. virginitatem, numerum Evangeliorum, ſacramentorum, deſcenſum Chriſti ad inferos.

VIII. Regula quarta, quæ præcipue ſpectanda eſt, iudicio Eccleſiæ nititur. Quoties enim diſſidium occurrit, ſit ne traditio apoſtolico-divina, an eccleſiaſtica, & libera, ad Eccleſiæ iudicium confugiendum eſt. Celebris eſt traditio de non rebaptizandis hæreticis, quam S. Cyprianus oppugnavit ; verum Eccleſia eamdem probavit. Heinc S. Auguſtinus *Lib. II. contr. Creſcon. cap.* XXXII. inquit : *Non accipio quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit*. Præ oculis igitur habendum ſemper eſt prudentiſſimum monitum Vincentii Lirinenſis in ſuo *primo Commonitorio*, quod ab omnibus, quod ubique, quod ſemper obſervatum eſt, traditionem prodit neceſſario ab omnibus ſervandam.

CAPUT II.

Præter verbum divinum ſcriptum extant traditiones divinæ.

I. Divinas traditiones hæretici fere omnes ſemper deteſtati ſunt, ut liberius ſua errorum portenta evulgare poſſent. Sadducæi ſolam Moſaicam legem admittebant. *Ariani* in ſolo verbo ſcripto vocem *omouſion* quæritabant, & Semiariani vocem *coeſſentialem*. Hanc viam inſiſtebant Neſtoriani, Eutychiani, cete-

rique hæretici. Iſtorum veſtigiis inhærens Martinus Lutherus omnibus divinis traditionibus bellum indixit. Pauca tranſcribo ex eius ſcripto contra Angliæ Regem, ubi inquit: *Ego adverſus dicta Patrum, hominum, & Angelorum, dæmonum pono, non antiquum conſenſum, non multitudinem hominum, ſed unius maieſtatis æternæ verbum: hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet ſanctorum, aut conſuetudini fallaci. Dei verbum eſt ſuper omnia, divina maieſtas mecum facit, ut nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Tertulliani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. Deus errare, & fallere non poteſt. Auguſtinus, & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & errarunt. Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet.* Audiſtin' novi Legislatoris, & evangelicæ ſanctitatis inſtauratoris modeſtiam, humilitatem, prudentemque ſcribendi rationem?

II. Succinit Luthero Calvinus *Lib. IV. Inſtit.* ubi fuſius, nec minus furenter quam Lutherus debacchatur: hæc enim ſcribit §. 8. *Eſto hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus, quam quod lege primum, & Prophetis, deinde ſcriptis apoſtolicis continetur: nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum, niſi ex eius verbi præſcripto & norma. Heinc etiam colligimus non aliud permiſſum fuiſſe Apoſtolis quam quod olim habuerant Prophetæ.* Iterum cap. x. *Ortæ ſunt*, effutit, *innumeræ traditiones humanæ, totidem ad ſtrangulandas miſeras animas laquei: neque enim maior illis religio fuit quam Scribis, & Phariſæis, imponere aliorum humeris onera quæ digito noluiſſent attingere. Alibi docui, quam crudelis ſit carnificina, quod de auriculari confeſſione præcipiunt.* Obtrudit auctoritatem Auguſtini ex *epiſ.* CXVIII. & CXIX. ad Ianuarium, cuius genuina ſenſa infra dabo. Martinus Chemnitius in *exam. Concil. Trident. ſeſſ.* IV. aliquas admittit traditiones: nam de ſecundo traditionum genere ſcribens, inquit: *Hanc traditionem qua nobis in manum dantur ſacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus.* Et paullo poſt de VII. genere traditionum ſubdit: *Apoſtolos igitur ritus quoſdam ordinaſſe, & tradidiſſe Eccleſiis, ex ſcriptis eorum certe conſtat. Et veriſimile eſt quoſdam etiam alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non ſunt, ab Apoſtolis traditos eſſe .... Tales ritus merito amamus, & retinemus, quales ſunt confeſſio fidei, abrenuntiatio Satanæ, & alii ritus in actione baptiſmi.* Alii admittunt traditiones adiaphoras, ſecus de rebus neceſſariis. Et ſic de more ſecum pugnant proteſtantici Doctores.

III. Adverſus Lutheranos, & Calviniſtas, ceteroſque heterodoxos Catholici omnes docent, præter ſanctum Dei verbum ſcriptum, dari traditiones apoſtolico-divinas: idque evincunt divinarum Scripturarum, & omnium Patrum teſtimoniis. Scripturæ divinæ obviæ ſunt. Deuter. III. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Pſal. XLVIII. *Deus auribus noſtris audivimus,*

Digitized by Google

mus, patres noſtri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Eccli. cap. VIII. *Non te prætereat narratio ſeniorum : ipſi enim didicerunt a patribus ſuis : quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dabis reſponſum*.

IV. Novi teſtamenti oracula luculentius divinæ traditionis neceſſitatem patefaciunt. S. Paulus II. ad Theſſ. cap. II. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. Rurſus II. ad Timoth. cap. I. *Formam habe ſaniorum verborum quæ a me audiſti in fide, & dilectione in Chriſto Ieſu*. Et iterum cap. VIII. *Tu vero, fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu : & quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Tandem I. Cor. cap. II. *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis*.

V. Exponant nobis Lutherani & Calviniani, qui ad Scripturas divinas cauſſam appellant, Scripturarum quæ adduxi teſtimonia. Diſtinguit S. Paulus verbum ſcriptum per epiſtolam a verbo tradito per ſermonem : & utramque traditionem, ſive ſcriptam, ſive voce expreſſam, altius memoriæ commendandam inculcat.

VI. Quid quod in omni Eccleſiæ ſtatu divinæ obtinuerunt traditiones? Ab Adam uſque ad Moyſem nulla lex ſcripta extitit. Qua, quæſo, ratione ſancti illi viri Adam, Abel, Seth, Enos, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, & alii cultum Dei, ſacrificiorum ritus, & religionis myſteria moderabantur, atque interpretabantur? Unde de mundi creatione, de Meſſiæ adventu, de remedio peccati originalis, de futura vita cognitionem hauriebant? Ex verbo ſcripto? Nullum tunc extabat. Ergo ex verbo de ore in os, de aure in aurem tradito. Quod poſt legem moſaicam traditiones divinæ obtinuerint, patet ex teſtimoniis mox adductis. An divina traditione tamquam fidei dogma non credebant Iudæi, libros omnes in canone recenſitos divinos eſſe? An eadem traditione non credebant futuram Meſſiæ mortem per cruenta ſacrificia portendi? Quid quod etiamnum communis eſt Iudæorum ſententia, duplicem in monte Sinai legem traditam Moyſi fuiſſe, *ſcriptam* unam, *oralem* alteram; & hanc poſteriorem a Moyſe ad Ioſue, a Ioſue perenni ſucceſſione ad poſteros manaſſe?

VII. Superiori diſſertatione palam feci, Chriſtum Redemptorem noſtrum nullam ſcriptam legem mundo dediſſe. Quæ ille a Patre didicit, mundo enarravit. Non tabulis lapideis, aut membranis, ſed cordium chartis ſuum conſignavit Evangelium. Sola ſua voce inſtructos Apoſtolos per univerſum mundum prædicare legem ſuam miſit, omni Scriptura ſublata. Prædicarunt legem hanc novam Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus, quin aliquid ſcriptis conſignaverint.

VIII. Scripſerunt alii Evangelium, non ex conſilio aliquo primum concepto, ſed pro occaſione, & neceſſitate quæ ſe ſe obtulit. Scripſit Matthæus poſt prædi-

Digitized by Google

cationem habitam ad Hebræos, cum ad gentes ire deſtinaret, ut aliquod traditæ doctrinæ monumentum iiſdem relinqueret; quemadmodum teſtatur Euſebius *Lib. III. Hiſt. cap.* XXIV. Marcum litteris conſignaſſe Evangelium, non Petri, cuius erat diſcipulus, imperio, ſed Romanorum fidelium precibus compulſum, narrat idem Euſebius *Lib. II. cap.* XV. Lucas initio ſui Evangelii cauſſam cur illud ſcripſerit, narrat, quod nempe plures auſi fuiſſent ſcribere quæ non noverant. *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem &c. viſum eſt mihi aſſecuto omnia a principio diligenter ex ordine ſcribere, optime Theophile*. Hoc idem declarat Euſebius *Lib. III. cap.* XXXIV. Ioannes ad ſenectutem uſque Evangelium prædicavit, quin aliquid ſcriberet; ut Euſebius ibidem narrat. Senex factus, & Ebionitarum hæreſi ſerpente, latiuſque graſſante, ab Aſiæ Epiſcopis rogatus Evangelium litteris prodidit; ut Hieronymus de *Scriptor. Eccleſ.* docet. Niſi Ebionitarum exorta hæreſis fuiſſet, forte Evangelio Ioannis Eccleſia careret. Ex duodecim Apoſtolis duo Evangelium ſcripſere, occaſione, & quadam neceſſitate adducti, inquit Euſebius *loc. cit.* Plures S. Paulus ſcripſit epiſtolas, duas Petrus, tres Ioannes, unam Iuda, unam Iacobus, prout utilitas populorum exigebat.

IX. Heinc patet, Chriſti conſilium non fuiſſe litteris mandare Evangelium ſuum, ſed prædicare; & ita illius Apoſtolos non eo primo ſtudia ſua contuliſſe, ut ſcriberent, ſed ut verbum a Chriſto acceptum prædicarent. Et quoniam prædicatione peracta, varia hæreſum monſtra exorta fuere & populi fide divina imbuti, atque plures infirmi, & ſeductionis periculo expoſiti erant, aliaque ingruebant mala, de ſcribenda prædicata doctrina deliberavere, ut Eccleſiæ firmitati præſidium afferrent.

X. Ediſſerant nobis Lutherani, Calvinianique Doctores, qua doctrina regebatur Chriſti Eccleſia, antequam Evangeliſtæ ſcriptis traderent Dei legem? Non ſcripta doctrina, ut patet: ergo tradita. Si Lutherus, & Calvinus Apoſtolis ſuppares fuiſſent, dubio procul inclamaſſent, non ſecus ac nunc. Unde conſtat, hæc quæ prædicatis, a Deo eſſe? Ex miraculis? Conficta hæc ſunt. Numquid ſapientiſſimus Redemptor abſque ullo ſcripto novam condidit legem, hominumque animis mutationi obnoxiis conſignavit? Hæc, & peiora eructaſſent Lutherus, & Calvinus. Quod ſi iſtud, ut commentum ad invidiam excogitatum reiiciunt; fateantur neceſſe eſt ſe delirare in præſens, dum contra verbum traditum declamant: nam idem divinus Spiritus qui tunc, etiam in præſens regit Eccleſiam ſuam, regetque uſque ad mundi conſummationem. Alterutrum enim fateantur oportet: aut Apoſtolos non omnia quæ a Chriſto acceperunt, litteris commendaſſe; aut nullam poſt Apoſtolorum tempora ortam, vel orituram occaſionem quæ poſtulet aliquod chriſtianæ doctrinæ caput declarari. Si ſecundum aſſerant; ridiculos fatuoſque illos declarant innumeræ hæreſes, & graviſſima de fidei & morum articulis diſſidia

poſt

Digitized by Google

poſt Apoſtolorum tempora orta. Primum ergo fateri coguntur, nempe plura fidei, morumque capita explicari neceſſe eſſe, quæ ſcriptis ſuis minime conſignarunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ſed perenni traditione ad nos pervenere. Heinc evidenter conſtat Apoſtolorum neminem, neque omnes ſimul ſibi umquam propoſuiſſe conficere aliquem codicem univerſalem, in quo omnia fidei, morumque capita, & articuli, omnes leges cæremoniales, omneſque ritus, regulæ, & præcepta deſcripta eſſent. Similem codicem formavit Moyſes, ſecus Apoſtoli. Hoc luculentiſſime evincunt tot ritus, & cæremoniæ, quæ non in Eccleſia catholica modo, verum etiam in omnibus Orientis ſchiſmaticis ſocietatibus ſervantur. Hæc conſtans, & uniformis obſervantia in tot diverſis Eccleſiis ab unico & eodem fonte, nempe ab eodem Chriſto iiſdemque Apoſtolis proficiſcatur neceſſe eſt. In omnibus indicatis Eccleſiis baptiſma pueris ante rationis uſum, & ſub invocatione SS. Trinitatis cum manuum impoſitione, & chriſmatis unctione confertur; ubique altaria deſtinata ſacrificio incruento offerendo; ubique miniſtrorum conſecratio, & varii ordines, & gradus, Sacerdotum miniſterium, quo remittuntur peccata, infirmorum unctio non minus ad animarum quam ad corporum ſalutem; ubique nuptiarum benedictio, & pro mortuis ſuffragia: quæ omnia tamquam a Chriſto Domino inſtituta obſervantur. Teſtimonia Scripturarum circa hæc puncta obſcura forent, niſi lumen effulgeret traditionis.

XI. Confirmant quæ hactenus delibavi, Concilia, & Patres. Concilium œcumenicum VII. & II. Nicænum *act.* VII. hæc ſtatuit. *Si quis traditiones ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes non curaverit; anathema ſit*. Concilium Tridentinum expreſſius occaſione Lutheranæ, & Calvinianæ hæreſis divinarum traditionum articulum definivit *ſeſſ.* IV. ubi hæc habentur. *SS. Oecumenica generalis Tridentina Synodus perſpiciens veritatem fidei, & diſciplinam morum contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto in traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt* &c. Plurima alia Concilia afferre poſſem, quæ brevitatis gratia prætereo. Quin ſacra Concilia variis celebrata temporibus divinis traditionibus exortas hæreſes profligarunt, ut plures Catholicorum Scriptores evidentiſſime palam fecere.

XII. Sancti Eccleſiæ Patres omnes unanimi voce divinas traditiones defendunt. S. Irenæus *Lib. II. cap.* IV. hæc ſcribit. *Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis? Nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quem tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterum traditionem diligenter cuſtodientes*.

Digitized by Google

XIII. Tertullianus *Lib. de coron. milit. cap.* IV. varias Eccleſiæ traditiones de baptiſmo, de oblationibus pro defunctis, & de aliis recenſet: deinde ſubdit: *Harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules, ſcripturam nullam invenies. Traditio tibi prætenditur autrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexit, diſces.* Origenes in *cap.* VI. *Epiſ. ad Rom.* ait: *Eccleſia ab Apoſtolis traditione accepit etiam parvulis baptiſmum dare.* S. Athanaſius *Lib. de decret.* Nicænæ fidei adverſus Euſebium ſcribit: *Ecce nos quidem ex patribus ad patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtravimus: vos autem, o novi Iudæi & Caiphæ filii, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?* S. Epiphanius hæreſ. LXI. *Oportet autem & traditione uti: non enim omnia a divina Scriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apoſtolus: Sicut tradidi vobis.* S. Ioannes Chryſoſtomus hom. IV. in II. ad Theſſal. *Hinc eſt perſpicuum quod non omnia per epiſtolam tradiderunt; ſed multa etiam ſine ſcripto, & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſemus eſſe fide dignam. Eſt traditio: nihil quæras amplius.*

XIV. Præterea Baſilium, Nazianzenum, Hilarium, Cyprianum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, ceteroſque, cum nimis compertum ſit illos pro divinis traditionibus pugnare.

XV. Obiiciunt heterodoxi illud Deuteron. cap. IV. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Quid heinc? An verbum traditum non eſt verbum Dei? An verbum quod ſola traditione Chriſtus communicavit Apoſtolis, & hi ſucceſſoribus, non eſt verbum Dei? Nimis craſſe hæc obtrudunt Lutherani. Prohibet Deus quidquam humanæ doctrinæ ſancto ſuo verbo addere. Quare merito redarguit Phariſæos Matth. cap. XV. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram .... Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Deteſtatur Deus traditiones humanas, quæ ſanctum Dei verbum corrumpunt, ut declarat S. Paulus ad Coloſſ. cap. II. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum.* Huc quoque pertinent quæ ſcribit Paulus ad Galatas cap. I. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præter quam evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Senſus Apoſtoli ex teſtimoniis ſupra ex eodem Apoſtolo adductis patet, videlicet vetitum eſſe addere quidquam quod Dei verbo ſive ſcripto, ſive tradito adverſetur.

XVI. Obiicit Calvinus *Lib. IV. Inſt. cap.* X. teſtimonia S. Auguſtini ex *epiſt.* CXVIII. ad Ianuarium, ubi hæc habet. *Primo itaque tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evangelio loquitur, levi iugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi. Unde ſacramentis numero*

pau-

Digitized by Google

pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit, ſicut eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur. Sacramentorum hic meminit S. Doctor, quæ præcipue moralem communionem, ſpiritualemque ſocietatem chriſtiani populi exprimunt, atque unitatem produnt. Omnes quippe eodem baptiſmate mundati, eiuſdem omnino corporis & ſanguinis Chriſti Ieſu participes evadunt. Hæc ſunt duo ſacramenta abſolute & præcipue omnibus neceſſaria: ideo hæc præ ceteris commemoravit Auguſtinus, ut in tractatu de ſacramentis palam fiet. Sed en quæ continuo ſubdit S. Doctor ibidem. *Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta; ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & adventus de cælo Spiritus ſancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur: & ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit Eccleſia*.

XVII. Quid ad hæc Calvinus? Reſpondet *loc. cit.* §. 19. „Cum tam pauca e„numeret exempla, quis non videat, eum ad auctores fide & reverentia dignos „referre voluiſſe uſitatas tunc obſervationes, non niſi ſimplices illas & raras, & „ſobrias, quibus Eccleſiæ ordinem contineri utile eſt? Quantum autem ab eo „diſtat, quod Romanenſes Magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos cæ„remoniola, quæ non pro apoſtolica cenſeatur?" Hæ ſunt conſuetæ Calvini impoſturæ, & fabulæ putidiſſimæ, quæ dedecent vel vilem ſellularium. Quænam inter Romanenſes *cæremoniola* pro apoſtolica aſſeritur, quæ invictis argumentorum momentis, & SS. Patrum teſtimoniis non demonſtretur talis? Vel unam oſtendant heterodoxi. S. Auguſtinus alibi plures alias traditiones apoſtolicas recenſet, ut vel ipſe Calvinus fatetur ibidem §. 20. Sed quid reſpondet? Audi. *Nec moror, quod alibi ipſe idem Auguſtinus alia quoque Apoſtolis adſcribat. Nam cum nihil præter coniecturas habeat, non debet ab ipſis de re tantum iudicium fieri*. Quæ eſſe cum hominibus iſtis diſputatio valet? Si quid carpere ex Patribus poſſunt quod ipſis in ſpeciem faveat, illud fide mala obtrudunt, & exaggerant. Cum luculenta Patrum teſtimonia opponimus, tunc illa riſu excipiunt. Quod de aqua luſtrali garrit ibidem Calvinus, mera impoſtura eſt, ut plurimi catholici Theologi demonſtrarunt.

XVIII. Opponit autem 1. Calvinus *loc. cit.* §. XIII. querimoniam eiuſdem S. Auguſtini ex epiſtola CXIX. ad Ianuarium ob multitudinem traditionum. *Conquerebatur Auguſtinus, quod ſuo tempore, neglectis Dei præceptis, tam multis præſumptionibus plena eſſent omnia, ut gravius corriperetur qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerat, quam qui mentem vinolentia ſepelierat*. Querimonia vera eſt; ſed

verſuta fraude de more Auguſtini ſenſa adulterat Calvinus. Integrum Auguſtini teſtimonium tranſcribere me cogit Calvini impudentia. Hæc itaque ſcribit Auguſtinus ſub finem prolixæ illius epiſtolæ. *Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur: tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino numquam inveniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubiiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta multa tolerat; & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

XIX. Solus Calvinus falſare, detruncare, & particulam ſolam obtrudere præfati teſtimonii potuit, iis omiſſis quæ illius iugulum petunt. Privatas huius, aut illius populi novas & inſuetas celebrationes, quæ aut ſuperſtitionem redolent, aut exceſſum produnt, deteſtatur Auguſtinus. Quotidie ſerpunt ſimiles abuſus. Quot populi ſibi peculiaria inſtituunt feſta, quæ exactius ſervare ſolent quam diem dominicam, quam univerſalis Eccleſiæ ſolemnitates? At numquid eiuſmodi abuſus probat Eccleſia Romana? Numquid tacet? Numquid non clamat?

XX. Opponit 2. Calvinus mendacia ſane impudentiſſima, nempe Catholicos traditiones omnes pro apoſtolicis venditare: inquit enim Lib. IV. cap. x. §. 19. *Quantum autem ab eo diſtat* (Auguſtinus) *quod Romanenſes Magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos cæremoniola quæ non pro apoſtolica cenſeatur.* Et *cap.* IX. §. 12. ſic contra Romano-catholicos furit. *At noſtri Romanenſes ubi in cauſæ ſuæ defenſione omnia rationis præſidia labaſcere ſibi vident, ad extremum illud miſerumque ſuffugium concedunt. Etiamſi mente, & conſilio ſtupidi ipſi ſint, animo vero, & voluntate nequiſſimi; manere tamen verbum Domini, quod Præpoſitis obedire iubet.* Has putidiſſimas calumnias, omnes quos legi, tum Lutherani, tum Calviniſtæ Catholicis incredibili fronte impingunt, iſtos ſcilicet indiſcriminatim traditiones omnes tamquam apoſtolicas ſuſcipere. Nec unum inter catholicos Theologos reperire licet qui a divinis & apoſtolicis traditionibus, humanas, & eccleſiaſticas non diſtinguat. Quod Calvinus iniuria ſumma Catholicis imponit, nos de Calviniſtis, & Lutheranis veriſſime fari poſſumus; nempe nullum eſſe religionis caput,

de

Digitized by Google

de quo illi a nobis diſſident, quod craſſiſſimis impoſturis non defendant. In qualibet de religione controverſia nos inter & illos commenta monſtroſa & paradoxa inaudita nobis affingunt; & hac via miſeram plebem in tenebris & umbra mortis detinent. Factum iſtud evidentiſſime demonſtrarunt innumeri Theologi noſtri, potiſſimum clariſſimus Boſſuetus.

CAPUT III.

Antiquæ Eccleſiæ traditiones Theologiæ chriſtianæ moralis cultoribus ſcitu opportunæ.

I. QUoniam de locis theologicis diſputatio noſtra eo pertinet, non ut litterario certamine lectores ad pugnandum inſtruat, ſed ut corda in primis emolliat, moreſque cum circa credenda, tum circa agenda formet; idcirco antiquarum traditionum eccleſiaſticarum aliquas, quæ pœnitentiæ peragendæ modum ſpectant, delibare breviter conſtitui. Celebres ſunt in Eccleſia traditiones, quæ tempore perſecutionis in Chriſtianos aut perſeverantes, aut lapſos, & poſt lapſum ad fidem reverſos obtinebant. Et primo conſtantes in fide, & ſtrenue tormenta, exilia, carceres, mortemque ſuſtinere parati, alii *Martyres*, illi *Confeſſores*, hi *Extorres* nuncupabantur. Qui vero a fide deſciſcebant, quia aut eam negabant, aut publice profiteri perterrefacti formidabant, aut idolis quoquo modo litabant, *Sacrificati*, *Thurificati*, *Libellatici*, *Traditores*, & abſolute *Idololatræ* dicti erant. Qui vero poſt lapſum cordis dolore tacti ad Eccleſiam redire, & inter pœnitentium album recipi enixe rogabant, pro conſtitutis publicæ peragendæ pœnitentiæ gradibus diverſis alii *Flentes*, alii *Audientes*, alii *Proſtrati*, alii *Conſiſtentes* vocabantur. Chriſtianos invicta fortitudine pro fide certantes deſcribit S. Paulus epiſ. ad Hebr. cap. XI. *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum .... Alii autem diſtenti ſunt .... alii vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ: & hi omnes teſtimonio fidei probati inventi ſunt.* Plura, quæſo, ibi lege, quæ non poſſunt cor non emollire, niſi marmoreum ſit. Omnes præfati viri alii *Martyres*, alii *Confeſſores*, alii *Extorres* dicebantur. AEtate noſtra, qui vitæ integritate Deum confitentur, appellantur *Confeſſores*; at primis Eccleſiæ ſæculis ii ſoli Confeſſores vocabantur qui ante perſecutorum tribunal addu-

du-

Digitized by Google

ducti, & quæſtione torti, intrepide fidem Chriſti confitebantur. *Extorres* illi erant qui fidei cauſſa aut ſponte, aut coacte exulabant.

II. *Lapſorum* nomine illi veniebant quos indicavi. *Sacrificati*, qui aut idolis victimas immolabant, aut de idolothytis guſtabant. *Thurificati*, qui iiſdem thus adolebant. *Libellatici*, qui aut clam fidem negabant, aut publice eam profiteri pertimeſcebant: ideo numerata pecunia a magiſtratibus ſecuritatis *libellos* obtinebant, ne fidei cauſſa impoſterum vexarentur. *Traditores* aut vaſa ſacra, aut fidelium catalogum, aut ſanctos codices comburendos tradebant.

III. Quoties ex his cuiuſcumque generis *lapſis* ad Eccleſiæ communionem redire aliqui volebant, clementia ſumma excepti pœnitentium numero accenſebantur. Quatuor erant publicæ pœnitentiæ ſtationes, *Fletus*, *Auditio*, *Subſtratio*, & *Conſiſtentia*.

IV. Statio *Flentium* collocata erat in porticu, ſeu templi veſtibulo, quo ad ſynaxes iter patebat. In hoc primo publicæ pœnitentiæ gradu conſtitutis aditus in Eccleſiam prohibitus erat. Ad ingredientium fidelium genua procumbentes, illorum precibus ſe commendabant, lacrymis & fletibus Eccleſiæ limen irrigantes. S. Baſilius *epiſ. ad Amphilochium* homicidæ voluntarii pœnitentiam deſcribens *canon.* 56. hæc habet. *Debet quatuor annis deflere, ſtans extra fores oratorii, & fideles ingredientes orans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuntians*. In hac eadem ſtatione collocat Tertullianus *Lib. de pudicitia cap.* IV. adulteros, & fornicatores. In hoc gradu pœnitentiam agentes palam crimina ſua flentes confitebantur. Ut primum ſtationem hanc ingrediebantur pœnitentes, lugubrem induebant veſtem, & poſito capillitio, cinere aſperſi, cilicioque conſtricti, toto corporis habitu ad pietatem compoſiti ante Eccleſiæ fores Dei, & fidelium miſericordiam implorabant. Vivis coloribus hunc pœnitentium gradum primum depingit S. Hieronymus *epiſ.* XXX. ad Oceanum, in qua Fabiolam nobilem matronam Romanam, quæ, adultero marito dimiſſo, alteri nupſerat, ignorans id divina lege vetitum, cum lex Imperatorum permitteret, his verbis deſcribit. *Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, iugo ſervitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur: & tota urbe ſpectante Romana ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? Quæ peccata fletus iſte non purget?* Ignorans peccavit hæc nobiliſſima matrona, quæ tam ſeveram egit pœnitentiam. Quid ſi ſcienter atque effrenate deliquiſſet?

V. *Audientes* ii pœnitentes dicebantur qui cantum Pſalmorum, Scripturæ ſan-

ctæ

Digitized by Google

ctæ lectionem, & Epiſcopi conciones audiebant. Locus *auditioni* huic deſtinatus, erat in portis Eccleſiæ hunc in finem ædificatus, ubi commode audire & Clerum pſallentem, & Epiſcopum concionantem poterant pœnitentes. Ad hanc ſecundam ſtationem, peracta prima, admittebantur. Locus iſte patebat nedum Audientibus, ſed etiam Iudæis, ſchiſmaticis, hæreticis, & catechumenis. Pœnitentes Audientes Eccleſia reputabat, veluti divinæ legis ignaros. Quamobrem illos iterum doceri fidei myſteria, & legis divinæ mandata curabat, ac ſi perpetrata flagitia ex illorum animis deleviſſent religionis notitiam. Qui Licinii perſecutione ſæviente lapſi erant, tribus annis in hac ſecunda ſtatione detinebantur; ut habetur ex Concilio Nicæno I. can. 11. *Tribus annis inter Audientes habeantur*. Immo ad plures annos interdum pœnitentia protrahebatur, ut colligitur ex Gregorio Nyſſeno, qui epiſtola ad Epiſcopum Metilinenſem de voluntarii homicidii reo poſt novem peractos annos pœnitentiæ in prima Flentium ſtatione, decernit: *Tot annos in Auditione permaneat, ſola Doctorum, & Scripturarum auditione dignus habitus.*

VI. Tertia pœnitentium ſtatio dicitur *Subſtratio*, ſeu proſtratio. Locus ſubſtratis pœnitentibus deſtinatus, intra Eccleſiam erat, a ianua ad ambonem uſque protenſus. *Ambo* altius eminebat orbicularis figuræ, unde Evangelium, & Dyptica legebantur, hymni, & pſalmi canebantur, & Epiſcopi conciones habebant. Plures annos in hac tertia ſtatione pœnitentes morabantur. Manus impoſitionem recipiebant, & benedictionem, & orationibus cum aliis fidelibus adſtabant. Verum ante incruenti ſacrificii oblationem expellebantur, ſolis fidelibus ceteris remanentibus. De proſtratis graviſſimi criminis ſontibus hæc decernit Concilium Ancyranum can. XVI. *Poſtquam quindecim annis ſubſtrati, ac ſupplices fuerint, communionem ad preces aſſequantur; deinde cum in communione quinque annis perſeveraverint, oblationem attingant.*

VII. Quarta demum pœnitentium ſtatio *Conſiſtentia* dicta fuit. Hoc nomen inde prodiit, & ſtationi huic impoſitum fuit, quod eiuſmodi pœnitentes in Eccleſia ſimul cum fidelibus conſiſterent, neque cum catechumenis ceteriſque expellerentur. Locus huic ſtationi deſtinatus ab ambone uſque ad ſanctuarium extendebatur. Communicabant cum aliis fidelibus in oratione, & incruento ſacrificio adſtabant; munera tamen ad altare non offerebant, atque adeo cum ceteris fidelibus Euchariſtiæ ſacramentum non ſumebant; ut ex Concilio Nicæno *can.* 11. colligitur. *Duobus annis ſine oblatione populo in oratione communicent.* Quare iſti *Communicantes* etiam, nedum *Conſiſtentes* appellati ſunt. Communicabant, inquam, in oratione, ſublato tamen iure ad oblationes, & ad Euchariſtiam. Hæc ſtatio varia pœnitentium genera comprehendebat. Qui levius peccaverant, aut etiam gravius, ſed maximam contritionem perhibentes, & ſponte Epiſcopum adeuntes, temperata ſacrorum canonum ſeveritate, interdum ad *Conſiſtentiam* mittebantur;

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti & illi qui inferiores pœnitentiæ ſtationes iam expleverant. Mulieres quoque nuptæ, adulterio pollutæ, huic ſtationi deputabantur, ut colligitur ex S. Baſilio *can.* XXXIV. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicas quidem, Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas tamen ſtare ſine communione iuſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.*

VIII. Quando pœnitentes, in prima *Flentium* ſtatione conſtituti, ferventis contritionis argumenta ſingularia perhibebant, neglectis aliis duobus gradibus, ad *Conſiſtentes* aſcendebant, Epiſcopis canonum ſeveritatem temperantibus. Hoc conſtat ex pluribus Conciliis, Ancyrano *can.* VI. Nicæno I. *can.* XII. ubi hæc habentur. *Quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant; hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.* Permiſſum itaque erat Epiſcopis ab *Auditione* ad *Conſiſtentiam* transferre pœnitentes, prætermiſſa ſubſtratione, quando tamen in pœnitentibus peculiaria emendationis ſigna apparebant.

IX. Ultimus pœnitentiæ ritus erat *exomologeſis*, quæ vox græca confeſſionem latine ſignificat. Non ſemper pro ſacramentali & auriculari, ſeu ſecreta accipitur; ſed interdum pro publica peccati commiſſi deteſtatione & dolore uſurpatur; ut ex Tertulliano, Cypriano, & aliis Patribus aperte colligitur. S. Cyprianus *epiſt.* XIII. ad Clerum Eccleſiæ Carthaginenſis ſcribit, urgente neceſſitate, exomologeſim fieri a lapſis pœnitentibus poſſe etiam apud Diaconum. *Si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint.* Diaconus autem poteſtate abſolvendi deſtitutus eſt; cum ſit hæc ſolis Presbyteris data. Vi iſtius exomologeſis pœnitentes reconciliabantur cum Eccleſia, peracta pœnitentia canonica; etiamſi nondum abſoluti a peccatis eſſent.

X. Manus ſuper pœnitentes imponebantur primo, dum lapſi admiſſi ad pœnitentiam erant. Secundo in feſtis ſolemnibus, in quibus Epiſcopus definitas precum formulas pronuntians, ſimul manus ſuper omnes pœnitentes extendebat. Tertio, quando a ſtatione tertia ad quartam tranſibant pœnitentes. Tum enim dabatur iis ſimplex reconciliatio, abſolutio a peccatis, & minor communio, qua cum ceteris fidelibus communicabant in precibus, in Miſſa, & ceteris omnibus, excepto iure ad oblationes, & ad Euchariſtiæ ſumptionem. Quarta demum manuum impoſitione ius impertiebatur ad munera offerenda ad altare, atque adeo ad Euchariſtiam ſumendam cum ceteris.

XI. Plura hic dicenda occurrerent de abſolutionis dilatione poſt impletam ſatisfactio-

Digitized by Google

factionem, & de eiuſdem abſolutionis conceſſione variis in caſibus, nempe imminentibus aut perſecutionis, aut mortis periculis, ante peractam ſatisfactionem. Immo quoties periculum erat ut capitalium criminum rei ad gentiles, vel hæreticos transfugerent, canonum ſeveritatem temperabant Epiſcopi pro circumſtantiarum diverſitate. Semper enim in Eccleſia lenitatis, clementiæ, & commiſerationis ſpiritus pœnitentiæ rigorem linivit, quoties pœnitentium ſalus id poſtulabat. Verum de his aliqua fuſius in tractatu de pœnitentia.

XII. Aliud clementiæ argumentum nobis exhibent *pacifici Martyrum libelli*, ſeu confeſſoriæ litteræ, quas impertiebant ſancti Martyres nondum paſſi, qui etiam *Confeſſores invicti* appellabantur. Candidati enim Martyres dicebantur illi qui Chriſti fidem profeſſi coram tyranno aut magiſtratu, ultimo ſupplicio deſtinati erant. Porro hi rogati a pœnitentibus lapſis, ſupplices ad Epiſcopos libellos dabant, implorantes, ut poſt ſuum diſceſſum deſignatis pœnitentibus inceptæ ſatisfactionis partem relaxarent, pacem, & communionem iiſdem donarent. Tanta erat erga hos Chriſti ſtrenuos Confeſſores martyrio proximos reverentia & veneratio, ut ad eorum ſupplices preces libellis iſtis exaratas continuo canonicæ pœnitentiæ partem remitterent, pacem & communionem donarent lapſis pœnitentibus. Ipſe S. Paulus Corinthiorum precibus rogatus inceſtuoſo contrito pœnitentiæ partem donavit, ut ille ipſe *II. Cor. cap.* 11. teſtantur. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti donavi.* Candidati Martyres carceribus incluſi Epiſcopos rogabant ut pœnitentes ad pacem, & communionem reciperent, remiſſa pœnitentia canonica quæ peragenda ſupererat. Hinc S. Thomas, ceterique Theologi noſtrarum indulgentiarum originem repetunt. Verum etiam tum temporis abuſus in eiuſmodi pacificis indulgentiæ libellis ſerpere cœperunt. Quoniam aliqui Confeſſores ſimplices, & ad indulgentiam compoſiti, ſine diſcrimine lapſorum importunitate ſuperati, præfatos libellos concedebant. Interdum etiam libelli dabantur non deſignatis lapſorum nominibus; qua de re ita conquerebatur S. Cyprianus *epiſt.* 11. ad Martyres data. *Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere, & emendare debetis, ut nominatim deſignetis eos quibus pacem dare deſideratis. Audio enim quibuſdam ſic libellos fieri ut dicatur: Communicet ille cum ſuis: quod numquam a Martyribus factum eſt.* Quos abuſus ut tollerent Epiſcopi, litteras *communicatorias*, ſeu confeſſorias, & formatas inſtituerunt; ut colligitur ex Concilio Illiberitano, an. 305. celebrato. Litteræ iſtæ communicatoriæ lapſis pœnitentibus dabantur ab Epiſcopis, ut palam fieret ab ipſis pacem, & communionem impertiri, non a Martyribus, ut aliqui imperiti exiſtimabant. Modo *communicatoriæ* dicebantur, quia per eas pœnitentes cum aliis fidelibus communicabant: modo *confeſſoriæ*, quia ad Confeſſorum ſeu Martyrum interceſſionem concedebantur: modo *formatæ*, quia ſub certis verborum formulis

con-

conceptæ, vocabantur, ſicut & *pacificæ*, quia per eaſdem pacem lapſi pœnitentes obtinebant.

XIII. Communio, cuius facta mentio eſt, generatim ſumpta, eſt illa communicatio qua ſinguli fideles in corpore myſtico, ſeu Eccleſia uniuntur, & mutuo communicant in religionis chriſtianæ myſteriis. Duplex eſt, laica una, eccleſiaſtica altera. Media quoque erat, quam vocabant *Peregrinam*. Sub Eccleſiæ initium obtinebat quoque communio *eulogica*, & *agapica*. Variæ ſunt de hac communione ſententiæ. Communio eccleſiaſtica a viris eccleſiaſticis ſuam arceſſit appellationem, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi &c. & cum ceteris fidelibus, & cum Eccleſia communicabant pro ordinum diverſitate. Quando Eccleſiaſticorum aliquis omnino de proprio gradu deponebatur, omni functione ſui ordinis privatus, ad laicam communionem relegatus erat.

XIV. Laicam communionem alii ſitam volunt in communicatione fidelium invicem & cum Eccleſia. Alii in communione euchariſtica ſitam contendunt. Quoniam laici ſuum proprium locum extra altaris cancellos & ſepta habebant, in quo Euchariſtiam ſumerent. Ex una parte viri, nempe ad meridiem, ex altera feminæ, videlicet ad aquilonem. Alii tandem, ut Bellarminus, nomine communionis laicæ intelligunt Euchariſtiæ ſumptionem ſub una tantum panis ſpecie. Quam opinionem communiter alii reiiciunt: quia tum temporis, quo canones communionis laicæ meminerunt, ſub utraque ſpecie laici Euchariſtiam ſumebant. *Communio peregrina* illa dicebatur quæ aliena erat a gradu quem aliquis prius occupabat; puta, dum Epiſcopus ob aliquod crimen ſuſpenſus erat a proprio gradu, & detruſus ad communionem Chorepiſcoporum, vel Presbyterorum; tum communio illa vocabatur *peregrina*, quia aliena a gradu epiſcopali.

XV. Communio *eulogica* ſpecies quædam communionis erat, quæ eulogiis, ſeu oblationibus benedictis in matrice Eccleſia conſtabat. Offerebant enim fideles panem ad altare ſolemniſſimis diebus, quem benedictum matrices Eccleſiæ mittebant ad parochias, ceteroſque fideles abſentes, villas, & pagos incolentes, ut foverent mutuam participationem, & communicationem omnium fidelium eiuſdem diœceſis cum Epiſcopo & matrice Eccleſia. *Agapica* communio erat quædam convivii ſpecies, ſeu cœna pauperibus & divitibus communis, a Chriſtianis in Eccleſia primis temporibus fieri ſolita feſtis quibuſdam diebus. Cœnam parabant ditiores, ut oſtenderent mutuam communicationem divites inter & pauperes. Primum ante communionem euchariſticam peragebatur ad Chriſti cœnæ imitationem; deinde poſt ſacramentalem communionem. Cœna iſthæc ſymbolum erat divinæ illius caritatis qua Chriſtiani complecti ſe mutuo debent. Tempore Apoſtoli Pauli iſtius cœnæ uſus obtinebat ante communionem euchariſticam. Eccleſia ob reverentiam debitam auguſtiſſimo ſacramento ſtatuit illud a ieiunis tantum ſumi. Heinc agapicum

Digitized by Google

picum convivium ab omnibus poſt euchariſtiæ ſumptionem celebrabatur. Verum cum nihil tam ſanctum ſit quod hominum infirmitate profanari nequeat, & abuſibus corrumpi, multiplicatis Chriſtianis, cœna hæc agapica, quæ ſymbolum erat caritatis, in corruptelam declinavit, & non unionem, ac mutuam ſocietatem, ſed diviſionem præferre incipiebat. Divites, dedignantes pauperum ſocietatem, ſeparatim ſua agapica convivia laute parabant, & eſurientibus pauperibus, mero ſe ingurgitabant, ventremque ſaturabant. Contra quam corruptelam ſic invehitur S. Paulus I. Cor. cap. XI. *Convenientibus ergo vobis in unum, iam non eſt dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Latius manavit poſt S. Paulum abuſus. Ideo an. 320. Laodiceni Concilii Patres agapes fieri in Eccleſia prohibuere can. XXVIII. *Non oportet in domiciliis divinis, ideſt in Eccleſiis, convivia, quæ vocantur Agapes, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus ſternere.* Severius conſuetudinem hanc vetuit Concilium Quiniſextum can. lxxiv. *Non oportet in dominicis locis, vel Eccleſiis caritates, quas vocant, facere, & intus in æde comedere, & accubitus ſternere. Qui hoc fecerint, ceſſent, vel excommunicentur.*

XVI. Has paucas traditiones ſeu conſuetudines primorum parentum noſtrorum referre libuit, ut heinc intelligant lectores mei, quam diſtet a primæva hodierna diſciplina. Audivimus pœnarum ſeveritatem, & diuturnam pœnitentiam quam peragebant non modo qui tormentorum metu idolis thus adolebant, ſed adulteri, fornicatores, homicidæ. Quid, ſi nunc ſævirent Nerones, Diocletiani, Domitiani? Quæ ieiunia, quæ cilicia, quæ flagella imponuntur ætate noſtra adulteris, fornicatoribus, publiciſque concubinariis? Suavior evaſit diſciplina noſtra. Pœnarum ſeveritatem Eccleſia ipſa temperavit, ſpiritu clementiæ ducta, & Dei lumine illuſtrata. At numquid ad Eccleſiæ mentem congruis ſatisfactionibus ſubiiciuntur peccatores? Mutata eſt exterior pœnarum ſeveritas; at ſpiritus pœnitentiæ immutabilis conſiſtit. Graviora ſane tunc non erant adulteria, & ſcortationes quam nunc; nec ſeverior tunc divina iuſtitia quam in præſentia. Mitior ſit penitentia, & ſatisfactio imponenda fornicatoribus, adulteris, periuriis; at proportionem ſaltem aliquam cum illa præferat. Si blanda ſunt opera laborioſa pœnitentium ætatis noſtræ, ferventior ne ſaltem eſt contritio cordis, animique humiliatio? Hæc blandior diſciplina cautiores ne Chriſtianos reddit? Ideo enim Eccleſia, Spiritu divino afflata, pœnitentiæ exterioris rigorem delinivit, ut facilius ſuccurreret humanæ infirmitati. Fideles, qui ex benignitate Eccleſiæ anſam arripiunt peccandi, illius abutuntur miſericordia; & quæ ipſa in ſanctum finem ordinavit, detorquent iſti in propriam damnationem. Minori pretio non vendit Deus tempore noſtro

quam

Digitized by Google

quam primis Eccleſiæ ſuæ ſæculis æternam mercem: eadem nunc ac tunc miſericordia, & iuſtitia. Ob oculos ergo verſentur antiqui canones, ut in præfiniendis ſatisfactionibus aliqua ſaltem appareat ſimilitudo cum antiqua Eccleſiæ diſciplina. Eodem quippe ſpiritu ducta ſancta mater Eccleſia & antiquum rigorem, & hodiernam benignitatem ordinavit, ut ſcilicet fideles a peccatis abſtineant, & poſt patrata peccata facilius reſipiſcant. Faceſſant illa monſtroſa paradoxa novorum quorumdam Theologorum, aientium: *Facilius nunc peccata dimittuntur quam committantur*. Idem Deus olim & nunc, qui peccata dimittit. Verum de hoc obiter occaſione antiquarum traditionum, quas delibavi; fuſius vero in tractatu de pœnitentia.

C A P U T IV.

De Eccleſia, quæ eſt tertius locus unde Theologus ſuas repetit concluſiones tum in fidei articulis, tum in morum præceptis.

I. VEritatem diſpiciendam aggredior omnium graviſſimam, natura ſua luculentiſſimam, ſed hominum diſſidiis impeditiſſimam. Non modo adverſus hæreticos tranſalpinos, qui chimæricam ſibi effingunt Eccleſiam, verum etiam contra Caſuiſtas non paucos, qui S. Romanæ Eccleſiæ documenta pro morum & collapſæ diſciplinæ reformatione aut extenuant, aut captioſis inventis deludunt, diſputandum mihi eſt. Theologi catholici volumina edidere plurima quibus heterodoxorum commentis profligatis catholicæ Eccleſiæ dotes, privilegia, auctoritatem, indefectibilitatem, atque perpetuitatem perſpicue, luculenterque demonſtrarunt. Pauca, ego, prout inſtituti mei ratio poſtulat, delibabo, quæ imbuendis Theologiæ chriſtianæ candidatis opportuna iudicavero. Fidei, morumque regula verbum divinum ſcriptum & traditum eſt. Verum regula hæc, muta cum ſit, non valet controverſias, quas hominum ingenia excitant, ſeipſa dirimere, liteſque componere, Idcirco neceſſarius iudex eſt, qui mutæ ſcripturæ ſenſa pro temporum opportunitate interpretetur. Quem iudicem Eccleſiam catholicam eſſe infra palam faciam. Nunc primum omnium explicandus eſt ſymboli articulus: *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam*.

§. I.

Digitized by Google

§ I.

Quid ſit Eccleſia, & quibus conſtet.

I. Eccleſia nomen Græcum eſt, quod latine *convocationem* ſignificat. Eccleſia univerſe accepta hoc pacto finiri poteſt: *Multitudo hominum in unum conſentientium.* Quæ generica definitio comprehendit quamlibet Eccleſiam, iniquam, & ſanctam. Nam multitudo iniquorum conſentientium in malum dicitur *Eccleſia malignantium* Pſal. xxv. Multitudo hominum conſentientium in ſanctitatem *Eccleſia Sanctorum* nuncupatur *Pſal.* cxlix. Quamvis autem, ſi genericam vocis ſignificationem attendamus, ad quemlibet cœtum extendi Eccleſiæ nomen poſſit; tamen iuxta communem & Scripturarum, & Doctorum morem Eccleſia ſignificat cœtum fidelium conſentientium in fidem unius Dei, qui cœtus Dei Eccleſia appellatur. Ideo autem Eccleſia Dei convocatio dicitur, quia nemo hanc ingreditur ſocietatem, niſi vocatus a Deo ſit. Quapropter S. Paulus hanc Dei vocationem frequenter inculcat Eccleſiæ Romanæ: *Omnibus qui ſunt Romæ, vocatis ſanctis*: & ſcribens ad Corinthios inquit: *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, vocatis ſanctis... Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius Ieſu Chriſti.*

II. Hæc Dei Eccleſia initium ſuum repetit ab Adam, & non interciſa temporum ſerie duravit, durabitque uſque ad ſæculorum conſummationem. Tres dumtaxat ſtatus ſubiit, nempe ab Adamo uſque ad Moyſem, a Moyſe uſque ad Spiritus ſancti miſſionem ſuper Apoſtolorum collegium; tertius tandem ſtatus *ſub gratia* eſt, a miſſione nempe Spiritus ſancti uſque) ad mundi finem. In veteri lege fidelium ſocietas modo *Eccleſia*, modo *Synagoga* appellatur. *Synagoga* congregationem ſonat. Congregari autem & pecora & beſtiæ ſolent; convocari vero homines tantum valent. Quare ipſo nomine ſupra ſynagogam Chriſti Eccleſia, quæ numquam ſynagoga dicta fuit, excellit; ut animadvertit Melchior Cano *Lib. IV. cap.* 11. & poſt ipſum Bellarminus *Lib. III. de Eccleſ. milit. cap.* 1. Ceterum in quocumque ſtatu cœtus fidelium Eccleſia dicta eſt; ſed hoc nomen peculiari titulo Chriſtianorum ſocietas ſub ſtatu gratiæ ſortitur.

III. Porro Eccleſia ſub hoc gratiæ ſtatu deſcribi hoc pacto poteſt: *Eſt hominum ſocietas ad Chriſti fidem vocata, quæ interius vivificatur fide, ſpe, & caritate, exterius vero regitur eiuſdem chriſtianæ fidei profeſſione, ſacramentorum communione, divini verbi prædicatione a legitimis Paſtoribus ſub uno viſibili capite in terris Chriſti Vicario, & ſancti Petri ſucceſſore.*

IV. Hoc Eccleſiæ nomen interdum ſumitur pro ipſa materiali domo Deo dicata, quo fideles conveniunt; & ſub hac acceptione locutus eſt Chriſtus Matth. xxi. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Aliquando pro quacumque locali fidelium

Digitized by Google

delium congregatione, de qua inquit Paulus I. Cor. cap. XI. *Primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo .... Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Tandem Eccleſia accipitur pro deſcripta fidelium ſocietate, & hoc in ſenſu S. Paulus loquitur, dum ad Galat. cap. I. inquit: *Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.*

V. Eccleſia ultimo in ſenſu accepta ſpectari ut ædificium ſpirituale, ſeu ut corpus morale poteſt, cuius anima eſt fides, ſpes, caritas; ceteræ autem virtutes, & ſancti Spiritus dona ſunt eiuſdem animæ ſplendidiſſima ornamenta. Externa huius corporis membra ſunt ſacramentorum participatio, fidei chriſtianæ profeſſio, divini verbi prædicatio ſub legitimis Paſtoribus, unoque capite Romano Pontifice. Quemadmodum vero in corpore phyſico humano quædam ſunt membra quæ anima vivificantur; quædam quæ in corpore quidem includuntur, ceteriſque partibus hærent, minime tamen anima informantur, ut ungues, ſaliva, pili, aliique humores: ita contingit in morali Eccleſiæ corpore. Alii Chriſtiani non modo fidelium ſocietati communicant in exteriori ſacramentorum participatione, verum etiam in fide, ſpe, & caritate eidem coniunguntur. Et hi non ſolum ſunt in corpore, ſed etiam anima Eccleſiæ vivificantur, & dicuntur membra viva eiuſdem, ſuntque tum interius, tum exterius in Eccleſia. Cathecumeni poſſunt eſſe interius in Eccleſia, ſi fide, ſpe, & caritate vivant; at de corpore Eccleſiæ exterius non ſunt. Similiter ſi qui eſſent iniuſte excommunicati, interius de anima Eccleſiæ participarent, quamquam exterius præciſi forent. Quidam vero ſunt qui extrinſecus cum aliis fidelibus fidem profitentur, ſacramenta ſuſcipiunt; ſed interius non modo caritate deſtituti ſunt, ſed reiecta fide, & ſpe, Atheiſmum, Deiſmum, hæreſim, vel Iudaiſmum profitentur. Hi ſunt de corpore Eccleſiæ, ſed extra illius animam, ſicuti pili, ungues, & cetera excrementa, quæ humano corpori hærent, illudque ſæpe plus minuſve deformant, deturpant, inquinantque.

VI. De his qui exterius tantum ſunt in Eccleſia, Patres quandoque adfirmant, quandoque negant eſſe in Eccleſia, ut S. Auguſtinus *Lib. IV. contra Donatiſtas cap.* III. inquit: *Diſcedite a me qui operamini iniquitatem. Videntur eſſe in Eccleſia, ſed non ſunt, immo & contra Eccleſiam faciunt.* Similia aſſerunt interdum alii Patres. Quoniam has voces *Corpus Eccleſiæ*, *Corpus Chriſti*, *Eccleſia*, aliquando accipiunt pro ſocietate vinculo caritatis ſecum & cum Chriſto coniuncta; aliquando eaſdem uſurpant pro ſocietate eorum qui exteriori tantum fidei profeſſione, & ſacramentorum participatione coniunguntur. Priori in ſenſu negant impios & iniquos eſſe Eccleſiæ membra; in poſteriori adfirmant, ut colligitur ex *cit. loc.* Auguſtini, ſi integer legatur, & ex innumeris aliis locis tum eiuſdem S. Auguſtini, tum aliorum Patrum. Immo ipſa ſacra Scriptura pluribus parabolis nobis exhibet

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam bonos, & malos concludentem. Nam *Matth.* III. illam comparat areæ granum, & paleam complectenti; & *cap.* XIII. illam aſſimilat *ſagenæ* miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti; & *cap.* XXV. eam repræſentat in decem virginibus, quarum quinque fatuæ erant. Igitur iuxta Scripturam divinam, & Patres abſolute in Eccleſia ſunt omnes qui in ea fidem Chriſti confitentur, & chriſtianæ religionis ſacramenta exterius participant; tametſi intrinſecus iniqui ſint, & fidem ipſam reiiciant.

VII. Hinc patet, quam turpiter aberraverint Cathari, & Donatiſtæ, qui omnes eos ab Eccleſia excludebant qui aliqua culpa infecti eſſent. Quorum error aperte pugnat cum divina Scriptura. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* Ioan. I. cap. I. Non minus craſſus error eſt Ioannis VViclefi, & Ioannis Hus, damnatus in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* XV. excludentium ab Eccleſia omnes reprobos. Obtrudebant illud *Ioan. I. cap.* II. ubi dicitur: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Vi iſtius particulæ, *non erant ex nobis*, excluſos ab Eccleſia reprobos contendunt. Sed errant manifeſte: nam præfata verba ſolum ſignificant illos qui foras prodiere, non fuiſſe de numero electorum. Sed priora verba perſpicue declarant fuiſſe illos in Eccleſia. *Ex nobis*, inquit Ioannes, *prodierunt*, nempe ex noſtra ſocietate, ex corpore Eccleſiæ noſtræ. Verum quia membra mortua erant, ab arbore vitæ reciſa fuere. Nec confutatione indiget error ſeipſo corruens.

VIII. Hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, ſunt extra Eccleſiam, ut ex dictis patet. Pueri ab hæreticis baptizati ſunt in Eccleſia: quia per baptiſmum eiuſdem membra facti ſunt. Baptiſma enim, quod receperunt, non hæreticorum, ſed Eccleſiæ eſt, quæ in illo conferendo miniſterio utitur hæreticorum. Non ergo ab hæreticis, ſed ab Eccleſia matre regeniti ſunt, & eiuſdem filii permanent, donec per propriam voluntatem ab eadem ſe ſeparaverint. Ante rationis uſum inter hæreticos degunt materialiter. Cum primum rationis uſum adepti fuerint, tum propria deliberatione aut hæreticorum ſynagogæ adhærent, aut ab eadem recedunt. Alii tardius, alii citius iuxta diverſitatem ingenii, educationis, inſtructionis hoc lumen, quo Eccleſiam catholicam inter hæreticas ſocietates diſcernere valeant, aſſequuntur. Hæc autem ſunt tremendiſſima myſteria, quæ ipſum Paulum Apoſtolum terrore, & ſtupore replebant; at non propterea minus vera. Tempus dumtaxat quo rationis lumen illis aſſulgeat, definiri a nobis nequit. Ceterum cum illud aſſecuti ſunt, & deliberata electione adhærent ſectæ hæreticæ, hæretici fiunt, & ab Eccleſia matre, quæ illos regenuit, ſponte libereque deſciſcunt.

Digitized by Google

§. II.

Notæ, ſeu dotes veræ Eccleſiæ ſunt hæ quatuor: Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.

I. SA. Paulus *Epheſ. cap.* IV. his verbis unitatem Eccleſiæ deſignat: *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.* Una eſt *unitate corporis*, qua fideles unam conflant ſocietatem, cuius ipſi ſunt partes, & membra. Unum corpus: ergo *unum caput*. Ubi enim corpus, ibi & caput: & ſi unum eſt corpus, unum quoque ſit & caput oportet. Eſt *una* unitate ſpiritus, qui univerſum corpus animat & vivificat. Eſt una *unitate ſpei*, quia omnes fideles ad eamdem vitam æternam vocantur. *Unitate Domini*, omnes quippe eumdem Dominum noſtrum Redemptorem adorant. *Unitate fidei & doctrinæ*, quia omnes eamdem doctrinam, idem Evangelium profitentur. *Unitate baptiſmi, aliorumque ſacramentorum:* etenim omnes eodem baptiſmate regenerantur, & iiſdem ſacramentis reficiuntur, & roborantur. *Unitate Dei*, quia omnes unum Deum colunt. Tandem *unitate Patris* una Eccleſia eſt, quia omnes ceu filii amore fraterno coniuncti unum Deum Patrem adorant, & reverentur.

II. Hanc unitatem vix negare hæretici Lutherani, & Calviniſtæ audent. Unum corpus, unum ſpiritum, unam fidem, unam ſpem, unum Deum, unum denique caput ultro admittunt. Verum de hoc capite controverſia tota vertitur. Caput iſtud ſolum Chriſtum in cælo regnantem illi eſſe verbis aſſerunt; at reipſa negant, cum Chriſto manifeſte teſtanti ſe Eccleſiæ ſuæ caput *Petrum* inſtituiſſe, fidem perfracte adhibere recuſent. Viſibile Eccleſiæ corpus conſtituit Chriſtus: ergo viſibile caput eidem præfecit. Ratio id evinceret, etiamſi Scripturæ, quæ factum aperte demonſtrant, deeſſent. Perpetuam enim Eccleſiam ſuam voluit eſſe Chriſtus. Ergo qua ratione Petrum ſupremum in terris paſtorem eſſe voluit, eadem morienti Petro ſubſtituit ſucceſſorem, & huic alterum uſque ad mundi conſummationem.

III. Confirmare omnium cuiuſque ſæculi Patrum teſtimoniis hanc veritatem poſſem; ſed cum id præter inſtitutum meum ſit, pauca dabo. S. Irenæus *Lib. III. adverſ. hæreſ. cap.* III. hæc docet. *Ad hanc Eccleſiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.*

IV. S. Cyprianus *Lib. de unitate Eccleſiæ* hæc ſcribit. *Super illum UNUM* (Petrum) *ædificat Eccleſiam ſuam, illi paſcendas mandat oves ſuas: & quamvis Apo-*

ſtolis

Digitized by Google

ſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum *&c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis eiuſdem originem ab UNO incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis. Sed exordium ab UNITATE proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra UNA monſtraretur .... Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

V. S. Optatus Milevitanus *Lib. II. contr. Parmen.* ſic eumdem aggreditur. *Negare non potes ſcire te, in urbe Roma Petro primo cathedram epiſcopalem collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum CAPUT Petrus, unde & Cephas appellatus eſt; in qua UNA cathedra UNITAS ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.*

VI. S. Hieronymus *epiſ. ad Damaſ.* hæc habet. *Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

VII. Hæc pauca retuliſſe ſufficiat, non ut Lutheranos, Calvinianoſque propriæ cæcitatis revincerem: nihil enim tam luculentum eſt quod cæci homines in diſcrimen adducere vereantur; ſed ut palam facerem, quam ſit Catholicorum doctrina perſpicua, evidens, & ineluctabilis.

VIII. Altera Eccleſiæ dos eſt *Sanctitas*. Et primum Sancta Eccleſia dicitur, quod Deo conſecrata eſt, ut declarat S. Paulus ad *Epheſ. cap.* I. ubi aſſerit eam ſibi Deum elegiſſe *a conſtitutione mundi, ut eſſet ſancta, & immaculata in conſpectu eius*. Quam dotem uberius explicat cap. V. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibiglorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Sancta rurſus dicitur, ob ſanctitatem doctrinæ quam profitetur, & a capite ſancto, quod eſt Sanctus ſanctorum inquit *loc. cit. cap.* IV. S. Paulus. *Ex quo corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Idque confirmat *I. ad Cor. cap.* VI. ex inhabitatione Spiritus ſancti, qui eam regit, & vivificat. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo?*

IX. Sancta denique Eccleſia vocatur ob ſanctitatem quæ in præcipuis illius membris refulget. Iactant & miſeri Lutherani, Calviniani que ſanctas ſuas Eccle-

Digitized by Google

ſias ob ſanctitatem capitis Chriſti, ſacramentorum, doctrinæ, & Spiritus ſancti. At ſanctitas iſta imaginaria, & chimærica eſt, quæ duorum ſæculorum intervallo nullum peperit effectum, nullum ſanctum virum effecit, nulloque manifeſto miraculo ſe comprobavit. Contra Eccleſia catholica a ſui exordio ad hæc uſque tempora innumerabilium virorum ſanctitate coruſcat. Et ut mittam priora ſæcula, Bernardum ſanctum fuiſſe nec ipſe Calvinus negare audet. An negabunt Dominicum, Franciſcum, Antonium Patavinum, Bonaventuram, Vincentium Ferrerium, Franciſcum Xaverium, Franciſcum Saleſium, alioſque plurimos inſigni ſanctitate reſplenduiſſe? Effutient ne ex innumeris miraculis ab his viris Dei patratis, & tam ſevere diſcuſſis, nec unum eſſe verum? Qua facilitate cetera evidentia facta inficiantur, eadem & iſtud negare poſſunt. At dum talia negant quæ ab innumeris teſtibus iuratis fide digniſſimis adfirmantur, humanam tollunt ſocietatem, & humani generis hoſtes ſe produnt. Nobis autem ſufficit vel unum verum Sanctum, unumque verum miraculum patratum ad confirmandam Sancti alicuius doctrinam, aut mores in Eccleſia catholica exiſtere, ut inferre iure valeamus veram eſſe Eccleſiam noſtram, in qua eiuſmodi Sanctus vixit.

X. *Catholica* græce, *univerſalis* latine Eccleſia Chriſti nuncupatur triplici titulo. Primo ratione *doctrinæ*, qua omnes omnino errores damnantur, & in quam omnes fideles ſemper, & ubique conſentiunt. Secundo ratione *temporis*, quia ſemper uſque ad mundi finem durabit. Tertio ratione *loci*. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: Marc. cap. XVI. Nec requiritur eodem tempore ad omnia regna terræ illam extendi; immo Chriſtus ipſe prædixit religionem de regno in regnum ob fidelium ſcelera tranſituram. Quod & opere completum vidimus. Ab oriente in occidentem immigravit. A ſeptentrione a duobus ſæculis diſceſſit, & ad alia tranſivit regna.

XI. Plura obiiciebant Donatiſtæ adverſus hanc Eccleſiæ univerſalitatem. Et primo quidem Enoch, Noe, Loth, Abraham, Iſaac, & Iacob cum paucis conflaſſe variis temporibus Eccleſiam: decem tribus apoſtataſſe: cum Chriſto duodecim remanſiſſe Apoſtolos, ceteris deſciſcentibus. Quibus reſpondet Auguſtinus de unit. Eccl. cap. XIII. *Ecce nos omnia illa credimus: credant & illi quod ait Dominus: Prædicari in nomine ſuo pænitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Ieruſalem: credant quod aſcenſurus in cælum noviſſime dixit*: Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & uſque in totam terram. *Et illa, & iſta vera eſſe credantur; & nulla inter nos contentio remanebit: quia nec illis veris iſta, nec iſtis veris illa impediuntur*. Vide ibi plura. Reponebant Donatiſtæ, ſe credere fuiſſe Eccleſiam per totum diffuſam orbem; at ſubdebant: *Poſtea orbis terrarum apoſtatavit, & ſola remanſit Donati communio*, ut narrat *loc. cit.* Auguſtinus. Quibus ſic reſpondet ibidem. *Hoc nobis legant, ſicut legunt*

Digitized by Google

legunt de Enoch, de Noe, & de Abraham, Iſaac, & Iacob, & de illis duabus tribus quæ, decem ſeparatis, reliquæ factæ ſunt, & de duodecim Apoſtolis, qui ceteris apoſtatantibus remanſerunt, perſuadere conantur. Credo illa, quæ in Scripturis ſanctis leguntur: non credo iſta, quæ ab hæreticis vanis dicuntur .... & ſicut maniſeſtiſſimis teſtimoniis aſſeruimus Eccleſiam Dei toto orbe diffuſam, ſic & ipſi maniſeſtum aliquid proferant, unde oſtendant eſſe prædictum, ceteris gentibus a ſide Chriſti pereuntibus, ſolam Africam remanſuram, ut quocumque Epiſcopi ex Africa mitterentur. Tandem cap. XIX. *Neque enim tot teſtimoniis commendaretur quod erat cito periturum, & ſic taceretur aut quod ſolum eſſet relinquendum, aut ex quo ſolo totum eſſet reparandum, & implendum*. Legant, & confundantur, Lutherani innumera illa teſtimonia Scripturarum, quæ larga manu in medium *cit. lib.* promit Auguſtinus, quibus Eccleſiæ univerſalitatem evincit. Legant paradoxa Donatiſtarum, quæ refert Auguſtinus, & invenient illa ipſiſſima eſſe quæ illi in præſens recocta obtrudunt Eccleſiæ Catholico-Romanæ.

XII. Exaggerabant Donatiſtæ, Eccleſiam tempore Arianorum non fuiſſe toto orbe diffuſam: idque potiſſimum opponebat Auguſtino Vincentius Rogatiſta, ut conſtat ex *epiſt.* XCIII. olim XLVIII. Hoc idem factum concrepantibus buccis amplificare & obtrudere *Lutheranos* & *Calvinianos* noſtros minime pudet, poſtquam penitus contritum eſt ab Auguſtino, a Hieronymo, & ceteris Patribus, & a tot noviſſimis Scriptoribus, potiſſimum a celeberrimo BOSSUET. Pauca ex *cit. epiſ.* Auguſtini reſcribam. *Tale tunc erat tempus, de quo ſcripſit Hilarius, unde putaſti inſidiandum contra tot teſtimonia divina, tamquam perierit Eccleſia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Eccleſias Galatiæ tunc fuiſſe, quando dicebat Apoſtolus:* O ſtulti Galatæ *&c. Quis enim neſcit illo tempore OBSCURIS verbis multos parvi ſenſus fuiſſe deluſos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant: alios aut timore ceſſiſſe, & ſimulate conſenſiſſe, non recte ingredientes ad veritatem Evangelii: quibus tu poſtea correctis, ſic, quemadmodum notum eſt, nolles ignoſci? Prorſus non noſti* (arrigite aures o Lutherani, & Calviniani) *litteras Dei. Lege enim quid de Petro ſcripſerit Paulus, & quid inde etiam ſenſerit Cyprianus, & non tibi diſpliceat Eccleſiæ manſuetudo, quæ membra Chriſti diſperſa colligit, non collecta diſpergit. Quamquam & illi qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione multorum, ſed tamen etiam ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant: ac ſic Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit in frumentis dominicis, conſervata eſt, & uſque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conſervabitur. Ipſa eſt igitur Eccleſia in bono ſemine, quod ſeminavit Filius hominis, & uſque ad meſſem creſcere zizania pronuntiavit. Ager autem mundus eſt. Meſſis finis eſt ſæculi. Hilarius ergo decem provinciarum &c.* Legatur integra epiſtola.

XIII. Si qua frons Lutheranis & Calvinianis ineſſet, ſola hæc S. Auguſtini epiſtola obſtruere illorum ora deberet. Verum, ut alias dixi, hæc eſt obſtinatorum hominum conſueta cæcitas, ut Solem in meridie lucere negent. Ne gratis illis imponere videar, audias velim quæ ad hanc epiſtolam reponit *Michael Le Vaſſor* in ſuo libello inſcripto *Traité de la maniere d'examiner les differens de religion* : inquit enim *cap.* VIII. *pag.* 286. *& ſeq.* „ Nihil officii Auguſtino debiti me „ diminuere exiſtimo, ſi eadem ego menſura illum metiar qua menſus ipſe Cy„ prianum eſt. Cæco ille obſequio haud ſuſcipiebat clarorum virorum qui ipſum „ præceſſerunt, ſententias. Eiuſdem ergo nos, quemadmodum ille aliorum inter„ pretationes, expendere iure valemus. Si tempora, ſi circumſtantias, in quibus „ ille ingentem librorum numerum ſcripſit, ſi rationem eoſdem conſtruendi, ſi „ varios eiuſdem adverſarios conſideremus; æqui rerum æſtimatores ratum habe„ bunt, fieri haud potuiſſe ut ille continuis poſt ſuſceptum Epiſcopatum curis diſ„ tentus, exactus in ſcribendo fuerit. Dogmate Trinitatis excepto, S. Auguſti„ nus nullum diſpexit argumentum eo ſtilo qui adhiberi ſolet, dum animo pa„ cato, & poſt diuturnam meditationem aliquod dogma exponitur. Vix umquam „ calamum arripuit, niſi ut pugnaret contra Manichæos, Donatiſtas, & Pelagia„ nos. Dum mortem oppetiit, contra moleſtum adverſarium, qui valde illum „ premebat, certabat. Porro S. Hieronymus animadvertit valde differre metho„ dum qua opus polemicum, ab ea qua opus dogmaticum ſcribitur." Teſtimonium Hieronymi in hanc rem tranſcribit. Poſt ex eodem Hieronymo obſervat, Scriptores tum profanos, tum eccleſiaſticos hac Auguſtini impedita ſcribendi ratione in controverſiis uſos ſemper eſſe. Auctoritatem adiicit Athanaſii contra Arianos, & Theodoreti adverſus Eutychianos. In ſcenam reducit Ianſeniſtas, qui aliter ac anteceſſores opera Auguſtini de gratia interpretati ſunt. Ne multa: acutiſſimus iſte Proteſtantium Scriptor, in parvo opuſculo graviores de religione controverſias diſpiciens (quod fieri niſi conciſo preſſoque ſtilo nequit) ubique Catholicorum argumentis ad incitas redactus extra chorum canere, diſputationis limites tranſilire cogitur. Ut ineluctabilia Auguſtini teſtimonia ex citata epiſtola ad Vincentium deprompta aliquo modo declinet, veluti transfuga ſe recipit, quo? Ad methodum qua ſcribi opera polemica & dogmatica debent. Qua de re plura infarcit, pluresque parvi opuſculi paginas implet. Poſt elatis cothurnis & contracto ſupercilio ſolidiſſima Arnaldi, Nicolii, & clariſſimi Boſſueti ratiocinia, ut ineptas argutationes, ſuperbiuſcule reiicit. Nec mirum, ſi luculentiſſima Auguſtini argumenta contra Donatiſtas, ut paradoxa æſtu diſputationis parta, deridenda propinet. Otio & litteris abuterer, ſi hominis iſtius cavillationes refellere vellem. Hæc pauca obiter indicavi, ut ex ungue leonem inferas. Fortaſſe infra pauca alia ex eodem ſimilia, & magis etiam ridicularia dabo. In ſemitam revertor.

XIV.

Digitized by Google

XIV. *Apoſtolica* denique appellatur Eccleſia: tum quia a Chriſto per Apoſtolos fundata eſt & propagata: tum quia in ea eſt Epiſcoporum ſucceſſio, a temporibus Apoſtolorum numquam interrupta, & numquam interrumpenda: tum denique quia iſtorum miniſterio Apoſtolorum doctrina immaculata cuſtoditur.

CAPUT V.

De Eccleſia viſibili, indefectibili, & falli neſcia. Ipſa eſt legitimus de religione controverſiarum iudex. Proteſtantes, conſtituentes ſolam Scripturam eſſe iudicem controverſiarum fidei, neceſſario in proprias Eccleſias admittere coguntur omnes ſectas, ſchiſmaticas, & hæreticas, non modo chriſtianas, ſed vel ipſam ſynagogam iudaicam.

I. SApienter de more Melchior CANO *Lib. III. de loc. theolog. cap.* 11. his verbis ſuam auſpicatur orationem. „ Ego vero cum Lutheranis quotieſcumque „ me comparo ad differendum, repente a me avertitur oratio mea, & omnis ſtatim mihi diſputandi ratio tollitur. Quo namque conſilio adverſus hoc diſputare „ aut debeam, aut poſſim, qui cum omnia Theologiæ principia tollunt, tum una fere ſola aſſeverandi audacia utuntur, quæ illis perpetua eſt, pro locis dialecticis, theologiciſque omnibus? Quid ego contra hos ſcribam, qui nullam in „ Eccleſia legem eſſe volunt, per quam Scripturæ ſenſa finiantur; ſed ſuo cuique „ ingenio eſſe utendum: nec id ſentire oportere quod alii ſenſerint, ſed quod ratio propria præſcripſerit? Quid autem ſtultius quam cum eo diſputare qui nihil „ admittit niſi Scripturæ verba; ſed huius interpretationem ſibi uni reſervans, reliquos omnes exiſtimat miris modis hallucinari? Machumetus, ne, ſi res eſſet „ via & ratione explorata, in male ſuſcepta cauſſa cedere cogeretur, omnem „ diſputationis aditum lege ſuis edita præcluſit. Et Lutherus differendi principia „ ſuis univerſa tollens, ſi diſputationem inſtituat, nec aditum, nec exitum poterit reperire. Perinde enim eſt, Scripturas ſolas ſine lege, & pro cuiuſque interpretatas arbitrio accipere, ac ſi nullum fixum certumque differendi principium „ acceperis. Quapropter miſeri Lutherani haud ſecus atque Saraceni nec ſuas, nec „ magiſtri poſſunt ineptias deprehendere: nec nos cum iis differendo aliud poſſumus quam tempus & operam ludere. Qui tamen haberent ius ſuum diſputandi, ſi principiorum aliquem delectum reliquiſſent, ut ad veritatis inventionem „ aditus eſſet. Nunc autem nulla principia relinquunt. Vana igitur cum eis erit „ & futilis diſputatio. Omnino enim meminiſſe debemus id quod ab ſcholaſticis

„ ſæ-

„ ſæpiſſime uſurpatum, iam quaſi in proverbii conſuetudinem venit: contra ne-„ gantem principia, quoniam fruſtra id fiat, non eſſe diſputandum."

II. Non itaque conviciandi, aut inſultandi animo mihi vertatur, ſi dixero, Lutheranorum, & Calviniſtarum hæreſim quacumque alia ſecta ſtolidiorem eſſe: quoniam hoc evincunt illorum portentoſa, & a ſæculis inaudita paradoxa. Verſutior Luthero, Calvinoque Mahumetes fuit, eiuſque ſyſtema minus communi ſenſui adverſatur. Cæcum obſequium in religionis negotio poſtulavit a ſuis aſſeclis, & quamlibet diſputandi viam lege ſevera id vetante præcluſit. Hoc præſidio cavit ne ſua vana agnoſcerentur commenta, unoque obedientiæ pallio iniquæ legis fraudem obtexit. At eo dementiæ prolapſi Lutherus, & Calvinus ſunt, ut facultate ſuis conceſſa libere de religione diſputandi, iudicem finiendæ litis ſuſtulerint omnem, ipſoſque diſputantes ſuſceptæ litis iudices privato ſpiritu actos voluerint conſtituere. Quod ſane delirium nemini cuiuſcumque prudenti reipublicæ inſtitutori in mentem venit. Vel ipſi Ethnici Romani ſuum Pontificum collegium habebant, finiendis de religione controverſiis deſtinatum. Scripturæ ſanctæ tribunal, ad quod Proteſtantes appellant, mutum eſt. Quamquam luculenta Scriptura ſit, eam tamen varia hominum ingenia diverſa in ſenſa detorquent: neque Scriptura, muta cum ſit, ferre iudicium valet, quiſnam diſputantium ſcopum attingat.

III. Quæ cum ita ſe habeant, rogabis, quid cauſſæ ſit cur controverſiam, quam tot erudititiſſimi, atque doctiſſimi Theologi pro dignitate illuſtrarunt, ſub examen induxerim? Ut viam mihi pararem ad ea patefacienda abſurda quæ nimiam de morum integritate diſputandi libertatem conſequuntur. Aberrant in contrarias ſciſſi partes miſeri Proteſtantes, quod audire Eccleſiæ iudicium in fidei controverſiis refugiunt. Aberrent profecto & illi neceſſum eſt qui de morum honeſtate diſputantes Eccleſiæ decreta aut captioſis interpretamentis extenuare, aut ad proprias opinationes fucandas detorquere non reformidant, ut infra patefaciam. Ad rem.

§. I.

Eccleſiæ viſibili a Chriſto inſtitutæ Spiritus ſanctus aſſiſtit, ne umquam aut deficiat, aut erret.

I. Viſibilem eſſe Chriſti Eccleſiam fatentur hæreticorum primipili. Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap. 1. §. 2.* uti extra controverſiam hoc ponit. *In Symbolo ubi profitemur nos credere Eccleſiam, id non ſolum ad viſibilem, de qua nunc agimus, ſed ad omnes* &c. Subſcribit Calvino Philippus Melanchthon *titul. de Eccl. in Exam. Ordinand.* ubi inquit: *Eccleſia viſibilis in hac vita eſt cœtus viſibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, & recte utentium ſacramentis.* Poſteriores miniſtri, magiſtris cæciores, ut Catholicorum argumenta declinarent, inviſibi-

Digitized by Google

bilem commenti Eccleſiam ſunt. Et ad hoc quod attinet, melius ſibi cavere non poterant quam ad ſpeluncam inviſibilem confugiendo. Inviſibilis quippe illorum Eccleſia eſt, & commentitia, non a Chriſto, & Apoſtolis, ſed a Luthero, & Calvino excitata: & ideo iure *Lutherana*, & *Calviniana*, non Apoſtolica, nuncupatur.

II. Ceterum adeo explorata ſunt divinæ Scripturæ teſtimonia, quæ viſibilem Dei Eccleſiam prædicant, ut ſuperfluum iudicem illa tranſcribere, cum obvia cuique ſint; & ex iis quæ dicturus ſum, evidenter conſtabit.

III. Chriſti Eccleſiam indeficientem, falli neſciam, ſpiritu veritatis directam, cuiuſque erroris expertem eſſe, paucis declarabo. Inter plurimos doctos Theologos catholicos, qui veritatem hanc pleno in lumine collocarunt, eminent Melchior Cano, Petrus Soto, Bellarminus, & clariſſimus Boſſuetus, qui ſolius divinæ Scripturæ teſtimoniis, ſimplici oratione expoſitis, Proteſtantium ſophiſmata profligavit. Doctiſſimorum veſtigiis inhærens, breviter luculentiora divina teſtimonia expendam. Chriſtus Dominus conceptis verbis ſpondet, ſe infinita ſua poteſtate ab omni errore præſervaturum Eccleſiam ſuam uſque ad mundi conſummationem. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Commenta quibus cavillari hoc perſpicuum teſtimonium Proteſtantes adnituntur, eorum cæcitatem, & obſtinationem patefaciunt.

IV. Michael *le Vaſſor loc. cit. cap.* III. *pag.* 123. celebri *Boſſueto* præfatum teſtimonium interpretanti reſpondet, illos tantummodo ex præfato teſtimonio perpetuam protectionem a Chriſto Eccleſiæ ſuæ præſtandam inferre qui loca quædam communia Theologiæ extremis labiis deguſtarunt. Ovans & exultans clamitat, expoſitionem Boſſueti purum putumque eſſe paralogiſmum. Quid? *An non a pluribus ſæculis* (inquit pag. 124.) *mortem obierunt Apoſtoli?* Illis, non ſucceſſoribus, protectionem Chriſtus promiſit. Cum primum hoc reſponſum legi, adduci vix poteram, ut crederem, Doctorem Londini ſcribentem, qui opuſculum ſuum Regi Angliæ dicavit, qui gloriatur, ſe illuminatiſſimo ſæculo, a quo præiudicia exulant, vivere, potuiſſe adverſus Boſſuetum tantam ineptiam, immo, dicere cogor, ſtultitiam obtrudere. Vanum delirium excogitarunt Proteſtantes ſub initium reformationis, illudque refert, & profligat Melchior Cano Lib. IV. cap. IV. *Eiuſmodi verba, aiunt, de ſolis Apoſtolis intelligenda, neque ad poſteros in Eccleſia pertinere .... Quo quid ſtultius dici poteſt?* Et acutulum *Le Vaſſor* non puduit, ſuo illuminatiſſimo ſæculo rancidam, recoctamque crambem in menſam reducere? Delirium vix anicella dignum homo eruditus adoptat? Verum ut ſtulti reſponſi pœnas

Digitized by Google

nas luat, primum ratione, poſt Scripturarum teſtimoniis illius defricare dialecticam, cuius peritiam ſibi aſciſcit, paucis lubet. Cedo: ſi Apoſtolis ſolis adſcribenda eſt evangelica promiſſio, cur illam ſcriptis conſignarunt Evangeliſtæ? Recitata verba evangelica cordium ſuorum tabulis a Chriſto infixa habebant Apoſtoli. Si ad illos dumtaxat pertinuiſſent, ſecus ad poſteros; cur ad nos litteris prodita eadem tranſmiſerunt? Otio, & litteris abuſi Apoſtoli fuerunt, ſi quæ ad illos tantum attinebant, poſteritati ſcriptis commendarunt. Si præfata verba ſolos Apoſtolos ſpectant, quidni & cetera mandata evangelica? Quid ni & lex tota? In vanum ergo Evangelia ſcripta ſunt. Elapſo ergo Apoſtolorum ſæculo, ſubtraxit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ protectionem? Non itaque amplius prædicandum, neque baptizandum, ſi nobiſcum Chriſtus non adeſt? Si hæc deliria non ſunt, quænam erunt? Ceterum indulgendum eſt Doctori proteſtantico. Oculis propriis videt ille Eccleſias ſuas proteſtanticas ſciſſas in partes varias, divino unitatis ſpiritu deſtitutas: & hoc experimento doctus ad ſolos Apoſtolos divinam coarctat promiſſionem illam quam Chriſtus perpetuam dixit, & æternum ſpopondit Eccleſiæ ſuæ, cuius *meſſis* (inquit idem Evangeliſta Matthæus cap. XIII.) *conſummatio ſæculi eſt*. Item Ioannes hanc perpetuam protectionem confirmat *cap.* XIV. his verbis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem vos cognoſcetis, quia apud vos manebit. Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Tandem idem Ioannes *cap.* XVII. Proteſtantium commentum evidentius convellit. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.*

V. Hæc omnia perſpicue evincunt, Chriſtum uſque ad conſummationem mundi permanſurum cum Eccleſia ſua. Iterum inſiſtit *Le Vaſſor* adverſus Epiſcopum Meldenſem *pag.* 127. & ea recoquit quæ Boſſuetus, quæ Theologi catholici millies contrivere. Obtrudit itaque illud Ioan. cap. XV. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis*. Antequam, inquit, admittam interpretationem Epiſcopi Meldenſis, expendendum in anteceſſum eſt, num Eccleſia paruerit Chriſti mandatis, an Dei gratia abuſa non fuerit?

VI. Si Doctor proteſtanticus obſcuro Lutheri ſæculo ſcripſiſſet, blandius cum ipſo agendum eſſet. At cum ſuperbiuſcule iactet, ſe erudito ſæculo ſcribere, & præiudicatis ſententiis denudatum, indulgentiam meretur nullam, dum ea exſcribit quæ a duobus ſæculis Lutherani Scriptores ignorantia ſumma obtrudere non erubuerunt. Et, quod feſtivius eſt, Boſſueto ea obiicit quæ Boſſuetus ſibi opponit, & reiicit. Sed deſperatæ cauſſæ actores minime pudet eadem ſemper oberrare chorda, & contrita paradoxa regerere. Promiſſio facta a Chriſto doctrinam ab omni errore immunem ſervandam reſpicit. *Euntes, docete, baptizantes. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Omnibus diebus

bus, ideſt continenter, & perpetuo ſe adfuturum Eccleſiæ ſuæ, ne legem docendo, ne ſacramenta miniſtrando erret, Chriſtus ſpondet. Paralogiſmus hic eſt, reponit *Le Vaſſor*. Cur? Quod Apoſtolorum ſucceſſores mandata non impleant, Dei gratia abutantur, & peccatorum ſordibus polluti ſint.

VII. Soli Proteſtantes cæcitatis velo obducti obiicere ſimilia valent. Nam idem Chriſtus Dominus, qui Eccleſiæ ſuæ ab errore in docendo, & ſacramentis miniſtrandis immunitatem promiſit, ſimul prædixit, in hac ſua Eccleſia futura eſſe ſcandala, hæreſes, & ſcelera. Legantur evangelicæ parabolæ, quæ Eccleſiam comparant modo agro frumento & zizaniis pleno, modo ſagenæ miſſæ in mare cuiuſque generis piſces congreganti. Diſtinguenda igitur eſt protectio ab errore in docendo, & ſacramentis miniſtrandis, & protectio a peccato in operando. Illam, non hanc Apoſtolorum ſucceſſoribus Chriſtus promiſit.

VIII. Heinc duo neceſſario conſequuntur. Primum, numquam Eccleſiam probaturam errorem: quoniam continenter ſecum Chriſtum, a quo regitur, habet; ut ex allatis teſtimoniis compertum eſt. Alterum, numquam licitum eſſe ab hac Eccleſia, ſeu Apoſtolorum ſucceſſione, recedere. Quicumque enim ab eadem ſe ſeparat, a Chriſto, qui eidem omnibus diebus uſque ad mundi conſummationem adeſt, recedit. Separatio iſthæc germanus, unaque tenebroſus eſt hæreticorum, & ſchiſmaticorum character, ut divina Scriptura teſtatur. *Vos autem, cariſſimi, memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui docebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem, cariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes.* Epiſt. Iud. Sanctus Apoſtolus Iuda in huius veritatis confirmationem omnium Apoſtolorum teſtimonium adducit. Sicuti enim omnes teſtes erant promiſſionis a Chriſto factæ permanendi cum inſtituta a ſe ſocietate uſque ad mundi finem; ita omnes uno ore definierunt, a Chriſto recedere illos omnes qui ab hac ſe dividerent ſocietate. Separatio ergo hæc hæreſis, & ſchiſmatis argumentum eſt ineluctabile. Separatio quippe iſthæc a doctrina fidei eſt, quam apoſtolica ſucceſſio profitetur, cui, ne ab eadem aberret umquam, Chriſtus omnibus diebus adeſt. Ab hac autem apoſtolicæ ſucceſſionis doctrina ſe ſepararunt, quemadmodum omnes anteriores hæretici, Lutherani, & Calviniani. Novas excitarunt Eccleſias, non Apoſtolicas, ſed Lutheranas & Calvinianas, quas ab idololatria, a ſacrificio ſacrilego, & ab aliis graviſſimis erroribus, quibus pollutam apoſtolicam ſucceſſionem perfracte contendunt, reformatas vocant. Verum pollutam effutire nequeunt apoſtolicam ſucceſſionem, niſi falſitatis & mendacii Chriſtum Dominum arguant, qui perpetuam ab errore cuſtodiam Eccleſiæ ſuæ ſpopondit.

IX.

Digitized by Google

IX. Audiamus iterum Apoſtatam Michaelem *Le Vaſſor*, crocitantem his verbis *cap.* III. *pag.* 131. *& ſeq.* „ Sed demonſtrandum eſt, miniſterium iſtud paſſim plus „ minuſve a vera doctrina non aberrare, quin egeat reformatione. Ecce ſtatum „ quæſtionis Eccleſias proteſtanticas inter & Romanam. Epiſcopus Meldenſis pun-„ ctum iſtud diſſimulat. In hypotheſim dumtaxat adverſarii ſui, unde colligere „ quidquam emolumenti videtur, tela ſua intorquet." Ecquis ferre eiuſmodi mendacia valet? Epiſcopus Meldenſis non verſat controverſiam perpetuæ ſucceſſionis apoſtolicæ ab omni errore immunis, quin ulla, ad hoc quod attinet, reformatione opus ſit? Ecquis omnino inſanus, & truncus inficiari id poteſt; cum huc prorſus omnia Boſſueti ſpectent molimina & ſtudia? Prudenter cum *Cano* ſub capitis initium animadverti, nullam iniri cum Lutheranis, & Calvinianis diſputationem poſſe. Lugenda amaris lacrymis illorum cæcitas eſt, non rationum momentis reprimenda obfirmata audacia. Iterum ſarcinator Le Vaſſor aſſuit ſuis ineptiis Ianſenii controverſiam, ut a cauſſa quæ in manibus eſt, lectores divertat. Innocentium X. ante Crucifixi pedes proſtratum, & a Spiritu ſancto audientem quinque propoſitiones eſſe hæreticas, ſordido penicillo depingit imperitis. Iuris, & facti quæſtioni finem imponit ſuo male conſarcinato ſermone. Quæ *cap.* IV. ſequenti obtrudit adverſus Boſſuetum, Arnaldum, Nicolium, illius inſcitiam evidentius propalant. *Pag.* 146. concedit apoſtolicam ſucceſſionem, quam prius negaverat, unicam eſſe, viſibilem, perpetuam, quæ eumdem Deum Patrem credit, eamdem ſpem habet, eadem adminiſtrat ſacramenta. Et continuo commiſcet alteram controverſiam, negans hanc ſocietatem eſſe Eccleſiam Romanam. Huc atque illuc ſaltitat miſer transfuga. Chriſti promiſſio cuſtodiendi apoſtolicam ſucceſſionem neque Latinos, neque Græcos, neque Scythas diſtinguit; ſed illi ſocietati ſuam protectionem ſpondet Chriſtus Dominus quæ a ſe, & ab Apoſtolis ſuam arceſſit originem, & ſucceſſione numquam interciſa fruitur. Hæc eſt illa ſocietas quæ ſecum Chriſtum habet, ne umquam a veritate aberret. Hic eſt primus articulus firmiter conſtituendus. Porro articulum hunc negare nemo poteſt, niſi falſitatis reum poſtulet Chriſtum ipſum, qui perpetuam protectionem apoſtolicæ ſucceſſioni promiſit. Succedit continuo altera controverſia, quænam Eccleſia, Græca, an Latina, Romana, an Lutherana hanc a Chriſto, & Apoſtolis originem, hanc perennem & numquam interruptam ſucceſſionem, atque adeo Chriſti Domini invictam protectionem ab omni errandi periculo vindicare ſibi iure valeat. Primo articulo conſtituto extra diſputationis aleam, ſecundum luculentiſſimis argumentis evincunt Catholici, nempe ſolam Romanam Eccleſiam a Chriſto, & ab Apoſtolis ſuam originem, & non interciſam ullo tempore ſucceſſionem ducere. Hæc origo & ſucceſſio adeo luculenta eſt, ut eam inficiari vix audeant vel ipſi Proteſtantes. Idcirco ad incitas redacti, in diſcrimen vocare primum articulum co-

Digitized by Google

coguntur, videlicet protectionem ab omni errore apoſtolicæ ſucceſſioni promiſſam a Chriſto. Verum, ut dixi, cum hanc protectionem & cuſtodiam negant, Chriſtum mendacem blaſphemant. Victas manus dare hic Lutheranos, & Calvinianos, vi ratiocinii ſpectata, oporteret, niſi illorum obfirmata cæcitas impediret. Nam ſucceſſionem ab Apoſtolis nec iactare quidem, licet pervicaciſſimi, illi audent. Lutherus quippe, Calvinus, Bucerus, ceterique nefarii ſchiſmatis auctores baptiſma, doctrinamque in Eccleſia Romana, a qua deſcivere, ſuſceperunt. Lutherus eſt prima proteſtanticæ ſucceſſionis epoca & origo: ergo ſpuriæ Eccleſiæ iſtæ. Protectionem Chriſti ab errore ultro Lutherani, Calvinianique reiiciunt, cum nullam ab errore immunem Eccleſiam admittant. Errare poſſe Eccleſiam Romanam, cuius ſunt transfugæ, adfirmant illi: & eadem ratione errare poſſe ſuas Eccleſias confitentur. Et ecce miſeras palanteſque hominum turbas abſque origine a Chriſto, & ab Apoſtolis, abſque ſucceſſione, abſque protectione, atque adeo abſque Chriſto. Quod blaterant, ſe ad primam originem, ad primævam puramque Chriſti doctrinam reformaſſe Eccleſias ſuas, merum delirium eſt. Nam Chriſtus, ut demonſtravi, non aliam agnoſcit Eccleſiam præter illam cum qua a puncto ſuæ inſtitutionis uſque ad mundi conſummationem indeſinenter ſe permanſurum promiſit. Ante Lutherum, Calvinumque Eccleſiæ proteſtanticæ non erant in mundo viſibiles. Viſibilis autem eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ docet, quæ ſacramenta adminiſtrat. Inviſibiles ne eiuſmodi actiones pronuntiabunt acutiſſimi Lutherani? Ergo Eccleſiæ proteſtanticæ neque chriſtianæ, neque apoſtolicæ reipſa ſunt. Quam argumentationem ultra non protraho, cum ſit ab aliis ex noſtris pleno in lumine conſtituta. Quæ autem de Lutheranis, Calvinianiſque dicta ſunt; eadem de Neſtorianis, qui a Neſtorio, de Eutychianis, qui ab Eutychete, de VVicleſiſtis, qui a VVicleſo, & de ceteris omnibus ſectis, quæ a Romana defecerunt, & a ſuis hæreſiarchis originem & ſucceſſionem trahunt, dicenda ſunt.

X. Lubet nonnulla alia ex *Le Vaſſor* tranſcribere. Inquit pag. 155. *Concedo Eccleſias orientales credere viſibilem perpetuam ſucceſſionem unius Eccleſiæ Spiritu ſancto directæ, tum ut cuſtodiat veritatem Evangelii, tum ut bonas diſciplinæ leges condat. At non video illas credere unicam Eccleſiam infallibilem, quæ fidei articulos definiat, cuius decreta examinare non liceat*. Næ iſte acutiſſimus Doctor? Dirigit ergo Spiritus ſanctus Eccleſiam unicam, viſibilem, perpetuam, ut veritatem Evangelii propugnet, ſecus ut fidei articulos definiat? Fabulæ ne ſunt, & non fidei dogmata quæ in Evangelio continentur? Regitur a Spiritu ſancto Eccleſia, ut contra Neſtorianos, Arianos, Eutychianos, ceteroſque hæreticos cuſtodiat, explicet, definiat evangelicas veritates; minime vero, ut quæ fidei myſteria ſunt, decernat? Sed aliam lepidiſſimam interpretationem audiamus qua cavillari hoc Chriſti oraculum ſtudet: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:*

meam : & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Relato hoc teſtimonio *pag.* 119. ſic Catholicos alloquitur. „ Ces bonnes gens en ſavent aſſez, quand ils ſa- „ vent leur petit *Becan*, ou le *moueleux Abely*. Mais M. de Meaux n'ignore „ pas que dans le langage de l'Ecriture, & meme des Auteurs prophanes de la „ Grece les portes de l'enfer ſignificent la mort, ou le tombeau. " Scilicet Epiſcopus Meldenſis non ignorat commentum iſtud, cum illud ab alio Calviniano Miniſtro, a quo illud tranſcripſit *Le Vaſſor*, ſibi oppoſitum refutet in ſua *II. Inſtruct. Paſt. num. 39.* ut delirium ab omnibus tum Catholicis, tum Proteſtantibus improbatum. Qui tam reconditam doctrinam promit, non eſt *le petit Becan* : eſt magnus ille gygas *Le Vaſsor*, qui, ut ſuæ apoſtaſiæ infami latebram & præſidium quæreret, opuſculum conſarcinavit fabularum pleniſſimum. Si hæc tibi interpretatio, ſubdit continuo, non arridet, accipe alteram. *Portæ inferi non impedient quin futura ſit gens quæ confiteatur Ieſum Nazarenum eſse Filium Dei*. Papæ! Neque portæ inferi impedient, quin ſemper extitura ſit gens Iudæorum, quæ legem moſaicam profeſſura ſit. Huc ergo pertinet Ieſu Chriſti promiſſio, ut Chriſtiani ſucceſſive permanſuri ſint, qui confiteantur Ieſum Nazarenum eſſe Filium Dei, quemadmodum Hebræi profitebuntur ſemper legem Moyſis uſque ad mundi conſummationem? Nec enim præteribit generatio hæc, donec omnia compleantur. Hæc chimærica interpretatio ex alio vaniſſimo commento inter Proteſtantes communi proficiſcitur, nempe in Eccleſia Chriſti reperiri infallibilitatem *paſſivam*, ſecus *activam*. Quod eodem recidit, videlicet ſemper fuiſſe, & ſemper futuram eſſe ſocietatem quæ Chriſtum eſſe Filium Dei, eiuſque Evangelium profiteatur. Quid heinc? Societas chriſtiana infallibilis paſſive eſt, & non active? Ecquomodo profiteri divinitatem Filii Dei contra Arianos, & alia dogmata contra ceteros hæreticos Eccleſia valet, niſi ſimul active definiat eiuſmodi dogmata revelata a Deo eſſe? Quid quod vel ipſe Calvinus hoc commentum ineptiſſimum profligat? *Quia* (Eccleſia, inquit in cap. XLIII. Iſaiæ) *veritatem tuetur, & propagat, ut a poſteris in omne ævum colatur*. Ceterum recenſita interpretamenta mirum in modum quadrant Eccleſiis proteſtanticis, quæ Iudæorum inſtar abſque duce, abſque Pontifice, abſque ſacrificio invicem digladiantur, & oppoſitas ſcinduntur in partes. Sæpe dum Lutheranorum, & Calviniſtarum monſtroſa commenta lego, hominum iſtorum inſaniam mirari ſoleo. Verum ceſſat admiratio omnis, cum ſerio mecum reputo, non *bonam*, ut verbis utar *Le Vaſsor*, ſed miſeram gentem, ut Patriarchas ſuſpicientem Lutherum, & Calvinum, qui libertatem arbitrii de medio tollentes homines tranſmutarunt in belluas. Quid? Lutherus & Calvinus, reclamante omnium ſapientum tum ex Ethnicis, tum ex Chriſtianis corona, auſi ſunt hominibus adimere in æternæ ſalutis negotio liberum arbitrium, inclamantes humanam libertatem eſſe *merum figmentum, purum nihil*? Quid itaque mirum, ſi divina-

Digitized by Google

narum Scripturarum teſtimonia, tametſi obvia, perſpicua, ſplendidiſſima, cavillari, implicare, & penitus corrumpere non reformident? Quæ gens ſtolidior præ iſta, quæ tam ſtolidos veneratur Patriarchas?

XI. Recentiores Calvini diſcipuli ineluctabilia experti ſunt argumenta, quibus Catholici evincunt ſucceſſionem apoſtolicam viſibilem eſſe, perpetuam, infallibilem. Viderunt ineptiſſima ſuorum ad hæc argumenta reſponſa: idcirco aliud novum commenti ſunt ſyſtema, omnium ſane ineptiſſimum. Inquiunt cum Miniſtro *Iurieù*, Eccleſiam eſſe viſibilem, perpetuam, indefectibilem, comprehendentem omnes ſectas ſchiſmaticas, & hæreticas, quæ admittunt *articulos fundamentales*. Late *Iurieù* explicat hoc commentum in ſuo Libro inſcripto, *verum Eccleſiæ ſyſtema*, ubi inquit *pag.* 81. deceptum eſſe S. Auguſtinum, dum ab Eccleſia chriſtiana excluſi t*communiones ſchiſmaticas, quæ fundamentum non deſtruunt*. Hoc novo invento ſibi blanditur *Iurieù*, Catholicorum argumenta, quæ tamdiu Proteſtantium ingenia torſerunt, ſe deludere, atque infringere. Alibi errorem hunc ſane craſſiſſimum confutavi. Ediſſerat nobis Calviniſta Miniſter, quis definivit hos articulos eſſe fundamentales, ſecus alios? Ubi invenitur Eccleſia iſthæc variis ſectis, mutuis anathematis ſe configentibus, compoſita? In Scriptura? In Conciliis? In Patribus? At Scripturæ ſanctæ, Concilia, & Patres communiones omnes ſchiſmaticas, & hæreticas ſemper ab apoſtolica ſucceſſione tamquam putrida membra reciderunt. Factum iſtud adeo verum eſt, ut revocari in diſputationem, niſi a fatuo, nequeat. Eccleſia anathema dixit in Origeniſtas, Novatianos, Donatiſtas, Quartodecimanos, Sabbatinianos. Errores iſtorum erant ne fundamentales? Nec ipſe *Iurieù* adfirmabit. Ruit ergo illius imaginarium ſyſtema. Tempus & operam luderem, ſi contra machinam ſponte ruentem tela iterarem.

§. II.

Sola Scriptura nequeunt de religione controverſiæ dirimi; ſed neceſſaria eſt viſibilis Eccleſiæ definitio

I. AB hac unica, quam propoſui, veritate univerſæ pendent Catholicos inter, & Proteſtantes, alioſque omnes hæreticos controverſiæ. Proteſtantes ſolam contendunt Scripturam divinam eſſe controverſiarum iudicem falli neſcium; e contrario Eccleſiam errori obnoxiam eſſe. Lutherani, & Calviniani, ſi in aliis controverſiis circa particularia dogmata cum Catholicis ineptiunt & nugantur, in hac communi ſenſui renuntiant, & univerſo humano generi ſe deridendos propinant. Nam ut definiant controverſias quæ homines inter agitantur, mutum iudicem deſignant. Et quoniam incredibilia videntur illorum & mendacia, & paradoxa; ideo recitanda propriis illorum verbis illa ſunt. Ne vero querantur me ab

Digitized by Google

aliquo privato miniſtro Proteſtante nullius apud eos auctoritatis illorum tranſcribere ſententias, a ſolo Calvino pauca excerpam.

II. Et ad mendacia quod attinet, & calumnias putidiſſimas ruſtico homine, nedum Eccleſiæ Reformatore indignas, hæc ſcribit *Lib. I. Inſtit. cap.* VII. *ſ.* 1. ubi ex inſtituto litem hanc verſat. *Invaluit autem apud pleroſque pernicioſiſſimus error, Scripturæ tantum ineſſe momenti, quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur; ac ſi vero æterna, inviolabiliſque Dei veritas hominum arbitrio niteretur. Sic enim magno cum ludibrio Spiritus ſancti quærunt: Ecquis nobis fidem faciat hæc a Deo prodiiſſe? Ecquis ſalva & intacta ad noſtram uſque ætatem perveniſſe, certiores reddat? Ecquis perſuadeat librum hunc reverenter excipiendum, alterum numero expungendum; niſi certam iſtorum omnium regulam Eccleſia præſcriberet? Pendet igitur, inquiunt, ab Eccleſiæ determinatione & quæ Scripturæ reverentia debeatur, & qui libri in eius catalogo cenſendi ſint. Ita ſacrilegi homines, dum ſub Eccleſiæ prætextu volunt effrenatam tyrannidem invehere, nihili curant quibus ſe, & alios abſurditatibus illaqueent, modo hoc unum extorqueant apud ſimplices, Eccleſiam nihil non poſſe. Atqui ſi ita eſt, quid miſeris conſcientiis fiet ſolidam vitæ æternæ ſecuritatem quærentibus, ſi quæcumque extant de ea promiſſiones, ſolo hominum iudicio fultæ conſiſtant? An accepto tali reſponſo fluctuari, & trepidare deſinent? Rurſus quibus impiorum ſannis ſubiicitur fides noſtra, quantam apud omnes in ſuſpicionem vocatur, ſi credatur hominum beneficio, non ſecus ac precario habere auctoritatem?*

2. *Sed eiuſmodi rabulæ vel uno Apoſtoli verbo pulchre refelluntur. Eccleſiam ille teſtatur, Prophetarum, & Apoſtolorum fundamento ſuſtineri. Si fundamentum eſt Eccleſiæ prophetica, & apoſtolica doctrina, ſuam huic certitudinem ante conſtare oportet quam illa exſtare incipiat. Neque eſt quod cavillentur, etiamſi inde primum exordium ducat Eccleſia, manere tamen dubium, quod Prophetis, & Apoſtolis ſit adſcribenda, niſi iudicium ipſius intercedat. Namſi chriſtiana Eccleſia Prophetarum ſcriptis, & Apoſtolorum prædicatione initio fundata fuit, ubicumque reperietur ea doctrina, Eccleſiam certe præceſſit eius approbatio, ſine qua numquam Eccleſia extitiſſet. Vaniſſimum eſt igitur commentum, Scripturæ iudicandæ poteſtatem eſſe penes Eccleſiam, ut ab huius nutu illius certitudo pendere intelligatur. Quare dum illam recipit, ac ſuffragio ſuo obſignat, non ex dubia, aut alioquin controverſa authenticam reddit; ſed quia veritatem eſſe cognoſcit Dei ſui, proprietatis officio nihil cunctando veneratur. Quod autem rogant, unde perſuadebimur a Deo fluxiſſe, niſi ad Eccleſiæ decretum confugiamus? perinde eſt, ac ſi quis roget, unde diſcemus lucem diſcernere a tenebris, album a nigro, ſuave ab amaro? Non enim obſcuriorem veritatis ſuæ ſenſum ultro Scriptura præſefert, quam coloris ſui res albæ, ac nigræ, ſaporis ſuaves, & amaræ.*

III.

Digitized by Google

III. Integrum Calvini ſyſtema reſcribere volui, ne Proteſtantes lamententur nos illorum ſenſa truncata, & adulterata deridenda proponere. Hoc autem Calvini ſyſtema commune apud eos eſt, & iiſdem verbis doctiores Miniſtri illud exſcribunt, prædicant, amplificant, noviſque mendaciis, & erroribus exornant. Rogo nunc Proteſtantes, ut ſaltem ad punctum temporis rationem, ſi fieri poteſt, induant; & quam eruditionem, penetrationem, & ratiocinii vim in aliis a religione controverſiis præferunt, eamdem in hanc perhibeant, ut Pſeudopatriarchæ mendacia, & craſſa ſophiſmata deprehendant.

IV. Primum putidiſſimumque mendacium Calvini in medium veniat. *Invaluit perniciosiſſimus error, Scripturæ tantum ineſſe momenti, quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur; ac ſi vero æterna, inviolabiliſque Dei veritas hominum arbitrio niteretur.* Si Catholicorum unus id aſſerat, immo niſi Catholici Romani omnes id tamquam blaſphemiam execrentur; victas Calvinianis dare manus volo. Si falſum igitur factum eſt, mendaciſſimus Calvinus, mendaciſſimi Calviniani omnes, qui tam invidioſam teterrimamque Catholicis Romanis calumniam imponunt. Uno ore tamquam fundamentalem articulum Catholici omnes confitentur, Scripturam ſanctam, divinitus inſpiratam, ſuam a Deo auctoritatem, ſuamque infallibilitatem habere. Teſtantur hominum iudicia fallaciſſima eſſe. Et quia fallaces homines ſunt, inferimus neceſſitatem divinæ protectionis, qua ab errandi periculo Eccleſia cuſtodiatur. Mentitur ergo impudentiſſime Calvinus, mentiuntur Calviniani, dum blaterant, nos Catholicos hominum iudicio Scripturam ſanctam ſubiicere.

V. Ratiocinium Calvini ſub examen veniat. *Quod autem rogant, unde perſuadebimur a Deo fluxiſſe* (Scripturam ſanctam) *niſi ad Eccleſiæ decretum confugiamus? perinde eſt ac ſi quis roget, unde diſcemus lucem diſcernere a tenebris, album a nigro, ſuave ab amaro?* Aures arrigite, o Lutherani, & Calviniani, ut ratiocinii veſtri fatuitatem manifeſtiſſimam ſentiatis. Ecce hic libros *Tobiæ*, *Iudith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *Machabæorum*, quos nos ut divinos admittimus, vos ut humanos reiicitis. Quænam vobis libros iſtos reſpuendi ratio? Quia non ſunt in canone Iudæorum. Non ergo ad Scripturas, ſed ad traditionem Iudaicam confugitis. Ergo fatui. Invicem a duobus ſæculis diſputatis, quo in ſenſu verba ſequentia, quæ articulum fundamentalem conſtituunt, intelligenda ſint? *Hoc eſt corpus meum*. In ſenſu obvio, & litterali, quo realis Chriſti præſentia ſignificatur, clamant Lutherani. Falſum, reponunt Calviniſtæ. Hæc verba ſolam produnt figuratam præſentiam. Quinam fatui, qui *amarum a dulci* non diſcernunt? Quinam cæci, qui *tenebras a luce* non diſtinguunt? Sit clara, ſit perſpicua Scriptura, nullumque præferat, uti reipſa præfert, obſcurum ſenſum. Eadem ne mente, eodem ne affectu præditi homines ſunt in ea intelligenda? Si homines ingenio, affectu, & propen-

Digitized by Google

ſione ducti contrarias in partes diſputant, quiſnam iudex ? Scriptura ? Muta hæc eſt. Si quemadmodum fatui ſunt qui amarum a dulci, & cæci qui tenebras a luce diſtinguere ignorant; ita dementes dici debent, & cæci qui verum a falſo Scripturæ ſenſum non percipiunt: fatui & cæci non modo hæretici omnes, ſed & primores Eccleſiæ Doctores qui plura Scripturæ teſtimonia contrario in ſenſu interpretati ſunt. Ergo tam evidens eſt Calvinum, & Calvinianos in hac cauſſa cæcitatis caligine obductos eſſe, quam evidens homines a Scriptura condita variis in ſenſibus illam expoſuiſſe. Hæc pauca obiter dicta ſint, ut Calvini mendacia in calumniando, & fatuitatem in ratiocinando patefacerem, cauſſæ conditione ſic poſtulante. Ceterum ultro fateor, Calvinum magnum eſſe ingenium, Calvinianos, Lutheranoſque plurimos eruditione, doctrina, & acumine pollere in ceteris a religione controverſiis. Et heinc etiam colligo Catholicorum dogmata eſſe luculentiſſima, cum videam homines, alioquin acutos, doctos, eruditoſque, nihil præter mendacia maniſeſtiſſima, & ſophiſmata futiliſſima contra eadem a duobus ſæculis obiicere.

VI. Antequam ultra provehor, lubet non *Plautino*, ſed Tertullianico ſale Proteſtantium aures paulliſper defricare. Iſti quippe, quemadmodum omnes illorum anteceſſores hæretici, ſublatis divinis traditionibus, & omni iudice vivente ac loquente reiecto, ad ſolas divinas Scripturas lites appellant. Quo poſito, nullus controverſiarum finis, nulla vincendi ſpes, nullus ſuccumbendi timor. Acutiſſimus Tertullianus, ut hanc hæreticorum aſtutiam, & fraudulentam audaciam reprimeret, illos utpote apoſtatas, & infames deſertores ad diſputandum de Scripturis non admittit. Quoniam, inquit, non Scripturæ divinæ Eccleſiam formarunt, ſed Scripturas præceſſit Eccleſia, tum ante, tum poſt Chriſti adventum. Ipſa Eccleſia nobis Scripturas dedit. Videndum ergo prius, cui competat Scripturarum poſſeſſio, ut inde colligamus, cui veritas doctrinæ faveat. Hoc ergo pacto Lutheranorum, & Calviniſtarum protoparentes Tertullianus *Lib. de præſcript. adverſ. hæreſ. cap.* xv. vellicat, & perfricat. *Sed & ipſi de Scripturis agunt, & de Scripturis ſuadent . . . Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent. In ipſo vero congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis diſputationem. Sic hæ ſunt vires eorum, uti ne eas habere poſſint. Diſpici debet, cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eas cui nullo modo competit.*

Cap. xvi. *Hoc de conſilio diffidentiæ, aut de ſtudio aliter ineundæ conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit, in primis illa, quod fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones inire, novis vocibus aures accommodare, hæreticum poſt unam correptionem convenire, non poſt* (N.B.) *diſputationem. Adeo interdixit diſputatio-*

Digitized by Google

tationem, correptionem, deſignans cauſſam hæretici conveniendi: & hoc unam, ſcilicet quia non eſt Chriſtianus: ne more Chriſtiani, ſemel & iterum, & ſub duobus, aut tribus teſtibus caſtigandus videretur; cum ob hoc ſit caſtigandus propter quod non ſit cum illo diſputandum.

Cap. XVII. *Deinde quoniam nihil proficiat congreſſio Scripturarum, niſi plane ut aut ſtomachi quis ineat everſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas.* (Non recipiunt Lutherani & Calviniani libros ſacros Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Epiſtolam Iacobi.) *Et ſi quas recipit, non recipit integras; adiectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit. Et ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus. Variæ præſumptiones neceſſario nolunt agnoſcere ea per quæ revincuntur: his nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promovebis exercitatiſſime Scripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur; ex diverſo, ſi quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione.*

Cap. XVIII. *Ille vero, ſi quis eſt, cuius cauſſa in congreſſum deſcendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreſes divertet? hoc ipſo motus, quod te videat nihil promoviſſe æquo gradu negandi, & defendendi diverſa parte ſtatutum: certe de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſim iudicet.*

Cap. XIX. hanc colligit concluſionem. *Ergo non ad Scripturas provocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi quod nunc ſolum diſputandum eſt. Quibus competat fides ipſa? Cuius ſint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani? Ubi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum chriſtianarum.*

VII. Quid ad hæc Lutherani, & Calviniani? Ubi baptiſma, ubi fidei diſciplinam acceperunt Lutherus, Bucerus, Calvinus, Ecolampadius, ceterique Reformatores? In Romana apoſtolica Eccleſia. Ab hac apoſtatarunt: huius Eccleſiæ apoſtolicæ fidem reiecerunt. Hereditatem ergo Scripturarum repudiarunt. Vos ergo ſine fide, ſine Scripturis, ſine interprete. Quoniam ab illa Eccleſia, in cuius ſinu Deus Scripturas genuit, & per cuius manus nobis Scripturas tradidit, & per cuius os nobis interpretatur, declaratque, miſeri transfugæ deſciviſtis. Sed iterum Tertullianus ſuo ſtili acumine aures veſtras paullulum vellicet pungatque. Sic enim perſequitur.

Digitized by Google

Cap xx. *Statim igitur Apoſtoli..... Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ, ceteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot & tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis, prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem.*

Cap. xxi. Heinc colligit. *Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.*

VIII. Inſtaurat argumentationem Tertullianus hoc pacto ibidem, nullo interpoſito verbo. *Supereſt ergo ut demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cuius regulam ſupra edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur: & ex hoc ipſo, an ceteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Eccleſiis apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa. Hoc eſt teſtimonium veritatis.*

IX. Antequam hoc veritatis teſtimonium confirmet, plura Marcioniſtarum, Valentinianorum ſophiſmata, & mendacia refellit. Opponebant illi, non ſecus ac vos, o Lutherani, & Calviniani, Eccleſias poſteriores defeciſſe in pluribus a matricibus, ab apoſtolicis. Ita ne vero! clamat Tertullianus. Defecit Romanenſis Eccleſia, perperam tot ſæculorum intervallo evangelizavit, perperam ſacrificavit? Expectabat uxoratum Lutherum, rabidum Calvinum, per quos ab errore liberaretur? Sed loquatur Tertullianus ipſe cap. xxix. *Aliquos Marcioniſtas, & Valentinianos* (aliquos Lutheranos, & Calvinianos) *liberanda veritas expectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur. Tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.*

X. Ad hæreticos ipſos orationem convertit cap. xxx. *Ubi nunc Marcion, Ponticus Nauclerus Stoicæ ſtudioſus? Ubi nunc Valentinus Platonicæ ſectator? Nam conſtat illos neque adeo olim fuiſſe Antonini fere principatu, & in catholicam primo doctrinam crediDiſſe* (ſicuti crediderunt Lutherus, Bucerus, Calvinus, Zuinglius, Ecolampadius, Melanchthon, Brentius apud Eccleſiam Romanenſem) *donec ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti* (Leonis, & Pauli) *ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum fuerunt eiecti... Hos ut inſigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus.*

XI. Iactabant & iſti inſigniores veritatis adulteri, quemadmodum Lutherani, & Cal-

Calviniani, ſe reformare fidei doctrinam ad primævum Eccleſiæ apoſtolicæ Romanenſis ſplendorem. Quæ mendacia veſtra, o Lutherani, & Calviniani, ſic labefactat, oraque veſtra obſtruit Tertullianus ibi cap. XXXII. *Ceterum ſi quæ audent inſerere ſe ætati apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum. Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Ioanne conſecratum refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde ubique & ceteræ exhibent quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt? Sed etſi confinxerint, nihil promovebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum apoſtolica comparata, ex diverſitate, & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicuius auctoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicuti Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent; ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis deſciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, ut multo poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eadem fide conſpirantes, non minus apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes ad utramque formam a noſtris Eccleſiis provocatæ, probent ſe quaqua putant apoſtolicas. Sed adeo nec ſunt, nec poſſunt probare quod non ſunt: nec recipiuntur in pacem, & in communicationem ab Eccleſiis quoquomodo apoſtolicis: ſcilicet ob diverſitatem ſacramenti nullo modo apoſtolicæ.*

XII. Huic argumentandi methodo inſiſtendum contra hæreticos omnes docet Tertullianus. Quod ut altius mentibus infigat, ſic perſequitur cap. XXXV. *His definitionibus provocatæ a nobis, & revictæ hæreſes omnes, ſive quæ poſteræ* (ut Lutheranæ & Calvinianæ) *ſive quæ coætaneæ Apoſtolorum, dummodo diverſæ ſive generaliter, ſive ſpecialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant reſpondere & ipſæ aliquas eiuſmodi præſcriptiones adverſus noſtram diſciplinam. Si enim negant veritatem eius, debent probare illam quoque hæreſim eſſe eadem forma revictam qua ipſæ revincuntur: & oſtendere ſimul, ubinam quærenda ſit veritas, quam apud illas non eſſe iam conſtat.*

XIII. Quæ omnia ut confirmet, iterum ad Eccleſiarum ſucceſſionem Marcionitas, & Valentianos, poſteroſque Lutheranos, & Calvinianos provocat, ſic eos adoriens cap. XXXVI. *Age iam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur; apud quas ipſe authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaia . . . Si autem*

tem Italiæ adiaces, habemus ROMAM, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Ioannes, poſtea quam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit . . . . Legem, & Prophetas cum evangelicis, & apoſtolicis litteris miſcet; & inde potat fidem, eam aqua ſignat, ſancto Spiritu (non privato Lutherico) *veſtit, Euchariſtia paſcit, martyrio exhortatur, & ita adverſus hanc inſtitutionem neminem recipit. Hæc eſt inſtitutio, non dico iam, quæ futuras hæreſes prænuntiabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt* (erigite aures, o Lutherani & Calviniani) *adverſus illam. Etiam de olivæ nucleo mitis, & opimæ, & neceſſariæ aſper oleaſter exoritur: etiam de papavere fici gratiſſimæ & ſuaviſſimæ ventoſa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreſes de noſtro fructificaverunt, non noſtræ, degeneres veritatis grano, & mendacio ſilveſtres.*

XIV. Cap. XXXVII. concludit tandem ſermonem ſuum Tertullianus. *Si hæc ita ſe habent, ut veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incidimus qua Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit, conſtat ratio propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos ſine Scripturis probamus, ad Scripturas non pertinere.* Poterat ne Tertullianus luculentius, validiuſque Lutheranorum, & Calviniſtarum effugia præcludere, eorumque labefactare commenta? Nec reponant Proteſtantes, ſe hæreticos non eſſe. Quoniam ex omnibus hæreticis nemo unus ſe hæreticum faſſus eſt. Verum Tertullianus uno verbo Proteſtantes, ſicut & ceteros omnes hæreticos evincit, *Secti* eſtis, o Proteſtantes, ab Eccleſia Petri, cui coniuncti eratis. Ergo hæretici. Audite Tertullianum ſic ibi ſuam perſequentem orationem. *Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non a Chriſto habendo, quod de ſua electione SECTATI* (SECTI) *hæreticorum nomine admittunt. Ita non Chriſtiani nullum ius capiunt chriſtianarum litterarum, ad quos merito dicendum eſt:* (N.B.) *Qui eſtis? quomodo, & unde veniſtis?* (o Proteſtantes.) *Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion* (Luthere) *iure ſilvam meam cædis? Qua licentia Valentine* (Calvine) *fontes meos tranſvertis? Qua poteſtate Appelles* (Bucere) *limites meos commoves? Quid hic ceteri* (Proteſtantes) *ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines formas ab ipſis auctoribus quorum fuit res. Ego ſum heres Apoſtolorum. Sicut caverunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt ſemper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ, quam unuſquiſque* (ſpiritu privato Lutherico) *adverſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit?*

XV.

Digitized by Google

XV. Hactenus Tertullianus, cuius plurima alia brevitatis gratia omitto. Quo ſe nunc recipere Proteſtantes poſſint, ſane non video. Illi ad Scripturas appellant. Tertullianus reponit: Vos ab Eccleſia Romana apoſtolica, in qua baptiſma, & fidei doctrinam ſuſcepiſtis, *ſecti*, exheredati tamquam filii concubinarum eſtis. Noſtra eſt Scripturarum poſſeſſio, noſtra illarum interpretatio. Unica patet Proteſtantibus latebra, videlicet quæ hucuſque ex Tertulliano recitavi, ſententiam eſſe Tertulliani propriam, quam floccifaciunt, improbantque. Hoc eſt unicum, quo ſe recipiant, aſylum. Ut ex hoc etiam aſylo eos eiiciam, ad factum omnibus evidentiſſimum cauſſam appello. Omnes ad unum Eccleſiæ Apoſtolico-Romanæ a primo ad hæc uſque ſæcula Patres, Irenæus, Origines, Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, Leo, Vincentius Lirinenſis, Gregorius, Damaſcenus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, omnes ad unum Theologi hanc Tertulliani doctrinam adoptarunt, confirmarunt. Eadem ſemper uſi ſunt adverſus quoſque hæreticos *ſectos* a Petra apoſtolica. Niſi factum iſtud verum luculentumque ſit, herbam porrigere, faſceſque ſubmittere Lutheranis, Calvinianiſque ſponte volo. Alterutrum ergo fateantur oportet. Aut omnes Eccleſiæ Patres ſex priorum ſæculorum, in quibus coruſcaſſe Romanam fatentur, errarunt, dum controverſias de religione non ad ſolam Scripturam, ſed ſimul ad apoſtolicas traditiones, ad Eccleſiæ iudicium revocarunt; aut errant Proteſtantes ſtatuentes ſola Scriptura, excluſo Eccleſiæ iudicio, reiectiſque traditionibus, dirimendas eſſe tales quæſtiones.

XVI. Plura adiicienda hic eſſent contra Calvinum, hominem ſane mendaciſſimum, qui fide mala negat, Auguſtinum hanc, quam ex Tertulliano tradidimus, doctrinam propugnare. Verum nimis prolixa oratio evaderet, ſi omnia refellere Calvini deliria vellem. Legantur Auguſtini *Lib. contra epiſt. Fundamenti cap.* v. & *Lib.* XXVIII. *cap.* II. & *Lib.* XXXIII. *cap.* VI. *contra Fauſtum*, & *Lib. de utilit. credendi*, & *epiſt.* XLVIII. *ad Vincentium*, & *Lib.* III. *de Doctr. Chriſt. cap.* v. & innumera alia loca. Vel ipſi honeſti Proteſtantes, qui laudata Auguſtini opera legerint, ſi partium ſtudio renuntiare voluerint, fatebuntur iure me mendacii poſtulare Calvinum.

§. III.

Invictis argumentis oſtenditur neceſſitas definitionis Eccleſiæ in fidei controverſiis dirimendis.

I. PRimum omnium memoria repetendum eſt quod ſupra indicavi contra mendacia Proteſtantium, qui conculcatis cuiuſque honeſtatis, & ſinceritatis regulis calumniantur, nos hominum iudicio divinas Scripturas ſubiicere. Catho-

tholici omnes ſuſpiciunt Scripturam ſanctam divinitus inſpiratam, eiuſque infallibilem veritatem a Deo eſſe, non ab Eccleſia. Scriptura ſancta norma infallibilis eſt, iuxta quam Eccleſia fidei controverſias dirimit. Ipſa ſubiecta eſt divinis Scripturis, ſanctis, diviniſque traditionibus, ad quarum amuſſim controverſias dirimit. Illa utpote mater nobis panem porrigit, & teſtatur hunc panem, hoc verbum eſſe divinum, eiuſque legitimum germanumque ſenſum, ne circumferamur omni doctrinæ vento, ne ab hæreticis, qui ſcorpionem pro pane tribuunt, ſeducamur. Ipſa nobis cuſtodit ſacrum Scripturarum depoſitum contra fures Proteſtantes, qui epiſtolam Iacobi, libros Iudith, Eſther, Eccleſiaſtici, Machabæorum, rapere pertentant. Calumnia ergo impudentiſſima, viris Proteſtantibus digna, eſt, Eccleſiam catholicam ſibi ſubiicere Scripturas. His calumniis, & fabellis illorum deſperata cauſſa nititur. Ad rem.

II. Paucis nunc argumenta perſtringam quibus iudicii Eccleſiæ neceſſitas in dirimendis fidei controverſiis demonſtratur. Et primum divina Scriptura duplicem ſenſum habet, litteralem unum, ſpiritualem alterum. *Littera occidit, & ſpiritus vivificat*, inquit Paulus Apoſtolus. Littera occidit Iudæos, qui Scripturarum oracula de Chriſti adventu in litterali ſenſu acceperunt. Littera occidit omnes hæreticos. *Sabelliani* unam ſolam divinam perſonam admittebant, quam tribus nominibus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum appellabant propter diverſa officia. *Ariani* Chriſtum non eſſe Deum, ſed Deo inferiorem contendebant, ſecundum litteralem ſenſum explicantes illud Ioan. XIV. *Pater maior me eſt*. *Manichæi* vetus teſtamentum pugnare cum novo effutiebant. *Pelagiani* negabant peccatum originale, & Scripturarum teſtimonia, & argumenta adeo ſpecioſa afferebant, quæ ipſi Auguſtino negotium faceſſerent. Omnes iſti, & innumeri alii hæretici littera occiſi perierunt. Scriptura ergo ſecundum externum litteralem ſenſum nequit eſſe ſeipſa iudex infallibilis propter litigantium diverſa ingenia.

III. Senſus quoque Scripturæ ſanctæ ſæpe obſcurus eſt, intellectuque difficilis, quem variis percipere modis homines poſſunt, & reipſa percipiunt, ut experientia conſtat. Ergo Scriptura ipſa elinguis, iudex inter homines litigantes eſſe nequit: iudex enim clara voce edicere debet hunc ſenſum eſſe verum, alterum falſum. Si hoc Proteſtantes negant, dementes ſunt.

IV. Nec eſt quod opponant, ſenſum obſcurum unius textus ſancti declarari per alium Scripturæ textum perſpicuum poſſe. Si ita res eſt; cur Calviniſtæ, & Lutherani non declarant hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, per alia Scripturarum loca? Cur finem ſuis graviſſimis controverſiis non imponunt poſt duo ſæcula? Nullam mihi admirationem ingerunt diſſidia Lutheranorum, Calviniſtarum, aliorumque hæreticorum omnium ſuper hoc aut illo textu Scripturæ. Immo attenta humanæ mentis imbecillitate, ſublato iudice vivo, neceſſario lites iſtæ ar-

Digitized by Google

ardent. Ecqui fieri poteſt ut vi horum verborum dumtaxat, *Hoc eſt corpus meum*, Lutherani revincant Calviniſtas, demonſtrentque hæc verba ſignificare præſentiam realem Chriſti ſimul cum panis ſubſtantia? Litigant Catholici, & Calviniſtæ ſuper hoc ſymboli articulo, *Deſcendit ad inferos*. Verum, & localem Chriſti deſcenſum ſignificare hæc verba defendunt Catholici: clarum hunc textum eſſe nos aſſerimus; negant Calviniſtæ. Quis litem dirimet? Nonne omnes hæreſes ex diverſa Scripturarum intelligentia ortæ ſunt? Nonne idem Scripturæ textus, qui uni litigantium parti eſt perſpicuus, alteri eſt obſcurus? Ergo delirat Calvinus, delirant Proteſtantes omnes, dum per ſolam Scripturam dirimere lites contendunt.

V. Ut dixi, & dicendum ſæpius eſt, non miror Proteſtantes diſſidere a Catholicis in articulis de reali Chriſti præſentia, de iuſtificatione, de cultu imaginum, de ſacrificio, aliiſque. Immo de horum aliquo vix cum illis diſputationem inirem. Qui enim acumine, & eruditione præſtant, poſſunt errores ipſos quibuſdam fucis depingere. Verum in hac capitali controverſia, ex qua unica ceteræ pendent, ſe mentis ſanitate carere, & manifeſtos fatuos ſe produnt. Lutherani, & Calviniſtæ una conveniunt, ſolam Scripturam eſſe iudicem controverſiarum. Deinde mutuo diſputant de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, de baptiſmo parvulorum, de prædeſtinatione, de exorciſmo. Si clara & luculenta ſuper his punctis Scriptura eſt, cæci & pervicaces Lutherani, & Calviniani ſunt, qui confundunt lucem cum tenebris, amarum cum dulci. Si obſcura eſt Scriptura; ergo fatui ſunt aſſerentes eſſe ſplendidiſſimam. Eorum mutua a duobus ſæculis manifeſta diſſidia evidentiſſime evincunt delirantes illos eſſe, dum aſſerunt ſola Scriptura dirimi controverſias fidei poſſe.

VI. Ediſſerant Proteſtantes. Sequentes controverſias quomodo ex Scriptura definient. I. Libri Canticorum, Iudith, Eſther, Eccleſiaſtici, aliique divini ſunt, aut apocriphi. II. Sacramenta novæ legis ſunt ſeptem, & non duo tantum. III. Ubinam Scriptura nomen *ſacramenti* tribuit baptiſmo, & Euchariſtiæ? & tamen de matrimonio dicitur in Scriptura: *Sacramentum hoc magnum eſt*: Epheſ. v. IV. Exorciſmus, & aliæ cæremoniæ in baptiſmo a Catholicis, & Lutheranis adhibentur: eas reiiciunt Calviniſtæ. V. Diſputant mutuo Lutherani, accipiant ne infantes in baptiſmo, an in exorciſmo fidem actualem? VI. An baptizati ab hæreticis ſint rebaptizandi? VII. An baptiſmus una, vel trina immerſione conferendus ſit? VIII. An B. Maria virgo poſt partum manſerit? Num ſola Scriptura ſancta dirimere has controverſias valet?

VII. Quid quod ipſa Scriptura ſancta ad iudicem, quem Deus deſignat, fidei controverſias dirimendas deferri iubet, ut manifeſte habetur Deuter. XVII. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram; & iudicum intra portas tuas videris*

ris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis; qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille. Non ſolum controverſiæ legales, ſed etiam fidei, definiri a iudice, in hoc teſtimonio præcipitur. Nam non minus de fide quam de legalibus controverſiæ identidem excitabantur. Idque patet tum ex pena mortis infligenda illi qui reſiſterret definitioni: *Moietur homo ille*: tum ex alio textu Paralip. II. cap. XIX. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum ... ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & non veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ Deum pertinent, præſidebit.* Controverſiæ autem, fidei maxime, ad Deum pertinent. Controverſia fidei potiſſima erat de adventu Meſſiæ. Et hæc dirimenda ad Concilium deferebatur, ut narrat Matth. cap. II. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo: & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethelehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt* &c. Sacerdotes, ut dubitationem definirent, Concilium convocarunt, Scripturas inveſtigarunt, & ad normam infallibilem Scripturarum definierunt. Nonnulla opponere Proteſtantes ſolent, ut oſtendant veteris teſtamenti Pontifices ſæpe erraſſe; ſed quia trita, & millies contrita ſunt, ea prætereo.

VIII. Praxis apoſtolicæ ſucceſſionis commenta Proteſtantium penitus labefactat. Controverſiam de circumciſione definiere Apoſtoli, Concilio Hieroſolymitano convocato, in quo liti finem impoſuere hac deciſione: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultra imponere* &c. Sublatis morte Apoſtolis, ſemper Eccleſia definivit controverſias ad fidem attinentes, ut manifeſtum eſt. Nonne ipſi Lutherani, & Calviniſtæ ultro fatentur, Sabellium, Arium, Neſtorium, Eutychem, Dioſcorum, Macedonium, Pelagium, alioſque plures iure damnatos eſſe? Niſi Eccleſia ſententiam in præfatos, alioſque hæreticos dixiſſet, hæretici illi in Eccleſia eſſent, & controverſiæ indefinitæ etiamnum arderent. Continuo ac Eccleſia anathema in eoſdem dixit, ſecti a ſucceſſione apoſtolica, ut hæretici habiti ſemper fuere.

IX. Tandem exemplo quo lites civiles dirimuntur, ſyſtema proteſtanticum improbatur, tamquam humanæ ſocietatis paci, & tranquillitati infeſtum. Conditæ ſunt civiles leges. Perſpicuæ plurimæ ſunt. Hæc perſpicuitas non impedit quominus homines eaſdem varios in ſenſus trahant, liteſque acerrimas ſibi mutuo inten-

ten-

Digitized by Google

tentent. Quis lites & controverſias dirimet? Leges ipſæ, quantumvis perſpicuæ? Nonne quælibet pars a ſe ſtare legis ſenſum, quemadmodum in controverſiis fidei quælibet ſecta ſibi favere Scripturam ſanctam, contendit? Nonne tamdiu lites ardent, quamdiu iudex non definit pro hac, non pro illa parte legem ſtare? In hoc civili iudicio tribuit ne iudex legi auctoritatem? Sibi ne legem ſubiicit? An ſi iudex contra legem iudicaret, non appellaretur ad ſupremum tribunal, cui tandem obediendum eſſet? Quid ergo calumniantur Proteſtantes, nos hominum iudicio divinam Scripturam ſubiicere, cum dicimus Eccleſiam fidei controverſias definire iuxta infallibilem Scripturæ divinæ normam? Quid blaterant, Eccleſiam auctoritatem Scripturæ tribuere, cum nihil de fide definire Eccleſia poſſit, niſi quod Scripturæ, aut divinæ traditioni conſentaneum agnoſcat? Supremæ poteſtates poſſunt temperare, mutare, minuere leges a ſe conditas. Nihil vero Eccleſia Scripturarum, divinarumque traditionum imminuere, augere, aut mutare valet; ſed ſolum germanum earumdem ſenſum interpretari, declarare, & definire poteſt, Spiritus ſancti lumine affulgente. In controverſiis civilibus litigantes non aſtringuntur mente credere, iudicium latum in tribunali eſſe verum: quia eiuſmodi iudicia res exteriores reſpiciunt. Fidei controverſiæ, quid mente credendum ſit, ſpectant. Niſi iudicia Eccleſiæ infallibilia eſſent, vana omnino forent. Idcirco Chriſtus ſuam protectionem eidem, ne erret, promiſit, ut ſupra oſtenſum eſt. Ergo quemadmodum portentoſum eſſet, & ſibilis excipiendum ſyſtema illud quod ſublata de mundo iudicum poteſtate in finiendis civilibus controverſiis, litigantes iudices conſtitueret; ita potiori iure fatuum, & chimæricum eſt ſyſtema Proteſtantium, qui ſolas divinas Scripturas, excluſo Eccleſiæ iudicio, iudices conſtituunt in definiendis fidei controverſiis.

§. IV.

Auctoritate Ioannis Lochii, *celebris apud Anglos Philoſophi*, Proteſtantes *ridicularii*, *& communi ſenſu deſtituti in hac cum Catholicis controverſia revincuntur*.

I. IOannes Lochius in ſuo opere inſcripto, *Le Chriſtianiſme raiſonnable*, unam conflat Eccleſiam ex *Catholicis Romanis*, *Arianis*, *Neſtorianis*, *Socinianis*, *Lutheranis*, *Calvinianis*, *Anabaptiſtis*, *Arminianis*, *Remonſtrantibus*, ceteriſque omnibus, qui credunt Deum & Chriſtum *Meſſiam Dominum & Regem*. Nullum alium articulum neceſſario credendum Chriſtum in Evangelio præcepiſſe contendit. Ceteros omnes articulos, & ſacramenta quiſque credere, aut reiicere, prout ipſe ſincere exiſtimaverit contineri, aut ſecus in Scriptura, iure valet. Nonne, inquit, continuo ac Gentilis, vel Iudæus credit Chriſtum ut Meſſiam, Deumque

cæli

Digitized by Google

cæli & terræ conditorem, Chriſtianus audit? Hi ergo duo articuli ſoli conſtituunt Chriſtianum. Ceterum conſulere poſtea Scripturas divinas debet ſincero animo diſcendi quidquid in eiſdem aut credendum, aut agendum præcipitur. Quæ exiſtimat revelata eſſe a Chriſto in Evangelio, credere debet; quæ ſecus iudicat, reiicere, quæcumque illa ſint, ſive ſacramenta, ſive alia dogmata. Heinc infert, iniuſte unam ſectam aliam improbare, & in eamdem anathemata dicere: fatuos declarat Lutheranos, qui a propria communione excludunt Calvinianos; & dementes Calviniſtas ſe a Lutheranis ſeparantes. Solis Catholicis Romanis hoc excommunicandi ceteras ſectas omnes privilegium adiudicandum foret, ſi, inquit, iſtorum hypotheſis (infallibilitatis, quam Eccleſiæ tribuimus) vera eſſet. Hoc ſuum ſyſtema aut admittendum a Proteſtantibus ait, aut cum Catholicis Romanis confitendum, non Scripturam ſolam, ſed Eccleſiam iudicem eſſe controverſiarum.

II. Hoc itaque pacto *Lochius* alloquitur Proteſtantes in citato opere, cui adiecta diſſertatio eſt, quæ univerſum ſyſtema complectitur. Pauca tranſcribam latine ex gallico idiomate verſa. „ Quid? Clamabit (inquit pag. 368.) quiſque *Proteſtan-*
„ *tium* ſuæ ſectæ zelo ardens, quique fidei articulum ſibi conſtituit anathemati-
„ zandi omnes qui ſuæ Eccleſiæ dogmata reiicit. *Fieri ne poteſt ut* (Proteſtantes)
„ *admittant principium iſtud* (Lochii) *quo omnium hæreſum genere Eccleſia chriſtia-*
„ *na fœdatur?* Nihil iracundiæ, rogo vos. Paſſionis impetus nullam umquam li-
„ tem compoſuit. Nonne verum eſt, *ſanctam Scripturam unicam eſse debere fidei*
„ *chriſtianæ regulam?* An non verum, *nullum nunc in terris reperiri Scripturæ*
„ *ſanctæ interpretem infallibilem?* Omnes Proteſtantes de his duobus principiis
„ conveniunt. Porro ſi ea ſincere probant, ſicuti millies & millies eadem propu-
„ gnarunt tum in eorum ſermonibus, tum in confeſſionibus fidei, tum in libris
„ editis adverſum *Catholico-Romanos*: concedant neceſſum eſt, cuilibet Chriſtia-
„ norum æquale ius ſeipſo interpretandi Scripturam ſanctam. Fateantur oportet,
„ eamdem doctrinam reſpectu unius illam videntis in Scriptura, eſſe articulum
„ fidei, ſecus reſpectu alterius, qui illam in Scripturis non eſſe exiſtimat. Heinc
„ neceſſario conſequitur, nullum *Proteſtantibus* ius ineſſe diffamandi, excommu-
„ nicandi, & hæreſis notam inurendi illis qui poſt diligens Scripturarum ſtudium,
„ diverſa prorſus vident ab iis quæ vident Proteſtantes. Eſto exemplum. Vos
„ proteſtantes invenitis in Scripturis *conſubſtantiationem*, *ubiquitatem Ieſu Chriſti*
„ *corporis*, *prædeſtinationem abſolutam*. Hæc credenda vobis ſunt. Huic fidei re-
„ nuntiare haud valetis, quoniam Scripturam vos reſpicitis ut infallibilem fidei ve-
„ ſtræ regulam. Verum ſi ego hæc ipſa dogmata reiiciam, quia in Scripturis illa
„ non invenio; nego vos in me irruere iure poſſe, meque infamare, & ut dete-
„ ſtandum, atque diabolo & eius angelis devotum hæreticum damnare. Hoc mi-
„ hi paradoxon eſt. Niſi præſumatis ut pro æterna obtinenda ſalute ego credere
„ aſtrin-

Digitized by Google

„ aſtringar reipſa in Scriptura reperiri omnia illa dogmata quæ vos videtis, ſecus ego. Quod ſi hoc a me poſtulatis, cur iubetis ut ego Scripturam legam, *omniaque expendam, & id teneam quod bonum eſt*, quemadmodum S. Paulus luculenter præſcribit? Cur potius catalogum mihi non porrigitis omnium dogmatum quæ vos contineri in Scripturis ſanctis exiſtimatis, *ut liber ſim* ab illis credendis, ut falſe aiebat Comes de Grammont? Quid eiuſmodi dogmata expiſcari ego debeo in Scripturis, in quibus forſitan illa non inveniam, ſi mihi æque credenda illa ſunt, ſive inveniam, ſive ſecus?

„ Rurſus, quo fundamento exigitis ut ego credam aliquod in Scripturis reperiri dogma, ſi ego illud in eiſdem non deprehendo? Forſitan auctoritate veſtra nixus? Quia vos eſtis Doctores, Profeſſores, Prædicantes, qui linguas Arabicam, Græcam, Hebræam, Latinam, Syriacam calletis, qui ingentia controverſiarum theologicarum volumina edidiſtis? At numquid homines nihiloſecius non eſtis errori obnoxii? Iure ergo deſtituti eſtis me aſtringendi, ut vi auctoritatis veſtræ credam hæc & illa dogmata in Scripturis contineri, niſi ego ipſe in eiſdem illa videam. Ut ad id me cogatis, Dei, qui nec falli, nec fallere poteſt, auctoritate egetis. Clarius loquar. Ut iure me ad credendum cogatis conſubſtantiationem, ubiquitatem corporis Chriſti, prædeſtinationem abſolutam, alioſque fidei articulos, quos tanto ardore defenditis, quoſque ego in Scripturis non invenio, neceſſum eſt ut miraculis, iis ſimilibus quæ Ieſus Chriſtus, eiuſque Apoſtoli patrarunt, mihi oſtendatis *interpretationem*, qua exponitis ſanctos Scripturæ textus, in quibus veſtros fidei articulos contineri exiſtimatis, eſſe ita authenticam, ut ſunt textus ipſi. Animadvertite, amabo vos, mihi animus haud eſt onus vobis imponendi, ut miracula patretis, quo iure amplectamini dogmata quæ in Scripturis reperitis. Adeo longe ab hoc abſum, ut contra aſſeram, vos obſtrictos eſſe ad credenda illa dogmata quæ certo doceri exiſtimatis a Ieſu Chriſto, & ſuis Apoſtolis in Scripturis. Verum ſubdo, ſi ego hæc dogmata in Scriptura non deprehendo, nullum vobis ineſſe ius me obſtringendi ut illa credam, niſi ſaltem mihi palam faciatis luculentiſſimis miraculis vos (Proteſtantes) a Deo miſſos eſſe, ut eius nomine annuntietis hominibus interpretationem qua exponitis hos aut illos textus, quibus dogmata veſtra confirmatis. Quo in caſu eo obſequio interpretationem veſtram ſuſcipere debeo quo ipſam Scripturam ſanctam amplector.

„ At vos reponitis: *Cur ſic ad incitas nos redigis? Quid eſt quod doctrinam noſtram redigere ad quæſtionem debeamus, quam infallibilem in noſtris Scripturæ ſanctæ interpretationibus credimus?* Illud certum eſt, vos *Proteſtantes* contendere haud poſſe ut veſtræ interpretationes ſuſcipiantur tamquam infallibiles. At vix ego recordabar, vos, ut mihi videtur, iſtius principii oblitos eſſe. Ut ut ſit,

„ in

Digitized by Google

„ in præſens illud omnino conceditis, omni reſtrictione ſublata . En quod mihi „ ſat eſt, ut omnia iura mea reſumam. Quoniam ſi verum habet, vos decipi in „ explicandis Scripturis ſanctis poſſe ; hæreticus iam ego non ſum, ſi reiiciam „ dogmata quæ vos, ſecus ego, in Scripturis videtis. Heinc neceſſario conſequi- „ tur, vos iniuria ſumma me obſtringere ut credam *conſubſtantiationem*, *ubiquita-* „ *tem corporis Ieſu Chriſti*, *prædeſtinationem abſolutam*, & cetera quæ vos in Scri- „ ptura videtis, quæque ego haud video &c.

„ Tandem, ſi verum eſt, Scripturam eſſe unicam regulam fidei chriſtianæ, „ quemadmodum omnes Proteſtantes profitentur ſe credere; quo iure poſſunt illi „ excommunicare, & ad inferni flammas damnare diſcipulum Ieſu Chriſti, qui „ pro fidei articulo habet, ea credenda eſſe quæ ipſe exiſtimat in Scriptura ſan- „ cta contineri? Hoc eſt quod non capio. Quamvis hæc doctrina oppoſita ſit „ principiis *Lutheri*, & *Calvini*, aut definitionibus Concilii Nicæni, aut Synodi „ Dordrechtanæ, aut Confeſſioni Auguſtanæ, nequeo non illam videre in Scri- „ pturis, quouſque illam video, & nequeo non illam credere uſquedum ſincere „ convictus ſum revelatam eam eſſe a Ieſu Chriſto, aut a ſuis Apoſtolis: niſi „ tenear uno in ſenſu intelligere Scripturam, & in alio contrario illam credere: „ illam explicare, ut *Arminenſes*, aut *Anabaptiſtæ*; eamque credere in ſenſu „ quem eidem affingunt *Lutherus* & *Calvinus* . . . . Si fides mea e. g. non alio „ fundamento, quam auctoritate *Lutheri* niteretur; ſi in illius verbo ego recipe- „ rem dogmata quæ ipſe reperiit in Scripturis, quin perſuaſus eſſem illa revelata „ eſſe a Ieſu Chriſto, & a ſuis Apoſtolis; non evaderem diſcipulus *Ieſu Chriſti*, „ ſed diſcipulus Lutheri: & tum non *Ieſu Chriſti* verbum, ſed verbum Lutheri „ acciperem in regulam fidei meæ &c.

„ Plures Theologi opponent, me haud recte ratiocinari. Revera nemo Chri- „ ſtianorum, ut ſalvus fiat, tenetur credere ea omnia quæ credidere *Lutherus*, & „ *Calvinus*; quin oppoſita his *magnis viris* credere valet. At ſunt certi fidei arti- „ culi ab omnibus Chriſtianis credendi, certa *dogmata fundamentalia*, quorum pro- „ feſſio unam ab altera communionem ſecernit, quæque nemo revocare in diſcri- „ men poteſt, quin fiat *hæreticus*, & omnibus Eccleſiæ ſuæ cenſuris dignus. Hæc „ oppoſitio ſeipſa corruit. Si Scriptura eſt unica fidei noſtræ regula, ut penes o- „ mnes *Proteſtantes* convenit, articuli iſti propoſiti ſint conceptis verbis in Scri- „ ptura neceſſum eſt. Quo in caſu omnes qui credunt in Chriſtum Ieſum, illos „ ſuſciperent . . . . Si *Calvinianus* vellet in *articulos fundamentales* erigere in- „ terpretamenta quibus ipſe exponit Scripturæ loca, *Lutherani*, & *Arminia-* „ *ni* eodem iure poterunt ſua commenta, tamquam *dogmata fundamentalia*, „ tametſi oppoſita proponere, immo propinquiora Spiritui ſancto: immo id „ præſtare pro ingenio ceteri omnes poterunt, quoniam ſingulis propria dogma- „ ta

Digitized by Google

„ ta conformiora, quam illa Arminienſium, Calviniſtarum, ſancto Spiritui appa-
„ rent.

„ Accedit actum eſſe de vulgi ſalute, ſi fides ***dogmatum horum fundamentalium***
„ neceſſaria ad ſalutem ſit; cum tamen non minus pro rudis populi, quam pro
„ Theologorum ſalute mortuus Chriſtus ſit. Quandoquidem ſi excommunicari, &
„ anathematizari illi debent ut hæretici qui hæc dogmata fundamentalia in ſenſu
„ a Theologis huius, aut illius ſocietatis expoſita non credunt; rudis populus,
„ qui eadem vix intelligit, nedum credit, in peiori reperitur ſtatu quam illi qui
„ hæc dogmata reiiciunt, quia in Scripturis illa non reperiunt.

„ Aliis rationum momentis poſſem hanc de articulis fundamentalibus doctri-
„ nam, quam tanto ſtrepitu Proteſtantium Societates iactant, labefactare. Sed
„ conſultius mihi eſt te remittere ad ſecundam partem *Chriſtianiſmi rationabilis*,
„ ubi invenies has rationes vi ſumma expoſitas.

„ Pag. 379. Proteſtantes teſtantur, ſe non eſſe infallibiles in Scriptura ſancta
„ interpretanda. Ipſi te ad illius libri lectionem mittunt, ut tuæ fidei articulos
„ inde haurias. Et interim communiter abſque miſericordia te damnant, ſi ali-
„ quod ſuorum Theologorum dogma reiicias; quamvis eiuſmodi doctrinas non ob
„ aliud reſpuas, niſi quod tibi pugnare videntur cum ſpiritu Auctoris Scripturæ
„ ſanctæ, vel quia in hac invenire eaſdem nequis. Quo nihil *ſane abſurdius*, ut
„ iam demonſtravi.

„ *Catholici Romani in ratiocinio ſibi magis conſtant. Eccleſia Romana, inquiunt*
„ *illi, eſt infallibilis. Chriſtus Ieſus poteſtatem ei dedit regendi fidelium conſcientias,*
„ *eoſque imbuendi in omni veritate ad ſalutem neceſſaria. Veri igitur Chriſtiani neceſ-*
„ *ſario huius Eccleſiæ definitionibus ſe ſubmittere aſtringuntur. Has illi reiicere ne-*
„ *queunt definitiones, quin ſint rebelles ipſimet Chriſto Ieſu, qui huius Eccleſiæ ore*
„ *loquitur. Iure ergo Eccleſia Romana illos excommunicat qui amplecti renuunt ſuam*
„ *doctrinam. Iuſte illa in iſtos anathemata vibrat, & Satanæ devovet, ut hæreticos,*
„ *infideles, & apoſtatas, qui iugum Ieſu Chriſti Domini & Magiſtri excuſſerunt.*
„ Conſequentia eſt ineluctabilis. Nemo inficiari illam poteſt, ſemel admiſſo prin-
„ cipio unde neceſſario manat. Sed illud in quæſtionem vertitur, ſit ne Eccleſia
„ Romana infallibilis, & num Chriſtus Dominus facultatem eidem tradiderit fi-
„ delium conſcientias regendi, eoſque inſtruendi in omni veritate ad ſalutem ne-
„ ceſſaria. Si id palam fieret, dubio procul infallibilitas Romanæ Eccleſiæ arti-
„ culus eſſet fundamentalis, quem neceſſario Chriſtiani omnes admittere tene-
„ rentur.“

III. Hactenus Ioannes Lochius, cuius reſcribere argumentationes volui. Quor-
ſum? Quod aliquid novi contineant? Quod efficacius propoſitæ ſint quam a duo-
bus ſæculis fuerunt a Catholicis Romanis Proteſtantibus obiectæ? Minime gen-

tium. Quorſum ergo? Ut videant, & confundantur Proteſtantes, audientes celebrem ex eorum ſocietate Philoſophum, & quidem acutum & doctum, & magnæ apud eos famæ, confirmare ut vera omnia prodigioſa abſurda quæ evidentiſſime conſequuntur illorum ſyſtema. Eos non latet, Lochium impium fuiſſe, tametſi incredulitatem ſuam abſcondere ſatagat in hoc ſuo *Chriſtianiſmo rationabili*. Sed proteſtantici ſyſtematis fatuitas, & abſurda quæ illud comitantur, adeo ſunt luculenta, ut vel ab ipſorum impiorum ore veritatis confeſſionem extorqueant. Alterutrum ergo, o Proteſtantes, deglutiendum vobis eſt, non modo Catholicorum omnium, ſed vel ipſorum Lochii, Collins, aliorumque Deiſtarum voce. Aut in veſtras Eccleſias recipere Neſtorianos, Arianos, Eutychianos, Macedonianos, Pelagianos, Arminianos, Socinianos, Anabaptiſtas, omneſque chriſtianas ſectas ſchiſmaticas, & hæreticas debetis: aut reiiciendum eſt principium veſtrum, a duobus ſæculis propugnatum, videlicet *ſolam Scripturam ſacram eſſe controverſiarum fidei regulam & iudicem*. Nulla hic evadendi latebra. Quid hiſcitis, o Lutherani? Non modo Calvinianos, quorum dogmata tanto zelo execrati eſtis, in veſtram recipere communionem adſtringimini; non modo, o Calviniani, fœdus cum Lutheranis in religionis negotio ineundum vobis eſt: ſed vos omnes Proteſtantes admittere debetis Eccleſiam monſtroſam conflatam ex omnibus ſectis hæreticis, & ſchiſmaticis, quæ hactenus fuerunt, eruntque impoſterum ſub nomine chriſtiano. Hæc portentoſa abſurda neceſſario conſequuntur principium veſtrum. Ergo aut tollendum de medio principium quod tam horrendos parit abortus; aut monſtroſi abortus admittendi, & in ſinu Eccleſiarum veſtrarum nutriendi. Ex fructibus planta dignoſcitur. Venefici ſunt fructus: ergo venefica planta. Ergo aut admittendum ſyſtema Eccleſiæ Romanæ; aut probandum ſyſtema *Lochii*. Ergo aut Lochiſtæ fieri Lutherani, & Calviniani debent, aut Papiſtæ. Nulla hic ad effugium rima. Chimæricum inventum de *articulis fundamentalibus*, quam ſit ridicularium, ex ipſo Lochio, nedum ex Catholicis demonſtratum eſt. Quæ Lochius contra principium infallibilitatis Romanæ Eccleſiæ cum ceteris Proteſtantibus obtrudit, mox profligabo.

§. V.

Diluuntur Proteſtantium vana ſophiſmata.

I. PRimum potiſſimumque ſophiſma, quod Proteſtantes contra Catholicos totis lateribus exaggerant, eo pertinet, ut evincant, neque penes Catholicos ipſos convenire, ubinam Eccleſiæ infallibilitas ſita ſit. Ne ſophiſmatis vim declinare videar, illud referam ipſis verbis, quibus proponitur a *Simone Epiſcopio*, viro ſane acutiſſimo, & nitida ſcribendi ratione prædito. At quo acutior & eruditior, eo

ob

ob deſperatam quam defendit cauſſam incredibiliora paradoxa promit. Hæc eſt ergo illius argutatio *Tom. I. de labyrintho ſeu circulo pontificio cap.* IV. cuius hæc eſt theſis: *Pontificios non poſſe oſtendere, quænam illa Eccleſia ſit quæ errare non poteſt*. Probat vero hoc pacto. „ Impoſſibile ipſis eſt argumentum aliquod apody- „ cticum, ſeu demonſtrativum proferre, quo ſibi, aut ulli alii homini a partium „ ſtudio alieno perſuadeant, non dico Romanam, ſed Eccleſiam errare non „ poſſe."

II. Audiſtin'? Ex ungue leonem, ex procemio cetera collige. Nulla Chriſti Eccleſia, ſive univerſalis, ſive particularis, ab errore immunis eſt. Ergo univerſa Chriſti Eccleſia ſentina eſt omnium errorum quibus omnes homines, cæleſti lumine, divinoque præſidio deſtituti, obnoxii ſunt. Audiamus probationes.

III. „ Hæc duo ſic evinco. Quod ad primum membrum ſic interrogo Pontifi- „ cium. Cum dicis Eccleſiam, vel Romanam Eccleſiam errare non poſſe, quid „ tum intelligis per Eccleſiam? Num Chriſtianos in genere, qui Ieſum Chriſtum „ habent pro Salvatore ſuo, & ſe ſanctis eius præceptis ſubiiciunt, ut ne unus „ quidem eorum errare poſſit? Negabis dubio procul. Singuli enim eorum ſeor- „ ſim, immo omnes ſimul coniunctim conſiderati errare poſſunt: omnes enim „ ſunt membra unius corporis, quod caput viſibile habere debet, a quo omnes „ vitam ſpiritualem, ſenſus, & affectus ſanctos accipere debent."

IV. Hoc tamquam firmum certumque principium a Catholicis conceſſum præmittit, omnem ſcilicet ſocietatem apoſtolicam ſuo viſibili capiti coniunctam errare poſſe. Heinc ſic perſequitur ſuam argutationem homo feſtivus. „ Fac ita eſſe, „ quid ergo? An Cardinales, Archiepiſcopos, Presbyteros, & Doctores Eccleſiam „ eſſe arbitraris? Negabis denuo: quum omnes & ſinguli errare poſſint, eamdem „ ob cauſſam quam iam indicavimus. An ergo per Eccleſiam intelligis Concilium „ generale, conſtans ex omnibus Cardinalibus, Epiſcopis, & Doctoribus, vel to- „ tam Chriſtianorum multitudinem repræſentantibus, cuius iſtud Concilium ca- „ put eſt? Affirmabis? Sed dato hoc, quamvis nulla nitatur ratione, quæram ego „ ulterius: An ergo credis iſtud Concilium, ut caput Eccleſiæ, errare non poſſe „ quomodocumque congregatum, & quidquid in eo decretum fuerit? Nequaquam, „ inquiet: legitime debet convocatum eſſe. Per quem? inquam ego. Per Ponti- „ ficem Romanum, inquiet ille. Eſto hoc, quamvis a ratione ſit alienum, & ſi- „ ne fundamento, immo contra primorum Conciliorum praxim ſtatuatur. An i- „ ſtud Concilium eo modo convocatum Eccleſia illa eſt quæ in decretis ſtatuiſ- „ que ſuis errare non poteſt? An ibi eſt caput illud Eccleſiæ, in quo nullus ca- „ dit error? Hic nomihil hærebit."

V. Eccur *hærebit*, mi homo? Quia, ſubdit, pergam quærere, ſi Concilium quidpiam decreverit abſque conſenſu, immo contra dignitatem Papæ, an in eo

errare non poterit? Hic hæreat omnino neceſſe eſt. Notum enim eſt varia antiqua Concilia plura definiviſſe contra ſententiam Romani Pontificis. In ſcenam revocat decretum Concilii Conſtantienſis, & aliorum Conciliorum.

VI. Hoc eſt ſophiſma quod uno ore obtrudunt Proteſtantes, illudque verbis *Epiſcopii* reſcribere volui, utpote viri acutiſſimi, ut intelligant Proteſtantes ſincere nos illorum paradoxa in medium producere, ut evidentius ſplendeat veritas noſtra. Si enim vel ipſe *Epiſcopius* in ſcribendi arte ſane peritus, & acerrimo ingenio ornatus, in hac ſua argutatione Sophiſtam leviculum, & rabulam loquacem ſe prodit; hoc non ex Scriptoris imperitia, ſed ex argumenti futilitate proficiſcitur.

VII. Sed, antequam levitatem Sophiſtæ *Epiſcopii* patefaciam, Iubet pæanas, quos canit, & triumphos, quos poſt recenſitam argutationem iactat, reſcribere. Hæc quippe *loc. cit. cap.* v. ſubdit. „ Ecce quam intricato, atque inextricabili in „ labyrintho hæreat Papiſta, quod attinet ad primum, & præcipuum fundamen„ tum religionis ſuæ, quod nempe in hunc uſque diem dicere nequeat, quænam „ ſit iſta Eccleſia, quæ errare non poteſt, aut quodnam ſit caput illud Eccleſiæ „ errori non obnoxium, niſi multis, & variis Eccleſiis catholicis, & Doctoribus „ contradicat: nec ullam mens humana rationem excogitare poteſt, qua ex hoc „ errorum labyrintho in viam reducatur. Quis enim hoc ſine errore ſtatuet, aut „ decidet? . . . Fundi expers abyſſus eſt, cui hactenus immerſa fuit Eccleſia Ro„ mana, nec non omnes ii qui illam unicam Eccleſiam eſſe arbitrantur, in qua „ ſola ſalus & poteſt, & debet obtineri. *Prodeat ex illis aliquis qui hinc cum ve„ ri ſpecie, & ſolidis rationibus extricare ſe valeat.*

VIII. His lepidulis commentis, & puerorum crepitaculis triumphabundi adverſarii noſtri plebem excantant, hiſque verſutis præſtigiis miſeros populos faſcinant. Neminem adhuc ſeptentrionalium hæreticorum legi, qui impoſturis & confictis mendaciis Catholicorum dogmata ad invidiam conflandam non adulteraverit. Catholicorum nemo hactenus expoſuit, in quo ſita ſit apoſtolicæ ſucceſſionis infallibilitas? In conſpectu univerſæ Reipublicæ litterariæ tam perfracte mentiri non pudet *Epiſcopium*, & cum eo *Proteſtantes* omnes, qui ſimilia impudentiæ portenta divulgant? Similia etiam Lochius, & alii omnes crepant.

IX. Tam evidens eſt Doctores catholicos baſilice explicare, in quo ſita ſit Eccleſiæ infallibilitas, quam ſunt manifeſta illorum opera. An non omnes Theologi catholici iſta docent? Cum Paſtores Eccleſiæ ſuo viſibili Capiti coniuncti definiunt aliquem articulum eſſe a Deo revelatum, eiuſmodi definitio infallibilis eſt, cui fideles omnes ſubiici debent. Sive aliis verbis, definitio articuli fidei ab ipſo Capite prolata, accedente unanimi Paſtorum Eccleſiæ conſenſu, nemine Catholicorum refragante, infallibilis eſt. Exemplum iſtius infallibilitatis arceſſimus ab ipſo primo

mo Eccleſiæ noſtræ Concilio Hieroſolymitano : *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*: Act. xv. Expergiſcimini, o Lutherani, Calviniani, Arminiani, Remonſtrantes , & quotquot eſtis ab apoſtolica ſucceſſione extorres, & cæcitatis velum tandem aliquando abrumpite. An negatis Hieroſolymitani Concilii infallibilitatem? Porro idem Spiritus ſanctus qui infallibiles illius Concilii deciſiones conſtituit, efficit , efficietque uſque ad mundi conſummationem omnes poſteriores Eccleſiæ noſtræ definitiones, ſimili forma & ordine prolatas. Quid ergo nugaris, o Epiſcopi ? Quid crocitamini, o Proteſtantes? Si Concilium Hieroſolymitanum ſtetiſſet ex una parte, & Petrus ex altera, ubi tum fuiſset infallibilitas ? Nugæ proteſtanticæ hæ ſunt, & chimæræ. Ille divinus Spiritus qui infallibilem reddit definitionem eccleſiaſtici cœtus, corda, menteſque Paſtorum coniungit cum capite, ut idipſum ſapiant omnes, cum neceſſitas interpretandi fidelibus omnibus divinam doctrinam occurrerit . En articulum infallibilitatis Eccleſiæ noſtræ perſpicue, & breviter expoſitum. Nullum, ad hoc quod attinet, inter Catholicos diſſidium . Omnes unanimi conſenſu in hoc conveniunt. Quid ergo verſuti vitilitigatores articulum, quem omnes Catholici profitentur, confundunt fide mala, & iniqua fraude cum ceteris controverſiis quæ diſputantur a quibuſdam Catholicis, num Concilium ſit ſupra Papam, num Papa ſolus, non accedente conſenſu Paſtorum, ſit infallibilis? Ubi hic bona fides? ubi honeſtas? ubi frons? Si poſtremum infallibilitatis exemplum petunt, oculos in Tridentinum Concilium intendant. Canones fidei , in hoc Concilio conditos adverſus Proteſtantes, omnes Catholici, nemine diſcrepante, tamquam a Spiritu ſancto dictatos ſuſcipiunt. Quid ergo mentiuntur, neminem adhuc Catholicorum deſignaſſe, in quo ſita ſit Eccleſiæ noſtræ infallibilitas ? Alias controverſias , quas Epiſcopius tumens, & ſuperciliosſus conſarcinat , prætereo, utpote a cauſſa noſtra alienas . Quid huc pertinet exauctoratio Pontificis Ioannis facta in Concilio Conſtantienſi? Dum lego Proteſtantes contra Catholicos diſputantes, mihi audire videor Hebræos ſingulos more ſuo in ſynagoga canentes , quorum diſcordantes voces aures bene diſpoſitas offendunt. Similiter, inquit Tertullianus (cuius verba mox dabo) ſinguli hæretici pro ingenio uno hiatu pugnantia eructant, & gentes invicem diſſonas conſociant.

X. Nos articulum infallibilitatis , qua Spiritu ſancto afflante & protegente ornata eſt noſtra Apoſtolico-Romana ſucceſſio, breviter iuxta ac perſpicue expoſuimus . Quid , ſi nunc arma in caſtra proteſtantica convertamus , illos urgentes , ut paucis nobis exponant ſuam fidei unitatem , Eccleſiarum originem , ſucceſſionem apoſtolicam? Inaudita & horrenda abſurda , quæ illorum conſequuntur ſyſtema, ſupra ex *Lochio* deſcripſi . Quoniam vero Simon Epiſcopius in ſcenam venit, lubet eiuſdem verbis Babylonis proteſtanticæ & reformatæ turbas invicem pugnantes delineare. Nam ipſe *Simon Epiſcopius*, inter Remonſtrantes ſuos heros ce-

Digitized by Google

lebris, exemplum perhibet ſynagogarum reformatarum, & proteſtantium mutuo diſcordantium. Is in *reſponſione ad epiſtolam P. Vadingi Ieſuitæ cap.* v. de Scripturarum interpretatione hæc ſcribit. *Verumtamen ut intelligas non habere nos damnatorum talem ſpiritum, eoſque quos nos hallucinari, & errare credimus, protinus ſecludere ab amicitia Dei, & perpetuis ignibus adiudicare; nego conſequentiam argumenti tui. Etenim primo fieri poſſe credo ut in interpretando Scripturæ ſenſu, quem ego neceſſarium ad ſalutem eſſe credo, ANTIQUA ECCLESIA, ideſt Patres antiqui erraverint . . . Tertio fieri poſſe credo ut quis in interpretando ſequatur ſenſum non tantum falſum, inidoneum, & FUNDAMENTALEM aliquem ſenſum indirecte evertentem, ſed etiam talem qui FUNDAMENTALEM VERITATEM DIRECTE EVERTIT, & tamen ut talis non ſtatim amicus Dei eſſe deſinat, aut perpetuæ mortis reus fiat. Exempli gratia, fieri poteſt ut quis in interpretatione SCRIPTURARUM ſequatur ſenſum qui ſtatuit OPERA BONA NON ESSE NECESSARIA ad ſalutem, qui certe ſenſus fundamentalem veritatem evertit: & tamen NIHIL DUBITO, quin talis ſalvari poſſit, & amicus Dei manere.*

XI. Animis nunc adeſte, Calviniani, Remonſtrantes, Arminiani, & Proteſtantes omnes. Sub apoſtaſiæ veſtræ ſacrilegæ initium opera bona, ut ad iuſtificationem diſponentia, negaſtis; at eadem neceſſaria ad ſalutem propugnaſtis. Tandem celebriores doctores, immo duces ſectarum veſtrarum hanc bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem perfracte negant. Quid hiſcitis? Errorem hunc *Epiſcopii*, & Remonſtrantium improbamus. Ita ne vero? An non licet cuicumque, clamat *Epiſcopius*, interpretari Scripturam? An hæc ſola, ſublatis divinis traditionibus, & iudicio Eccleſiæ Papiſtarum, iudex non eſt controverſiarum noſtrarum? Iudex iſte, inquit Epiſcopius, ſententiam menti meæ denuntiat, opera bona ad ſalutem æternam haud eſſe neceſſaria. Vos alio in ſenſu iudicis iſtius ſententiam intelligitis. Bene habet. Fauſta vobis adprecamur, inquiunt Remonſtrantes cum ſuo Epiſcopio. Opera bona edite, eleemoſynas erogate, iuges preces fundite, ieiuniis carnem & concupiſcentiam comprimite. Quoniam vox Scripturarum hæc vobis peragenda eſſe definit. Iſtius iudicis ſententiam ea libertate, quam voſmetipſi mihi donatis, ſerio ipſe expendens, non video illam talia opera mihi imponere. Faceſſant a me eleemoſynæ, iuges preces, ieiunia, officia caritatis in Deum & proximum, opera miſericordiæ, hoſpitalitatis, & cetera omnia, quæ a Chriſto præcipi vos iudicatis.

XII. Nulla ergo amplius in Eccleſia Chriſti ſchiſmata, nullæ hæreſes. Erravit Apoſtolus inquiens: *Oportet hæreſes eſſe*. Quoniam ſecundum Proteſtantes, cum quiſque in ſuo ſenſu Scripturas interpretandi iure polleat, nemo damnari ut hæreticus poteſt, quocumque in ſenſu illas more ſuo interpretetur. Sponte ergo ſequitur ſyſtema Lochianum, Eccleſiam nempe proteſtanticam eſſe monſtroſam Babylo-

Digitized by Google

bylonem, conflatam ex Cerdonianis, Neſtorianis, Arianis, Macedonianis, Marcionitis, Valentinianis, Pelagianis, Socinianis, omnibus præteritis, & futuris ſectis. Prodeat, ut verbis utar *Epiſcopii*, ex Proteſtantibus *aliquis* qui hinc cum veri ſpecie & ſolidis rationibus extricare ſe valeat. Fundi expers abyſſus eſt Troia proteſtantica.

XIII. Quid plura? Proteſtantes in propriam Eccleſiam admittant neceſſe eſt omnes Iudæos Ieſu Chriſti crucifixores. Evinco. Iudæi Chriſtum Dominum damnarunt, quia iuxta Scripturam ſanctam iudicarunt fuiſſe crucifigendum. An non licebat, licetque Hebræis interpretari divinas Scripturas, & id credere & operari quod poſt maturum examen vident, creduntque divinas Scripturas præcipere? Quid, ſi Pagani Scripturas expendendas ſuſciperent, & quæ credenda, agendaque in eiſdem reperiunt, ipſi iudicarent non eſſe ad ſalutem neceſſaria? Finge iſtos ad rationis lumen mores conformare ſuos. Eos ne damnabunt Proteſtantes? Eos certe damnare nequit Epiſcopius, atque adeo neque Proteſtantes. En miſeros homines in abyſſum fundi expertem Naturaliſmi, & tandem Atheiſmi exturbatos a proprio invento ſyſtemate.

XIV. Sed lubet ſale Tertullianico ſinciput Proteſtantium paullulum defricare. Paucis perſtringam quæ verbis poſtea Tertulliani deſcribam. Ecquid? An liberum Proteſtantibus non erit fabulari, & in dies nova dogmata comminiſci? Licuit Luthero, licuit Calvino innovare dogmata; & non licebit Lutheranis, & Calvinianis alia cudere? Qualibet ſucceſſio naturam ſapit ſuæ originis. Hæretico adulterio Chriſti Eccleſiam conſtuprarunt Lutherus, & Calvinus; & vetitum erit diſcipulis, novis ſtupris, & ſcortationibus Sponſam Chriſti fœdare? Ab abyſſu miſeri quotidie in abyſſum prolabuntur omnium ſchiſmatum, & hæreſum; immo nulla illis hæreſis, & ſchiſma eſt. Sed ferulam ſentiant Tertulliani, qui de *Præſcript. cap.* XLII. in eos ſic animadvertit. „ De verbi autem adminiſtratione quid dicam; cum „ hoc ſit negotium illis, non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi? Hanc „ magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus elevationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum, non de ſuo proprio ædificio venit „ ſed de veritatis deſtructione. Noſtra ſuffodiunt, ut ſua ædificent . . . Ita fit ut „ ruinas facilius operentur ſtantium ædificiorum, quam extructionem iacentium „ ruinarum. “

XV. An non verum teſtimonium hoc? An Eccleſiæ proteſtanticæ ex deſertoribus & apoſtatis conflatæ non ſunt? Eo conſpirarunt miſſiones Lutheri, & Calvini, ut Catholicos a Sponſa Chriſti ſeiungerent. Sed preſſius in rem noſtram orationem ſuam perſequatur Tertullianus, qui *ibidem* hæc adiicit. *Et hoc eſt quod ſchiſmata apud hæreticos fere non ſunt, quia cum ſint, non parent. Schiſma eſt enim unitas ipſis. Mentior, ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum UNUSQUIS-*

Digitized by Google

QUE proinde SUO ARBITRIO modulatur quæ accepit , quemadmodum de SUO ARBITRIO ea compoſuit ille (Lutherus) *qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & ORIGINIS SUAE MOREM profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino* (Lutheranis quod Luthero). *Idem Marcionitis quod Marcioni* (Calvinianis quod Calvino) *de arbitrio ſuo fidem innovare. Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Plerique nec Eccleſias habent , ſine matre , ſine ſede , orbi fide, extorres quaſi Abii late vagantur.*

XVI. Meditamini, o Lutherani, & Calviniani, veſtram germanam imaginem. Ab antiquorum hæreticorum veſtigiis nec latum unguem receditis. Sicut veritas eadem recta ſemita ſemper inceſſit; ſic error in eoſdem anfractus, & abyſſos fundi expertes præceps ſemper ruit. Diſciplinam, & ſacram Romanæ Eccleſiæ doctrinam deridetis, ſicut anteceſſores veſtri, ſubdit Tertullianus ibidem cap. xli. *Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cuius penes nos curam, lenocinium vocant; pacem quoque cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Ante ſunt perfecti catechumeni quam docti. Ipſæ mulieres hæreticæ ſunt procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes.... Nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt.*

XVII. Rurſus *cap.* xlvii. Tertullianus iugulum veſtrum petit ſuo acuto & formidando ſtilo, o Proteſtantes, qui vi ſyſtematis veſtri neminem, ſincere arbitrio ſuo Scripturas interpretantem, tamquam hæreticum damnare iure valetis. *Quid ergo dicent qui illam ſtupraverint adulterio hæretico virginem traditam a Chriſto? Adiicient præterea, multa de auctoritate cuiuſque doctoris hæretici* (Lutheri, & Calvini) *illos maxime doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut merito Apoſtoli crederentur; quaſi nec hoc ſcriptum ſit, venturos multos qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.* Attentius nunc audite, o Lutherani, & Calviniani, Tertullianum, qui, ut vos vellicet, introducit Chriſtum Dominum corrigentem ſuum Evangelium, quo iubet cavendum ab hæreticis, & a falſis doctoribus, cum iuxta vos nulli hæretici, nulli falſi doctores, qui proprio arbitrio Scripturas ſanctas interpretantur. *Prænuntiaveram* (dicit Dominus) *plane futuros fallaciæ magiſtros in meo nomine, & Prophetarum, & Apoſtolorum etiam, & diſcentibus meis eadem ad vos prædicare mandaveram. Semel Evangelium, & eiuſdem regulæ doctrinam Apoſtolis meis delegaveram. Sed cum vos non crederetis* (o Lutherani, & Calviniſtæ) *libuit mihi poſtea aliqua inde mutare . . . Prohibueram vos aurem accommodare hæreticis, ſed ERRAVI. Talia ſapit opinari eos qui exorbitant, & fidei veritatis periculum non cavent.* In talia, vos, o Proteſtantes, detrudit extrema veſtrum vaniſſimum com-

Digitized by Google

commentum, quo iudices controverſiarum fidei ſolas mutas Scripturas conſtituitis, iuxta cuiuſque interpretationem explicatas. Unica eiuſmodi declinandi extrema via eſt firma ſucceſſioni apoſtolicæ adhæſio, reiectis quibuſque ſectis poſterius exortis, concludit Tertullianus *Lib.* IV. *contr. Marc. cap.* v. inquiens: *In ſumma ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod eſt ab initio, ab initio quod eſt ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum quod apud Eccleſias Apoſtolorum* (N. B.) *fuerit ſacroſanctum . . . Habent* (& Proteſtantes) *Eccleſias, ſed ſuas tam poſteras, quam adulteras: quarum ſi ſenſum requiras, facilius apoſtaticum invenias quam apoſtolicum, Marcione* (Luthero) *ſcilicet conditore, vel aliquo de Marcionis* (Lutheri) *examine. Faciunt favos & veſpæ: faciunt Eccleſias & Marcionitæ.*

XVIII. Hactenus Tertullianus Proteſtantium aures ſale revera acri defricavit. Nonnulla alia eorumdem ſophiſmata breviſſime diluam, miſſis pluribus, quæ alibi fuſius, ſi otium fuerit, exponentur.

XIX. Opponunt 2. teſtimonium illud Ioannis cap. v. *Scrutamini Scripturas*. En, clamant hic Proteſtantes, ad Scripturas nos Chriſtus remittit. Ecquis umquam Chriſtianorum, nedum Catholicorum, inficias ivit ſcrutandas divinas eſſe Scripturas? Solum Calvinum, ſua incredibili protervitate fretum, mentiri in conſpectu totius humani generis non puduit, catholicam Eccleſiam, neglectis Scripturis, fidei controverſias definire. Illius portentoſum mendacium ſupra reſcripſi: & quoniam illud impudentius repetit *Lib. IV. Inſtit. cap.* v. *§.* 13. reſcribendum iterum eſt. Hoc igitur eſt diſcrimen. *Illi* (Catholici) *Eccleſiæ auctoritatem extra verbum Dei collocant; nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo ſeparari patimur*. Hæc reſcribo in perpetuum dedecus Proteſtantium, ſeu Reformatorum, qui tam manifeſtum impoſtorem pro magiſtro habere non erubeſcunt. Non modo nos annexam verbo divino & ſcripto, & tradito Eccleſiam volumus; ſed inſuper dicimus in ipſo Eccleſiæ ſinu divinas genitas eſſe Scripturas, quas Deus per iſtius ſuæ Sponſæ manus diſcipulis ſuis tradidit. Hanc Sponſam ſuam viſibilem vigilem cuſtodem inſtituit Scripturarum ſanctarum, ut eaſdem contra lupos rapaces Lutheranos, & Calvinianos, qui furari nobis tentarunt epiſtolam *Iacobi Apoſtoli*, & libros *Eccleſiaſtici*, *Eſther*, *Iudith* &c. defendat, & protegat. Iſtius ſancti Dei verbi cum ſcripti, tum traditi illam interpretem inſtituit, ut quoties ſuper eiuſdem intelligentia controverſiæ oppoſitæ ardent, ipſa, cui, ne aberret, indeſinenter aſſiſtit, definiat germanum ſenſum, liteſque componat. Verbum iſtud divinum Eccleſia noſtra a Chriſto accepit primum ſola ſibi voce traditum, poſt ſcriptis conſignatum fuit ab ipſis Eccleſiæ noſtræ Rectoribus Apoſtolis, qui teſtantur, non omnia Scripturæ commendaſſe, ſed plura in ſolis cordis tabulis infixiſſe, ut ſupra demonſtratum eſt.

XX.

XX. Opponunt 3. contra perennem apoſtolicam ſucceſſionem, quam interruptam blaterant. Audiamus Calvinum ipſum, a quo alii & Reformati, & Proteſtantes omnia tranſcribunt. Crocitat autem Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* 11. *§.* 2. his verbis. *Commemorant, quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alii. Quam frivola ſint iſta, & plane ludicra, faciam ut nullo negotio intelligant ii qui mecum ea paullulum expendere volent.* Hac urbanitate excipit antiquos Eccleſiæ Patres homo modeſtiſſimus, quos ſic alloquitur. *Primum ab illis quæro, cur non Africam citent, Ægyptum, & totam Aſiam... Sed quid, ſi Græciam illis regeram*? Uno verbo reſpondemus, ſucceſſionem apoſtolicam non illigaſſe Deum huic aut illi nationi. Dicimus Deum tremenda illa viciſſitudine quæ perterreſaciebat Apoſtolum Paulum, modo unam improbare ob ſua ſcelera, modo alteram nationem inſerere ſuæ apoſtolicæ ſucceſſioni, quæ ad conſummationem mundi uſque duratura eſt. Ad Hebræorum aſylum ſe recipit iterum *ibidem §.* 3. blaterans: *Ergo non aliud prætendunt Romanenſes, quam Iudæos olim oſtendiſſe apparet, quum cæcitatis, impietatis, idololatriæ a Prophetis Domini arguerentur. Nam ut illi templum, cæremonias, ſacerdotia glorioſe iactabant, quibus rebus Eccleſiam magno, ut ſibi videbantur, augmento metiebantur... Quare neque alio argumento refutandi nobis ſunt quam quo adverſus ſtultam illam Iudæorum confidentiam pugnabat Ieremias, nempe ne glorientur in verbis mendacibus, dicentes, Templum Domini, Templum Domini.* Bene habet. Sed interim templum Domini habebant Iudæi tamquam ſplendidiſſimum electi populi monumentum. In hoc reprehenſibiles erant quod illud ſacrilegis flagitiis polluerent. Habemus & nos templum Domini vivum, ſucceſſionem apoſtolicam perennem, indeficientem, extra quam ſalus nulla, Eccleſiæ nullæ, niſi adulteræ, & proſtitutæ. Hoc vel ipſe pertinaciſſimus homo nobis tandem ultro concedit; ſed continuo obſtrepit *§.* 4. *In hunc modum nos vexant Romanenſes, ac imperitos terrefaciunt Eccleſiæ nomine, quum capitales ſint Chriſti adverſarii. Quamvis igitur templum, ſacerdotium, & reliquas huiuſmodi larvas obtendant, minime permovere nos debebit inanis hic fulgor, quo ſimplicium oculi perſtringuntur, ut Eccleſiam recipiamus ubi verbum Dei non apparet.* Larvæ ergo ſunt, mi homo, ſacerdotium, miniſterium, vivum templum Dei? Ita ſane, niſi in eo appareat incorruptum Dei verbum, ſubdit ille, & elata voce confitentur Catholici omnes, clamantque, Calvinum, Reformatos, & Proteſtantes eſſe impudentiſſimos impoſtores, & mendaces contra ipſum Chriſtum Dominum, qui huic vivo templo, huic viſibili, & numquam intercisæ apoſtolicæ ſucceſſioni protectionem ſpopondit, ne in cuſtodiendo, & interpretando ſuo verbo ſive ſcripto, ſive oretenus tradito umquam deficiat. Plura Iudæorum ſcelera ibidem conſarcinat Calvinus, ſchiſmata, hæreſes. Duobus vinculis contineri aſſerit Eccleſiam, ſanæ doctrinæ confeſſione, & fraterna caritate. Verſutus ſophiſta continen-

ter

Digitized by Google

ter veritatem implicat, involvit, incruſtat, ut lectorem decipiat. Quæſtio eſt, ubinam reperiatur hæc ſanæ doctrinæ confeſſio, hæc incorrupti verbi vera prædicatio. In viſibili, legitima, & perpetua ſucceſſione apoſtolica nos aſſerimus cum omnibus Eccleſiæ Patribus, & luculentiſſimis divini verbi tum ſcripti, tum traditi argumentis id demonſtravimus. Hic obmuteſcat Calvinus neceſſe eſt. Nam omnes ad unum hæretici a ſe ſtare incorruptum Dei verbum clamarunt, non ſecus ac Proteſtantes. Quis iudex iſtius diſſidii? Qua via ipſis primis ſex Eccleſiæ ſæculis unanimi conſenſu Patres hanc litem diremerunt? A qua parte ſtare incorruptum Dei verbum definiere? A perenni, & non interrupta ſucceſſione apoſtolica. Ergo conſenſu unanimi Eccleſiæ catholicæ ſex priorum, & conſequenter poſteriorum ſæculorum Eccleſia apoſtolica Romana poſſidet incorruptum Dei verbum. In utrumque latus ſe ſe torquet Calvinus, & cum muſſitare aliud nequeat, ſcelera Catholicorum cum Iudæorum flagitiis comparat ibidem §. 9. *Age nunc, negent Papiſtæ, ſi poſſunt, ut ſua vitia maxime extenuent, religionis ſtatum ita apud ſe corruptum vitiatumque eſſe, ut fuit in regno Iſraelitico ſub Ieroboam. Atqui idololatriam habent craſſiorem, neque in doctrina guttula una ſunt puriores: niſi forte in hac quoque ipſa magis ſint impuri. Deus, immo quicumque mediocri iudicio præditi ſunt, mihi erunt teſtes, & res etiam ipſa declarat, quam nihil hic amplificem.* Nihil ergo amplificationis? Tam exacta tibi eſt menſura doctrinæ Eccleſiæ Iudaicæ, & Catholico-Romanæ, ut definias hanc neque *unam guttulam* purioris doctrinæ præ illa poſſidere? O miſerum circulatorem, qui ſuam deſperatam cauſſam ſuis non amplificationibus, ſed apertis mendaciis horrendiorem conſtituit. Morum ſcelera graſſari in pluribus qui in Eccleſia catholica ſunt ultro fatemur, & lugemus. Age porro. Quid heinc? An Chriſtus ipſe non prædixit, Eccleſiam ſuam agrum eſſe zizaniis, & grano plenum? Perpetuam protectionem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus promiſit, ne erret in fidei, morumque doctrina, ſecus ne plura eius filii peccent contra legem.

XXI. Plures alias obiectiunculas, arceſſitas ex una, aut altera tempeſtate quam paſſa Eccleſia eſt, prætereo. Fraudem Arianorum in Concilio Ariminenſi catholicis Epiſcopis ſtructam, Auguſtinus, Hieronymus, & mille alii perſpicue declararunt ad perpetuam Proteſtantium ignominiam, qui illam obtrudunt, ut abruptam infallibilitatis apoſtolicæ ſucceſſionem inferant. Alia quoque facta unius & alterius Concilii, Conſtantienſis, Baſilienſis, & aliorum pleno in lumine collocarunt viri docti, quin aliquid inde emolumenti capere Proteſtantes valeant.

XXII. Opponunt 4. Synagoga erravit. Ergo & Chriſti Eccleſia errare poteſt. Antecedens patet. Nam Pontifices, & Phariſæi collegerunt Concilium, cuius ſententia impia fuit, ut *Ioan.* 11. legitur. Principes enim Sacerdotum, & omne Concilium

cilium quærebant falſum teſtimonium adverſus Ieſum ; & omnes Principes Sacerdotum, & ſeniores populi adverſus Ieſum conſilium inierunt : *Matth.* XXVII. Ad hoc ſophiſma reſpondet Melchior Cano *Lib. V. cap. poſtremo num.* 2. „ Sacerdotum veterum acta quidem Chriſto adverſa fuerunt ; at ſententia hominum alioquin peſſimorum , non ſolum veriſſima , ſed Reipublicæ etiam utiliſſima fuit. Quin divinum oraculum fuiſſe Evangeliſta teſtatur . Cum enim poſt longam variamque Concilii deliberationem Caiphas , qui ut ſummus Pontifex Concilio præſidebat, ſententiam illam , cui omnes fere conſenſerunt , dixiſſet: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo , & non tota gens pereat :* mox Evangeliſta ſubiecit*: Hoc autem a ſemetipſo non dixit ; ſed cum eſſet Pontifex anni illius , prophetavit* . Qua ex re fit ut & noſtrorum Pontificum vita quidem & opera contraria forte ſint Domino Ieſu, ſed eorum iudicia, quæ videlicet a ſummo Pontifice comprobata ſint, & vera erunt, & Chriſtianis utilia, ut quæ ad populi ſalutem ſint divinitus inſtituta. Immo adeo a Spiritu ſancto erunt, ob eam cauſam quam ab Evangeliſta didicimus, quia ſcilicet Eccleſiæ Chriſti Pontifices ſunt. "

XXIII. Aliud & quidem ſolidius reſponſum præbet Cl. Boſſuetus in *conf.* adverſus M. Claudium Calviniſtam. Inquit ergo , Chriſtum Dominum in terris degentem ſeipſo, non ſynagogæ voce fideles gubernaſſe . Organo ſenſibili Deus ſemper uſus eſt in ſuorum fidelium regimine . Quando Filius Dei humana carne indutus propria voce prædicabat, inſtruebat, patrabat miracula, opus minime habebat organo ſynagogæ, ſed ipſe propria voce Eccleſiæ munus implebat. Si & in præſens de cælo deſcenderet, & nobiſcum humano modo vitam ageret , ſicuti tunc , ipſi, non Eccleſiæ, aures aperiendæ eſſent, & parendum. Inſiſtit Calviniſta . Synagoga, ſeu Eccleſia illius temporis definivit falſa fuiſſe Chriſti miracula , & dæmonis arte patrata. Eſto. Quid inde ? Iam dictum eſt , fideles tunc Meſſiam , non ſynagogam audire debuiſſe . Nam omnes Hebræi ſciebant, credebantque Meſſiam venturum , & ſynagogam ad alium ſtatum evehendam fore. Iure ergo ipſi Meſſiæ miracula luculentiſſima patranti , & voce exteriori prædicanti parebant , & non ſynagogæ. Contra Chriſtiani firmiter credunt Eccleſiam Chriſti numquam defuturam, ſed uſque ad ſæculorum conſummationem duraturam. Iure ergo Catholici illis ſolis miraculis fidem adhibent quæ ſunt iudicio Eccleſiæ confirmata; cum modo Chriſtus nobiſcum vitam non agat in terris , quemadmodum tunc . Urget Calviniſta. Fideles ergo Iudæi converſi ad fidem Chriſti proprio, & privato iudicio iudicarunt contra ſynagogam, vera eſſe miracula Chriſti. Ergo Chriſti Eccleſia ſua orſa duxit a privato & particulari iudicio ipſorum fidelium, ut docent Proteſtantes, non a iudicio Eccleſiæ, ut docent Catholici. Ineptiſſimum ſophiſma ex dictis ſeipſo corruit. Nam tunc vox Chriſti vox Eccleſiæ erat. Eius miracula probata fue-

Digitized by Google

ſuere voce ipſius, qui Eccleſiam inſtituit, & regit. Fideles itaque converſi non privato iudicio, ut argutatur Calviniſta, ſed iudicio, & auctoritate eiuſdem Chriſti, qui ſeipſo organum viſibile agebat, & munus Eccleſiæ implebat, eius miraculis luculentiſſimis fidem adhibuere. Argumentum, quod a ſynagoga repetunt Calviniſtæ, mirum in modum confirmat Catholicorum dogma, ſive dicatur cum Cano, impium quidem fuiſſe, at verum tamen iudicium Pontificis Caiphæ; ſive cum Boſſueto, aliiſque, ſynagogæ tum non fuiſſe parendum, quod Filius Dei ſeipſo voce ſenſibili fideles imbuebat. Rex mediis miniſtris provincias gubernat. Parendum miniſtris eſt abſente Rege. Numquid, ſi Rex ipſe ad provincias ſe transferat, obediendum erit illius vicariis & miniſtris, ſecus Regi ipſi? Veritas ergo eſt conſtans, ſplendida, & evidentiſſima, Deum organo viſibili & ſenſibili regere fideles ſuos in fidei unitate, morumque ſanctitate. Tempore quo in terris converſatus eſt, ipſe fideles ſuos imbuebat & lumine interiori, & voce extrinſecus ſonante; poſt ſuum in cælos abitum ſuæ chriſtianæ ſucceſſionis, & ſocietatis viſibili capite dirigit, dirigetque uſque ad mundi conſummationem.

XXIV. Unum adiicere liceat. Proteſtantes, ut cavillari & dentibus rabidis arrodere quoquo modo valeant perpetuam illam infallibilis apoſtolicæ ſucceſſionis hereditatem, a qua ipſi tamquam (ut verbis Tertulliani, & Auguſtini utar) filii concubinarum reiecti ſunt, in longiſſimo XVII. ſæculorum intervallo tres aut quatuor eventus expiſcantur, ut tam perenni, & ſplendidiſſimæ luci nubeculam aliquam offundant. An non vident cæci Proteſtantes opus minime illis fuiſſe venari, & aucupari unum & alterum eventum in tanta ſæculorum multitudine, ut evincerent Eccleſiam Romanam lapſam in errores eſſe, ſi, ut ipſi contendunt, hæc cæleſti lumine deſtituta eſſet? Societas hæc hominum eſt. Nihil homine mutabilius. Hominum ingenia in interpretandis ſive divinis, ſive humanis Scripturis, varia, in contrarias abeunt partes. Abyſſus errorum hæc Eccleſia eſſet, & hodie diverſa ab eo quod fuit heri, & nudius tertius, niſi columna & firmamentum eſſet veritatis. Eccleſiæ proteſtanticæ, quia tam adulteræ, quam poſteræ, ineluctabile iſtius variationis fere quotidianæ perhibent argumentum, quod incredibili perſpicuitate expoſuit incomparabilis BOSSUETUS in ſua *Variationum hiſtoria*. Non me latent innumeri errores quos invidi, & obſtinati homines Romanæ Eccleſiæ affingunt. At veritates, quas loco errorum ipſi habent, ut Sanctorum cultum, Imaginum ſacrarum uſum, ſacrificium, & cetera, a primis ſæculis ad hæc uſque tempora ſemper obtinuiſſe in hac apoſtolica ſucceſſione compertum exploratumque manet. Ex quibus omnibus conſtat, fidem donum Dei eſſe, nihilque penes homines partium ſtudio præventos, & cæcitatis velo obductos humana valere ratiocinia, niſi cordium duritiem gratia divina emolliat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Inſtinctus internus, quo Proteſtantes ſe divinæ Scripturæ ſenſum aſſequi iactant, ut manifeſtum commentum exploditur.

I. DIvinam Scripturam ſæpe varios excipere ſenſus invictis rationum momentis oſtenſum ſupra eſt: unde neceſſario conſequitur iudicem admittendum eſſe, qui verum a falſo diſcernat, definiatque. Hunc iudicem in inſtinctu interiore ſitum contendunt Proteſtantes: idque demonſtrare Scripturæ divinæ teſtimoniis contendunt. Inquit enim Chriſtus Ioan. x. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Cognoſcunt, aiunt, delibuti unctione Spiritus ſancti emollientis corda, & tenebras mentis expellentis, ut *I. Ioan. cap.* 11. habetur. *Sed vos unctionem habetis a Spiritu ſancto, & noſtis omnia.... & vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Quicumque ergo ſincero animo in ſuas manus ſacra Biblia accipiunt, & a Deo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, parvuliſque intellectum præbet, veram Scripturæ intelligentiam poſtulant, continuo verum divini verbi ſenſum a falſo diſcernent æque clare ac lucem a tenebris. Hæc ſunt Proteſtantium ratiocinia. Sed ediſſerant principio nobis. Infidelis qui chriſtianam amplecti religionem velit, quam divinam Scripturam in manibus præeliget? An Vulgatam Latinam Romanæ Eccleſiæ auctoritate probatam, quam ego illi porrigo? An aliam quam illi exhibent Lutherani? An aliam quam illi porrigunt Calviniani? Unde genuinam ab adulterata diſcernet? An ex colore? An ex odore librorum, per internum inſtinctum, ut canes & bruta, diſtinguet, & præeliget authentica Biblia? Verum ut intelligant Proteſtantes, quam ſit vanum hoc illorum effugium ad internum hunc inſtinctum, audiant S. Auguſtinum, qui *tract.* III. *in Epiſ. I. Ioan.* hæc habet. *Quid ergo nos facimus, fratres, qui docemus vos? Si unctio eius docet vos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus. Et ut quid clamamus? Dimittamus vos unctioni illius. Sed modo mihi facio quæſtionem, & illi ipſi Apoſtolo facio: dignetur audire parvulum quærentem a ſe: ipſi Ioanni dico: unctionem habebant, quibus loquebaris: tu dixiſti, quia unctio eius docet vos de omnibus. Quid talem epiſtolam feciſti? Quid illos tu docebas? Quid inſtruebas? Quid ædificabas?* Si ex ſimplici lectione interno inſtinctui adiuncta divinæ Scripturæ liqueret ſenſus, vana & otioſa eſſet inſtructio quælibet. Quid ergo Lutherus commentaria, quid Calvinus, quid Brentius, quid Melanchthonius, & ceteri Proteſtantes inſtitutiones, & interpretationes Scripturæ ſanctæ edidere? Quis mortalium umquam com-

Digitized by Google

commentarios edidit, quibus populum inſtrueret, ut lucem a tenebris ſecerneret? Sibi ergo mentiuntur Proteſtantes, & dum Scripturam ſanctam, non ſecus ac Solem omnibus coruſcare effutiunt, ſuis in Scripturam commentariis, & inſtitutionibus atque catecheſibus negant omnibus perviam eſſe intelligentiam. Si ad unctionem internam omnia revocant, deſinant, clamat Auguſtinus, prædicare & ſcribere. Quæ omnia evincunt inſtinctum hunc Proteſtantium ad mahometanam barbariem tendere. Quoniam ſicuti Mahometani, diſputatione vetita, gladio omnia definiunt, ſic iſti cuncta inſtinctu decernunt, atque tuentur. De examine, quod alii, ut argumentationis vim declinent, adiiciunt, mox infra ſermo redibit.

II. Interim hoc pacto preſſius urgeo Proteſtantes. Aut hic internus inſtinctus certus eſt, & infallibilis, cui ſtandum omnino ſit, quidquid contra definierit Eccleſia; aut incertus, & ſubiiciendus Eccleſiæ, & Doctorum iudicio eſt. Si primum, Proteſtantes eam infallibilitatem liberaliſſime elargiuntur ſutori, ſartori, baiulo, anicellæ, & cuivis de trivio homini, quam Pontifici ſummo, quam Conciliis, quam univerſæ Eccleſiæ denegant. Quod abſurdum, ſupra quam dici poteſt, monſtroſum eſt. Si ſecundum aſſerunt, nihil incommodi eiuſmodi adfert, nec aliquid occurrit cur improbetur. Nam talis inſtinctus incertus & fallibilis nequit eſſe regula religionis infallibilis. Sed eiuſmodi regula erit Eccleſia, cuius iudicio & definitioni ſubiicitur eiuſmodi inſtinctus. Sed, ut ad ultimas anguſtias Proteſtantes redigam, his propoſitionibus illos premo. Scriptura ſancta, quæ religionis noſtræ myſteria continet, plures excipit ſenſus veros, falſos & hæreticos, ut ex innumeris omnium ſæculorum hæreſibus evidenter conſtat. Neque enim hæreſiarcha hactenus fuit qui non æque ac Lutherus, & Calvinus Scripturas pro ſua hæreſi non allegaverit. Propoſitio altera. Vera religio certà & infallibilis eſt. Ergo aſſignetur neceſſum eſt regula certa firma & falli neſcia in quam aſſenſus huiuſce religionis revocetur. Deſignent nobis illam Proteſtantes. Scriptura divina variis ſenſibus, & quidem oppoſitis obnoxia eſt. Regula ergo aſſignari & quidem indefectibilis debet, qua genuinus ſenſus a falſo diſcernatur. Porro hæc regula non eſt Scriptura ipſa, non Eccleſia, non inſtinctus internus. Quænam ergo? Nullam ne aſſignabunt? Fallibilis ergo eſt vera religio, atque adeo Deus, qui eius eſt auctor.

III. Reſpondent inſtinctum internum Spiritus ſancti unctione perfuſum infallibilem eſſe. Ita ne vero? Impium eſſe aſſerunt Proteſtantes ſubiicere verbum Dei ſcriptum iudicio Romani Pontificis: & poſtea illos non pudet hoc divinum verbum ſubiicere iudicandum anicellæ, ſutoris, baiulive iudicio? Falleris, inquiunt. Non ſutoris iudicio ſeu inſtinctui, ſed unctioni Spiritus ſancti divinam ſubiicimus Scripturam. Peregregie. Neque Catholici verbum Dei ſupponunt Pontificum, aut Conciliorum iudicio, ſed unctioni, ſeu aſſiſtentiæ Spiritus ſancti, qui Pontifices, Con-

Digitized by Google

Concilia, & Eccleſiam dirigit, ne errent in dirimendis controverſiis fidei, & morum. An dicturi ſunt hanc unctionem, & inſtinctum interpretandi Scripturam ſanctam abſque errore habere omnes Proteſtantes, vel ipſas vetulas, & ruſticos; ſecus Romanum Pontificem, Eccleſiam, & Catholicos? Numquid hæc Spiritus ſancti aſſiſtentia ab errore præſervat Proteſtantes ſutores, & baiulos, ſecus Epiſcopos, & Pontifices ſummos? In has ſe coniiciunt anguſtias Proteſtantes.

IV. Reponunt. Nos, inquiunt, ſingulis tribuimus præfatum inſtinctum pro ſemetipſis, minime pro aliis. Lepide & venuſte. Singulis ineſt eiuſmodi inſtinctus internus pro ſeipſis, & non pro aliis? Cedo. Cuius eſt inſtinctus iſte? Spiritus ſancti ne, an carnis, vel dæmonis? Si Spiritus ſancti eſt inſtinctus iſte, omnium eſſe regula poteſt. Sicut enim divinam Scripturam, quæ Spiritu ſancto dirigente edita eſt, ut omnium fidelium normam infallibilem omnes venerantur; ita inſtinctus, qui a Spiritu ſancto infunditur, quo verum germanumque eiuſdem Scripturæ ſenſum aſſequamur, omnium regula eſt. Veritas enim quæ a Spiritu ſancto eſt, & ſingulos, & omnes ſibi ſubiicit. Si vero inſtinctus iſte ſit carnis, aut dæmonis, nullius eſſe regula valet. Deinde ſi ſingulis adeſt inſtinctus hic divinus pro ſeipſis, potiore iure omnibus ſimul coniunctis adeſſe debet pro ſocietatis regimine. Sed hoc eſt quod torquet Proteſtantes, qui in religionis negotio nulli viſibili, & viva voce loquenti poteſtati ſubiecti eſſe volunt. Idcirco in viliſſimis anicellis admittunt inſtinctum illum interpretandi myſteria fidei, quem denegant Conciliis, Pontificibus ſummis, univerſæque Eccleſiæ. Unde neceſſario conſequitur quemquam ſibi eſſe religionis ſuæ regulam, iugo cuiuſcumque viſibilis poteſtatis penitus excuſſo; atque adeo tot eſſe apud Proteſtantes, vi proprii ſyſtematis, religiones, quot ſunt capita. Quam autem abſurdum ſit ſyſtema iſtud, nemo non videt. Nam via illa quæ natura ſua, non ad pacem & concordiam, ſed ad diſſidia, ſchiſmata, & diſcordias ducit, via recta religionis, & Dei, qui nos ad unitatem fidei vocavit, unamque ſanctam Eccleſiam excitavit, eſſe nullo modo poteſt. At via quærendi veritatem divinarum Scripturarum per inſtinctum nulli ſupremæ poteſtati ſubiectum, ad ſchiſmata, pugnas, & diſcordias natura ſua impellit. Ergo ineptiſſimus, & vanus eſt inſtinctus iſte hæreticus. Argumentationem hanc factum univerſo Orbi chriſtiano compertiſſimum firmat. Nam apud Proteſtantes innumeræ ſunt ſectæ, religiones, & Eccleſiæ oppoſitæ. Quid plura? In eadem domo plures ſunt religiones. Diſſidet a filio pater, & nurus a ſocru, & famulus a domino, & unuſquiſque ſuæ ſibi eſt religionis faber, & architectus. Et hæc ſunt monſtroſa abſurda quæ illorum neceſſario conſequuntur ſyſtema.

V. Reſpondebunt ne, non ita eſſe ineptos & delirantes, ut non videant inſtinctum internum ſubiiciendum Eccleſiæ eſſe? Quandoquidem ſi Spiritus ſanctus unumquemque regit, & dirigit, iure longe potiori univerſæ Eccleſiæ curam gerit. Ve-

Digitized by Google

Verum hoc inſtinctu, & ſpiritu privato unuſquiſque, inquiunt, agnoſcit quænam ſit vera Eccleſia, cui auſcultandum ſit. Si reſponſum conſiſteret, univerſum illorum ſyſtema corrueret. Vera ergo Eccleſia infallibilis eſt in definiendo quænam ſit vera religio, in decernendo quænam aſſenſu firmo & infallibili credi myſteria debent. Præterquamquod inſtinctus iſte privatus ineptiſſimus eſt ad veram Eccleſiam, religionemque diſcernendam. Nam hoc admiſſo ſuperflua fuiſſent Apoſtolorum miracula, ſuperflua ſigna, ſuperflua prædicatio, ſuperflua Concilia omnia hactenus in Eccleſia celebrata. Tandem Eccleſia animadvertere in apoſtatas non poſſet, quia per inſtinctum internum alibi veram Eccleſiam extare ſe agnoſcere reponerent. Alia ergo via aſſignanda eſt, quæ ad veram Eccleſiam, veramque religionem dignoſcendam ducat.

VI. Si denique reponant, non ſolo interno privatoque inſtinctu, & ſpiritu ſe diſcernere veram religionem, Eccleſiam, & Scripturarum ſenſum, ſed adiecto examine animo tranquillo ſerioque earumdem Scripturarum peracto, in peiora incidunt abſurda. Siquidem examen & inveſtigatio rerum via ſufficiens non eſt ad religionis controverſias dirimendas in Theologia ſive naturali, ſive ſupernaturali. Et ut a naturali Theologia incipiam, ipſi Ethnici loco principii poſuere humanam rationem imparem eſſe ad ea quæ Dei, & religionis ſunt definienda, ut humanæ ſapientiæ proceres Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles animadvertunt. Et S. Thomas perſpicue rem hanc evincit, & manifeſta experientia confirmat Tullius *Lib. I. de Nat. deorum*, ubi inquit: *Cum multæ res in Philoſophia nequaquam ſatis adbuc explicatæ ſint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, & perobſcura quæſtio eſt de natura deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima eſt, & ad moderandam religionem neceſſaria. De qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ, ut magno argumento eſſe debeat, cauſam, id eſt principium Philoſophiæ eſſe inſcientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe*. Et relatis Philoſophorum de diis, atque religione placitis omnino contrariis, ſubdit: *Quorum opiniones cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt ut earum nulla, alterum certe non poteſt ut plus una vera ſit*. Quod ſi prima humanæ naturæ lumina tot ſæculis cæcutierunt in inveſtigatione veræ religionis, quid expectandum ab illis qui ſunt veluti noctuæ in conſpectu Solis?

VII. Heinc conſequitur hoc examen articulorum, & Scripturarum in Theologia ſupernaturali inſufficiens ſeipſo eſſe ad veram religionem inveniendam. Nam ſublata Eccleſiæ definitione, quot ſunt de ipſa divina Scriptura ſanctorum Patrum pugnantes ſententiæ? Numquid Chryſoſtomus ſemper eſt cum Auguſtino, aut Hieronymus cum Ambroſio, aut Cyprianus cum Baſilio, aut Sectarii cum Sectariis, aut Calvinus cum Luthero, aut Zuinglius cum Bucero? Quot diſcordias, &

Digitized by Google

ſcholas contrarias non peperit apud nos catholicos Theologos unius S. Thomæ mens, & auctoritas exponenda. Sicut ergo errare humana ratio in rerum, ita & in Scripturarum controverſiis poteſt. Ingenii hebetudo, graviſſimum originalis culpæ vulnus, & denſæ tenebræ, vitæ brevitas aſſequendæ veritati officiunt. Accedit quod res divinæ & æternæ difficiles, abſtruſæ, & profundæ nulla valeant ſtili claritate ita conſpicuæ & obviæ nobis reddi, quin ſint ſua altitudine variis ſenſibus expoſitæ. Unde luce meridiana clarius patent duo Proteſtantium deliria: unum, Scripturas divinas non ſecus ac Solem clareſcere; alterum, inſtinctu, & examine privatorum dirimi de Scripturarum arcanis controverſias poſſe. *Oportet enim & hæreſes eſſe*. Hæreſes autem eſſe ſine Scriptura nequeunt. Erratur ergo in Scripturarum examine, & ex erroribus hæreſes prodeunt, & ex hæreſibus tandem in Atheiſmum prolabantur vi proprii ſyſtematis Proteſtantes oportet. Nam Lutherus, & Calvinus homines & valde homines fuerunt. Aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ne errarent, nec ipſi ſectarii ſui tribuere illis audent. Errare ergo potuerunt. Quo ſe recipient, ut errorem dignoſcant? Ad Eccleſiam luthericam, aut calvinicam? Ad antiquam, an modernam? Sed Eccleſia tum antiqua, tum iſtæ, quas ipſi reformarunt, errori obnoxiæ, ipſis fatentibus, ſunt. Ergo nulla apud eos religio, quæ intellectum in obſequium fidei captivet. Religio enim quæ non obligat, quæ non devincit, religio vera non eſt, ſed opinio. Siquidem veræ religionis auctor Deus eſt. Ergo ſicuti Deus, ita & eius religio immunis ab errore eſt. Alterutrum igitur fateantur oportet Proteſtantes: aut Deum fallere, & falli poſſe, quæ horrenda blaſphemia eſt: aut eiuſdem religionem infallibilem eſſe, & intellectum devincientem. Porro ſi Proteſtantium religiones ſunt veluti ſcholarum opiniones, omnis vera religio ab iiſdem abeſt. Quamobrem reipſa illorum plures, & quidem doctiores, ut heinc quoquomodo exirent, in hanc ſtultitiam prolapſi ſunt, ut doceant ad ſalutem ſufficere hoc unum, credere ſcilicet in Chriſtum, in quo omnes Chriſtiani conveniunt, & reliqua eſſe ſcholarum diſputationes. Alii ſibi confingunt articulos fundamentales, quos pro ingenio definiunt. Omnia denique apud ipſos libera & arbitraria. Ergo apud eos religio nulla.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Auctoritati Eccleſiæ, non modo in fidei, verum etiam in morum controverſiis firmo ſinceroque animo inhærendum. Seceſſio ab auctoritate Eccleſiæ in errores tum fidei, tum morum coniicit. Probabiliſmum ab omnibus fere Theologis ſuſtineri Probabiliſtæ docent. Argumenta quæ IURIEU' *Calviniſta heinc colligit, ut Eccleſiæ auctoritatem elevet, expenduntur. Plurium Caſuiſtarum in accommodandis Eccleſiæ decretis ſuis laxis opinionibus nimia libertas caſtigatur. Scandalum quod hæreticis inferunt, ob oculos exponitur.*

I. QUid tam prolixa oratione in opere formandis moribus deſtinato adverſus Proteſtantes diſputatum eſt? inquient non pauci. A ſuſcepto inſtituto ſermo nimium aberravit. Ita ne vero? Non multis opus eſt ut eos qui hoc opponunt, craſſo detineri errore patefaciam. Portenta errorum contra fidem, in quos lapſi hæretici ſunt, continuo ac a ſenſu, in quo ſancta mater Eccleſia divinas Scripturas interpretatur, dum fidei dirimit controverſias, deſcivere, exempla ſunt errorum contra mores in quos incidunt Caſuiſtæ illi qui, neglectis regulis quas eadem Eccleſia pro morum quæſtionibus componendis præſcribit; proprio ſenſui indulgent. Non minus obnoxius errori intellectus humanus eſt, dum ſanctas interpretatur Scripturas in fidei quam in morum controverſiis. Quamobrem non minus in moralibus quam in polemicis litibus componendis Eccleſiæ iudicium neceſſarium eſt. Vidimus hæreticos de abyſſo in abyſſum, de anfractu in anfractum perpetuo rotatu circumvolvi: vidimus illorum ſyſtema, quo ſinguli Chriſtiani ſupremi Scripturarum efficiuntur arbitri, horrendam atque monſtroſam Eccleſiam ex Hebræis, Cerdonianis, Neſtorianis, Socinianis, & omnibus quæ extiterunt, aut futuræ ſunt hæreticis ſectis conflatam. Perhorreſcimus omnes, dum hanc deformem Megæram, & truculentam Hydram tot cornibus redimitam in ſponſam Chriſti a Proteſtantibus exaltari conſpicimus.

II. Oculos nunc Chriſtiani lectores convertant in ſyſtema illud novum quod pro morum controverſiis dirimendis a duobus fere ſæculis invectum eſt. Quodnam iſtud? Novus ille opinandi modus, quo quiſque pro conſcientiæ ſuæ norma illam amplecti opinionem valet quam videt vel ab uno Caſuiſta doctiſſimo, vel a quatuor, aut ſex mediocriter doctis contra communem aliorum Doctorum ſententiam

propugnari. Nec refert opinionem hanc tibi minus probabilem eſſe, & directe falſam. Quoniam hanc ſive maiorem probabilitatem, ſive directam falſitatem exulare a mente cogis media reflexione, qua conſideras oppoſitam opinionem ab uno doctiſſimo, aut a quatuor doctis defendi ut regulam moralis honeſtatis tutam. Hoc eſt novum opinandi in morum controverſiis ſyſtema, quod Eccleſia Romano-Catholica voce Alexandri VII. declaravit a ſimplicitate evangelica, & Patrum ſanctorum traditione alienum, flagitiorum, corruptelarum, & abſurdorum omnium fontem. Syſtema iſtud probabiliſticum perniciosum morum ſanctitati reputant Proteſtantes docti omnes. Nos hæreſum monſtra fidei oppoſita, quæ illorum conſequuntur principia, patefecimus. Et illi errorum ſcelerumque abſurda, quæ ex probabiliſtico opinandi modo neceſſario proficiſcuntur, in theatrum adducunt, & univerſo humano generi deteſtanda repræſentant. Clamant, magis cum recta ratione, communique ſenſu pugnare, Chriſtianum in morum controverſiis quæ in utramque diſputantur partem, ſequi opinionem licite poſſe quæ ſibi minus in oppoſitæ probabilioris conſpectu probabilis videtur, quam pugnet ſyſtema proteſtanticum, quo in controverſiis fidei ſtatuitur, quemquam illum Scripturæ divinæ ſenſum amplecti debere quem poſt ſincerum, ſedulumque examen iudicat Spiritui ſancto propinquiorem.

III. Age porro, clamant Proteſtantes, exemplis cauſſam agamus, & abſurda incredibilia quæ hunc opinandi modum conſequuntur, in medium veniant. Et primum nonne Caſuiſtæ Eccleſiæ Romanæ conſtitutiones pro moribus formandis, quas obſequio ſummo ſe ſuſcipere, & amplecti voce teſtantur, pro arbitrio in proprios ſenſus, ſuis præiudicatis ſententiis accommodatos, reipſa exponunt, quemadmodum nos verbum Dei ſinguli interpretamur? Negatur? Et quorſum pertinent diuturna illa acerrimaque interpretamenta in pontificias conſtitutiones adverſus ſacrilegam variorum cultuum ſuperſtitionem, adverſus uſuras, ſimoniam, amphibologica mendacia, adverſus ieiuniorum abuſus, ſacramenti pœnitentiæ nimis properam facilemque adminiſtrationem, & plurimas alias pro reformanda eccleſiaſtica diſciplina conditas a Romana Sede regulas? Hoc ſolum diſcrimen eſt veſtrum inter & noſtrum ſyſtema, quod nos ea quæ accedere propinquius Dei verbo exiſtimamus, amplectimur; vos quæ minus probabilia, ſeu quæ minus conformiora legi cognoſcitis, in regulam conſcientiarum veſtrarum aſciſcitis. Nec mirum. Quoniam inquit Auguſtinus, Lib. III. contra Iulian. cap. III. *Si Dei legem, non ſicut ſe habet, ſed ſicut vobis placet, intelligitis; quid mirum, ſi & de lege Imperatoris hoc facitis?*

IV. Porro in quæ abſurda ſenſa, pergunt Proteſtantes, detortas non videmus fundamentales chriſtianæ religionis leges? Nonne contra ipſum primum Decalogi mandatum Atheiſtam in cælum evehit Caramuel veſter, inter Probabiliſtas facile

prin-

Digitized by Google

princeps? Hæc ſunt illius verba. „ Naſcitur Petrus : baptizatur : antequam loqui „ ſciat, capitur a barbaris, in ſilvam inducitur, & ATHEISMUM poſitive docetur. Ad uſum rationis pervenit. *Poſſe invincibiliter neſcire Deum Theologi nobiliores affirmant*. Moriatur itaque, antequam ignoret vincibiliter Deum, & per „ conſequens aliquod committat mortale, licet gravia multa contra lumen rationis committat. Quo puerum D. Fagnanus mittit? Non ad infernum : quia originali ille & actuali mortifero caret. *Ad cælum ergo*." Leve ne iſtud abſurdum eſt etiam in conſpectu Eccleſiæ noſtræ ex variis ſectis conflatæ? Quid de monſtro illo *peccati philoſophici*, quod eſt hydræ probabiliſticæ primum veluti cornu, dicendum? Nec minus abſurdæ ſunt opiniones contra theologicas virtutes, a quarum exercitio *per ſe* ſolutos, aut per quinquennium, aut etiam per totam vitam declarant Chriſtianos. Quid de iuramentis amphibologicis, & doloſis? Quid de furtis, de homicidiis ineptiſſimis tegumentis, filo probabiliſtico textis, honeſtate donatis? Quid, ſi recenſere omnia probabiliſticarum opinionum monſtra vellemus?

V. Ubinam ergo obſequium illud? Ubinam prompta illa obedientia ſanctæ Sedi debita? Quonam ergo iure iſti clamitant contra nos, quod nolimus Romanæ Sedis definitionibus, ſed ſanctarum Scripturarum ſenſui ſincere a nobis expenſo, & intellecto faſces ſubmittere? Nec reponant, ſe Romanæ Sedis perſpicuis ſanctionibus ſive in fidei, ſive in morum controverſiis exactam præſtare obedientiam; leges vero variis ſenſibus obnoxias pro arbitrio, rationeque præeunte interpretari. Nam nihil tam perſpicuum, nihil tam luculentum, quod vi probabiliſtici ſyſtematis revocari in diſputationem non valeat. Quid? Primum potiſſimumque mandatum amandi Deum ex toto corde Probabiliſmus in nihilum redigit. Opiniones laxiſſimas, legi naturali, communique ſenſui adverſantes, Probabiliſmus honeſtat; & ſibi religioni vertet, leges pontificias, tametſi luculentiſſimas, pro ingenio inflectere?

VI. Hæc Proteſtantes paſſim exaggerant, ut ex eorumdem libris compertum eſt. Si iſtorum redargutiones ex una parte falſæ ſunt; ex altera id evincunt quod ego propoſui, illos nempe qui ab Eccleſiæ auctoritate recedunt in exponendis ſive fidei, ſive morum regulis, præcipites in errorum abyſſum ruere. Una eſt veritas fidei, una eſt veritas morum, quæ ad cælum nos ducit. Non minus pereunt qui in fide quam qui in moribus errant. Et qui, Eccleſiæ auctoritate neglecta, propriis interpretamentis indulgent, tum a fidei, tum a morum regulis longiſſime aberrant. Catholici omnes eamdem dogmatum unitatem profitentur, idipſum ſapiunt omnes : quia omnes humili obſequio vocem Eccleſiæ tamquam Dei vocem audiunt. Sciunt enim Eccleſiam organum eſſe Spiritus ſancti, cuius ore Deus loquitur. Tot vero volumina contrariis opinionibus pleniſſima prodierunt, quod homi-

mines plus iuſto, proprio indulſerunt ingenio, & nimis libere Eccleſiæ canones interpretati ſunt. Proteſtantium redargutiones ſophiſmate laborant. Opiniones quæ inter nos utramque in partem diſputantur, ab Eccleſia definitæ non ſunt: & utraque pars fide bona credit, nihil ſe contra Eccleſiæ definitiones docere. Et illud argumento eſſe Proteſtantibus debet, quod tot theſes Probabiliſtarum, a S. Sede anathemate confixas, Catholici omnes religioſo obſequio improbant, & deteſtantur. Id dumtaxat evidenter concludunt eorumdem argumentationes, nempe controverſiarum diſſidia, verborum pugnas, aberrationes, & errores graſſari, uſque dum homines ſive dogmata, ſive præcepta divina proprio metiri ingenio audent. Concludunt ineluctabilem neceſſitatem ſupremi iudicis, qui divino lumine illuſtratus viva voce dirimat definiatque tam fidei quam morum controverſias.

VII. Erumpit in medium Miniſter IURIEU Calviniſta ſuo libro inſcripto, *Preiugez legitimes contre l'Egliſe Romaine*, ſeu *Præiudicia legitima adverſus Eccleſiam Romanam*, & armis ex Probabiliſmo arreptis hoc pacto belligerat. Illa vera Eccleſia eſſe nequit quæ falſam doctrinam probat. Eccleſia Romana falſam doctrinam probabiliſticam adprobat. Ergo vera Eccleſia eſſe non poteſt.

VIII. Evincit minorem propoſitionem hoc pacto. Illa doctrina in aliqua Eccleſia probata, & confirmata aſſeritur quæ univerſalis in ea Eccleſia dicitur. Atqui doctrina *Probabiliſmi* univerſalis dicitur in Romana Eccleſia. Ergo ab eadem adprobata, & confirmata eſt. Secundam propoſitionem plurium Probabiliſtarum teſtimoniis evincit. P. *Antonius Terillus* Probabiliſmi reflexi facile princeps in ſuo tractatu de *regul. morum* in ipſa ad lectorem præfatione hæc ſcribit. *Ante annum huius ſæculi* 1638. *OMNES Auctores, OMNESQUE ECCLESIAE DOCTORES unanimiter aſſerebant, cuique licitum eſſe in praxi ſequi opinionem probabilem, quamvis illa eſſet minus tuta, & probabilis quam oppoſita, maxime ſi operans opinionem illam abſoluto iudicio veram eſſe exiſtimaret. Hoc evidenter conſtat ex INNUMERABILIUM Auctorum ſcriptis ante annum illum editis, qui omnes in hoc puncto UNANIMITER conveniunt. Neque enim vel unum a centum & amplius annis invenire erat qui poſt quæſtionem examinatam id expreſſis terminis non tradiderit. Sed & antiquiores Theologi facem prætulerant, in eamdem doctrinam antea conſpiraverant, ut palam evinco quæſt.* XXII. *&c. Hoc adeo certum eſt, ut nec ipſa invidia ullum Auctorem ante dictum annum hactenus citare potuerit, qui veritatem hanc in dubium revocaverit. Porro veritas hæc, & unanimis conſpiratio Auctorum eouſque progreſſa eſt, ut OMNES uno etiam ore docerent, licitum hominibus eſſe in praxi ſequi opinionem QUAMCUMQUE etiam minus tutam, modo illa motivo probabili confirmaretur, etſi opinio contraria & tutior eſſet, & probabilior. In hoc etiam AUCTORES OMNES conveniebant, unum ſi dempſeris Paulum Comitolum virum*

rum

Digitized by Google

rum ex Societate noſtra, ſed ob doctrinæ præſtantis famam in mundo litterario parum celebrem . . . . Hic erat ſtatus controverſiæ præſentis uſque ad annum Domini 1638. in quo mortuus eſt Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis. Nam poſt eius obitum Liber ipſius, dictus Auguſtinus, *editus eſt. Interea autem dum ederetur, Libertus Fromondus incepit uſum probabilitatum condemnare. Audiatur Caramuel in Apologemate, qui eo tempore præſens Lovanii erat, & narrat quæ ibidem geſta ſunt &c.*

Hic habes originem doctrinæ & opinationis novæ, quæ aſſerit, nemini licitum eſſe ſequi partem minus tutam, quamvis probabile ſit (N. B.) *illam non eſſe prohibitam. Certum enim eſt talem doctrinam antea a ſcholis ut falſam exulaſſe. Itaque hæc adverſariorum ſententia una cum Ianſenio nata eſt: immo aliam matrem non agnoſcit quam hæreſim ianſenianam . . . . Proinde recte dictum eſt hanc ſententiam aliam matrem non habere quam hæreſim ianſenianam.* Hactenus Antonius Terillus. Si plura cupis, & magis horridula, lege *præfationem citatam ad regulas morum*. Similia docet P. Bartholomæus Fibo in ſua *Apologia pro confeſ. cap.* 11. §. 1. ubi aſſerit, ſe hactenus vix *unicum* reperiiſſe Auctorem contrarium Probabiliſmo. *Si lectori*, inquit, *ſit curioſitas penitus cognoſcendi, qui, & quales viri graviſſimi præter Societatis TOTIUS Doctores tueantur doctrinam probabiliſticam, conſulat Terillum.* P. Claudius La-Croix *Lib. I. cap.* 11. *num.* 269. teſtatur *Auctores fere omnes e Societate Ieſu* defendere Probabiliſmum. Angelus Boſſius in *Append. ad Tom. Mor. var.* inquit: *Non ſolum hodierni temporis Scriptores Theologi Summiſtæ, Canoniſtæ, Iuriſperiti, & omnes publici Profeſſores Theologiæ moralis præfatam ſententiam docent, ſed etiam apud omnes Confeſſarios ſæculares, & regulares, apud quoſcumque doctos, & ſimul probos in toto orbe chriſtiano nihil magis decantatum, quam licitum eſſe in operando ſequi opinionem probabilem*, relicta probabiliore. Idipſum teſtantur Caramuel, Bonacina, & communiter Probabiliſtæ.

IX. Ex quibus ſic inſtaurat ſuam argumentationem IURIEU'. Illa doctrina eſt alicuius Eccleſiæ quam omnes Doctores eiuſdem Eccleſiæ docent. Iuxta Terillum, alioſque Probabiliſtas, omnes Eccleſiæ Romanæ Doctores docent Probabiliſmum. Ergo Eccleſia Romana adoptavit Probabiliſmum. Alia ex parte Eccleſia Gallicana univerſa an. 1700. Probabiliſmum proſcripſit, tamquam doctrinam omnium corruptelarum malorumque ſentinam. Variationi ergo doctrinæ obnoxia eſt Eccleſia Romana.

X. Quam arrepturi viam ſint Probabiliſtæ, ut huic argumentationi verum ſolidumque reſponſum præbeant, penitus ignoro. Difficile enim eo adduci ipſos poſſe video, ut aſſerant, Terillum, La-Croix, Caramuelem, Bonacinam, alioſque Probabiliſtas baſilice erraſſe, ſcribentes, *omnes Eccleſiæ Doctores* Probabiliſmum docere. Verum quid ſint ipſi reſponſuri Iurieù, Budeo, Baſnagio, & innumeris aliis Proteſtantibus, qui præfata adverſus nos argumentatione utuntur, & inter ceteros abuſus, & corruptelas, quas Romanæ Eccleſiæ exprobrant, Probabi-

Digitized by Google

liſmo non ultimum locum tribuunt, ipſi viderint. Eorum ſane eſt reſponſionem, & quidem perſpicuam exhibere. Ego interim ſecundum principia antiprobabiliſtica, & luculentiſſima præfatam Novatorum argutationem penitus labefacto tamquam manifeſtam falſitatem, & vaniſſimum ſophiſma.

XI. Eccleſiæ Romanæ doctrina illa dicitur quam aut ſummus Pontifex, aut Concilia generalia, & conſenſus Epiſcoporum, quos Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam, definiunt, probant, confirmant. Eccleſiæ conſenſus non ex fidelium plurimorum vitioſis moribus, non ex Caſuiſtarum opinionibus, non ex hac aut illa conſuetudine, ſed ex voce Epiſcoporum loquentium in ſuis Synodis eſt eruendus. Provoco Proteſtantes omnes, ut producant, non dico aut unum Pontificem, aut unum Concilium generale vel provinciale, ſed vel unicum ſolum Epiſcopum, qui in aliqua diœceſana Synodo doctrinam probabiliſticam fidelibus ſequendam propoſuerit. Nos contra, & Pontifices ſummos, & Concilia generalia, præſertim Viennenſe, & Synodos plurimas, & univerſam Eccleſiam Gallicanam, & Doctores ſanctiſſimos allegamus, qui Probabiliſmum ſemper ad hæc uſque tempora, tamquam omnium laxitatum fontem, execrati ſunt. Turpiter erravit Terillus, ſcribens, *omnes Doctores Eccleſiæ* Probabiliſmum defenſitare. Qui ſunt hi Eccleſiæ Doctores? Medina, Lopez, Vaſquez, Sanchez, Caramuel, Terillus, Diana, Tamburinus, Eſcobarius, La Cruz, Zanardus, ceterique Probabiliſtæ, quorum plurimas laxas opiniones probabiliſticas damnavit Eccleſia. Errarunt *Fibus*, *La-Croix*, & alii, ſcribentes, Doctores totius Societatis pro doctrina probabiliſtica pugnare. Nam doctrina Societatis, & cuiuſque inſtituti ab eiuſdem legibus haurienda eſt. Porro conſtitutiones S. I. ſaniorem, & ſecuriorem in controverſis opinionibus doctrinam amplectendam decernunt. Et hanc ſecuriorem doctrinam celebratiſſimi Societatis Theologi ſtrenue propugnant. Summa igitur iniuria Iurieù, Budeus, & ceteri Proteſtantes blaterant, Probabiliſmum doctrinam eſſe Eccleſiæ Romanæ. Immo Eccleſia Romana voce Alexandri VII. & Innocentii XI. diris devovit Probabiliſmum in pluribus præcipue gravioribus controverſiis, ut alibi oſtenſum eſt.

XII. Nec eſt quod inſiſtant Proteſtantes, quæ hactenus repoſui, minime tollere quin laxæ opiniones probabiliſticæ cæmento benignitatis humanæ incruſtatæ latius graſſentur in Eccleſia Romana. ESTO. Miniſter IURIEU', qui fuſo calamo hæc, & ſimilia elatis cothurnis buccinans amplificat, inculcatque, & cum eodem ceteri Proteſtantes, ſe non Chriſti Eccleſiæ characteres modo, ſed ipſum etiam Evangelium ignorare oſtendunt. Nam Chriſtus, ut alias dictum eſt, & ſagenæ miſſæ in mare ex omni piſcium genere congreganti, & agro frumento & loliis pleno, & areæ habenti grana paleis occultata comparat Eccleſiam ſuam. Hæc paleas, zizania, malaſque herbas tolerat uſque ad ventilationis tempus; numquam tamen vel errores, vel vitia probat, ſed permittit Eccleſia Romana, Chriſto obediens,

diens, qui uſque ad ſæculi conſummationem durare illa diſpoſuit. An non prædixit Chriſtus Dominus? Matth. XXIV. *Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent . . . & multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos . . . Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia; ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis*. Utique iſtorum aliqua ultima deſignant tempora; ſed ibidem præmittit Chriſtus: *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis*. Nonne Evangeliſta Ioannes *epiſt. I. cap.* II. clamat: *Noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt: ſcimus quia noviſſima hora facta eſt*. S. Petrus Epiſt. II. *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*.

XIII. Aures arrigant Proteſtantes. Pſeudoprophetarum nota eſt dulcia & blanda polliceri, ad ſalivam loqui, pulvillos cervicibus ſubiicere molles, appetitionibus indulgere, plauſum populi captare, prima ambire ſubſellia, tumere, & ceteris præſtare, atque prævalere: hæc inſignia ſunt, & characteres Pſeudoprophetarum, inquiunt Patres omnes. An aliis præſtigiis, niſi iſtis, Lutherus, Calvinus, Bucerus, ceterique Pſeudo-Chriſti perverterunt ingentem Septentrionis partem? Monachis, & Epiſcopis uxores dedere: a ieiuniis, a confeſſione auriculari, a ſacra quadrageſima miſeros populos ſolverunt. Suffragia mortuorum, cultum Sanctorum, ſacrarum imaginum venerationem de medio ſuſtulere, chimericæ idololatriæ ad invidiam conflandam excogitatæ obtentu. Quid ergo laxones, & blaterones Catholicis probabiliſtis blandientium opinionum faſcinia exprobrant, cum ipſi, legibus ſanctiſſimis conculcatis, & peſſumdatis quamdam Epicureiſmi ſpeciem invexerint?

XIV. Sciant tandem Proteſtantes noſtri, nihil novi ſe improperare catholicæ Eccleſiæ. Quemadmodum *Solones* iſti ſeptentrionales a ſuis progenitoribus hæreticis leges & doctrinam hæreticam mutuati ſunt; ita quoque maledicta, exprobrationes, calumniaſque, iamdudum ab illis contra Eccleſiam catholicam evomitas, adoptarunt. Eadem ipſa quæ opponunt Proteſtantes, improperabant Manichæi, ut refert S. Auguſtinus de *morib. Eccl. Lib. I. cap.* XXXIV. ubi inquit: „ Nolite mihi colligere profeſſores nominis chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulcrorum, & picturarum adoratores. Novi multos eſſe qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates, ebrietateſque ſuas deputant religioni. Novi multos eſſe qui renuntiaverunt verbis huic ſæculo, & ſe omnibus huius

„ ſæ-

„ ſæculi molibus opprimi velint, oppreſſique lætentur. Nec mirum eſt in tanta „ copia populorum, quod non vobis deſint, quorum vita vituperata decipiatis in„ cautos, & a catholica ſalute avertatis. “

XV. En accuſationes & criminationes veſtras, o Proteſtantes; iam pridem in Eccleſiam catholicam iaculatas. Audite quod ibidem continuo reponit Doctor ſanctus. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tamquam malos filios corrigere ſtudet.* Eadem opponebant & Donatiſtæ, quibus hæc reponit S. Auguſtinus *Lib. I.* contr. Petil. cap. XIII. *Iam tandem ſentiant, quemadmodum veris ſuorum ſceleribus impleantur qui in fratres ſuos falſa confingunt: qui etiam ſi vera dixiſſent, iam tandem ſentire deberent, quanta ſint pro pace toleranda, & pro pace Chriſti redire ad Eccleſiam.* Hæc meditentur Proteſtantes, & ſilentes confundantur.

XVI. Satis, ut mihi videtur, *Iurieu*, & aliorum Proteſtantium ſophiſmata contrita ſunt. Excuſſo Eccleſiæ iugo, invexerunt illi conſcientiæ libertatem ea credendi quæ ſibi contineri in Scripturis ſanctis videntur. Videndum nunc, providendumque ne novus in morum controverſiis dirimendis opinandi modus ſcandalum iiſdem ingerat, & in errore magis illos confirmet. Porro hoc auferri ſcandalum nequit, niſi Romanæ Eccleſiæ æque morum, ac fidei diplomata humili mentis obſequio ſuſcipiantur. Qui captioſis interpretamentis conſtitutiones pontificias deludunt, qui eaſdem in ſenſus humanis appetitionibus accommodatos detorquent, qui novis opiniunculis earumdem vim elevare, extenuare, & fruſtraneas efficere ſibi licitum conſtituunt, & hæreticis ſcandalo, & Catholicis exitio ſunt. Graſſantur enim vero corruptiſſimi plurimorum mores hodie ad æternam animarum perniciem in Eccleſia. At, quod amarioribus deplorandum lacrymis eſt, penes non paucos conſenſere iura peccatis, & licitum eſſe cœpit apud plures quod publicum eſt. Vitiorum multitudo pene obſedit humanam mentem, ut opiniones excogitaret, quæ vitiis ipſis velum honeſtatis prætenderent. Cuiuſdam illudentis benignitatis ſpiritus viam excogitavit, quæ nec arcta Chriſti, & Sanctorum, nec lata & ſpatioſa hæreticorum, & improborum ſit; ſed tertia media, dulcis & ſuavis, ſimul & honeſta. Hoc benignitatis ſeducentis lenocinio obtectæ laxæ opiniones liberius incedunt, ſibique multitudinem, ad dulcia, & humanæ concupiſcentiæ ſuavia commenta propenſam, conciliant: divinas, & humanas leges pro ingenio, non ad Eccleſiæ præſcriptum interpretantur. Magna, inquit Auguſtinus, tentatio eſt multitudinis conſenſus, tametſi cognoſcatur legibus oppoſitus. Hoc & Cyprianus advertit. Ut itaque & nobis, & proximis noſtris ab errandi, & æternum pereundi periculo caveamus, firmiter adhærendum eſt in hac ſcopulis plena navigatione Eccleſiæ anchoræ: illius iudicia, conſtitutiones, decreta obſequenti obedien-

Digitized by Google

dientia ſuſcipienda. Faceſſant humanæ cogitatiunculæ, pugnæque verborum, quibus in partes varias trahuntur Eccleſiæ canones. In eadem Proteſtantium familia conſcientiæ libertas oppoſitas invexit hæreſes: & libertas opinandi contrarie minus & magis probabiliter in partes duas, Theologiam moralem unius domi contrariam effecit Theologiæ alterius domi. Alterutra autem falſa ſit oportet; cum plus una vera eſſe nequeat. Sola veritatis via, ſive fidei, ſive morum, ad Deum, qui veritas eſt, pergimus. Contra falſitas tum fidei, tum morum natura ſua ad infernum detrudit. Qui declinare ſerio vult, uti debet, errandi tum in fidei, tum in moribus, & damnationis æternæ pericula, conſtanter firmiterque ſanctæ matris Eccleſiæ iudicio adhæreat.

C A P U T VIII.

De Conciliorum auctoritate.

I. FUſius quam fortaſſe par erat, de tribus primis Chriſtianæ Theologiæ locis diſputatum eſt. Id in cauſſa fuit quod inde plura collegimus quæ noſtro inſtituto, nempe formandis moribus, opportuna erant. Cetera quæ ſequuntur, theologica loca paucis perſtringam: tum ne opus nimium excreſcat; tum quia non ſunt, quemadmodum tria priora, argumento noſtro adeo neceſſaria, & adeo utilia. Idcirco pauca dumtaxat delibabo, iis miſſis quæ uberrime, & ampla eruditione communiter a ceteris Theologis diſputantur.

§ I.

Quid & quotuplex ſit Concilium. Unde illorum origo. Ad quem attineat eorumdem convocatio, & qui iure ad ipſum vocandi ſint.

I. COmmunis Concilii finitio hæc eſt: *Congregatio Prælatorum Eccleſiæ ad fidei, morumque controverſias definiendas, a legitimo Superiore convocata*. Congregatio hæc *Sanhedrin*, ſeu *Synedrion* Iudæis, *Synodus* Græcis, Latinis *Concilium* eſt.

II. Concilium aliud generale, nationale aliud, provinciale tertium, quartum diœceſanum. Concilium generale illud eſt ad quod Epiſcopi univerſi chriſtiani orbis convocantur. Nationale illud eſt quo conveniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi unius regni, vel nationis, in quo Primas, aut Patriarcha præſidet. Provinciale coaleſcit ex Epiſcopis quibus Archiepiſcopus, ſive Metropolitanus præeſt. Concilium diœceſanum con-

conſtat Presbyteris, ſeu Parochis unius diœceſis, Epiſcopo præſidente. Hoc non eſt Concilium proprie dictum, cum ſolus Epiſcopus ius ſuffragii habeat.

III. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in ſuo celebri *de Synodo diœceſ. Oper. Lib. I. cap. 1. num. 6.* erudite animadvertit, Synodum epiſcopalem, ſeu diœceſanam frequenter ab antiquis appellari *Presbyterium*, interdum etiam *Concilium civile*, quod congregetur ab Epiſcopo in ſua civitate ſolis Presbyteris ſuæ diœceſis convocatis. De utilitate, frequentia, & dotibus Synodi diœceſanæ uberrima eruditione diſputat Pontifex ſanctiſſimus.

IV. Concilia nationalia quandoque generalia appellantur reſpectu talis regni, vel nationis; tametſi abſolute reſpectu univerſæ Eccleſiæ talia non ſint. S. Auguſtinus *epiſt.* ccxv. alias xlvii, Synodum Africanam ſecundam an. 418. celebratam vocat *plenariam*: & Synodus Toletana III. ſe appellat univerſalem: nempe, ut advertit Natalis Alexander *hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. III. diſſ.* xxiv. Africana Synodus plenaria eſt reſpectu totius Africæ, & Toletana reſpectu illius regni. Concilium abſolute generale appellatur etiam *Oecumenicum*. Reperiuntur Concilia generalia, ut *Mediolanenſe* an. 354. celebratum, & *Ariminenſe* an. 359. & alia plura, quæ generalia, ſecus œcumenica ſunt, quia ab Eccleſia reprobata. Ut itaque Concilia generalia œcumenica dicantur, requiritur primum, ut ſint reipſa generalia, & inſuper ut ab Eccleſia approbentur tamquam œcumenica. Concilium quippe generale non receptum ab Eccleſia illegitimum eſt, & Pſeudoconcilium. Illa omnia Concilia generalia quæ probata, & recepta ab Eccleſia ſunt, œcumenica appellantur.

V. Conciliorum origo a iure divino proficiſcitur. Negat de more Lutherus in ſuo *de Conciliis libro*, ubi contendit ſuperflua eſſe Concilia, ut excludat iudicem a quo damnetur. Verum errorem Lutheri, & Proteſtantium omnium damnat ipſe Chriſtus Dominus, qui Conciliorum imaginem nobis præbuit in illa diſcipulorum convocatione, quibus hanc propoſuit quæſtionem: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Cui Petrus reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Quæ Petri prompta confeſſio meruit a Chriſto audire: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: Matth. xvi. Sed luculentius ipſemet Chriſtus Dominus *Matth. cap.* xviii. & Concilii inſtitutionem, & ſuam eidem protectionem ſpondet. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quid quod pro optimo ſynagogæ regimine Conciliorum praxim Deus præſcripſit? Id habetur Deut. cap. xvii. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* Et rurſus Num. cap. xi. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri: & duces eos ad oſtium Taberna-*

culi

culi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum; ut deſcendam, & loquar tibi. Iudæorum ſynagogæ *Synedria* ſeu Concilia convocanda pro recto eiuſdem gubernio Deus præſcripſit. Minus ne Deus chriſtianæ Eccleſiæ regimen curat? Si expedientem iudicavit ſynagogæ regendæ Synedriorum uſum; multo magis Conciliorum praxim Eccleſiæ ſuæ commendaſſe dicamus oportet. Poſſunt utique emergentes dirimi controverſiæ ab ipſo ſummo Pontifice univerſalis Eccleſiæ capite, & ſæpe reipſa definitæ olim fuere, & in dies definiuntur. At in iis quæ iuris poſitivi ſunt, factum præcipue & conſuetudo ſpectanda eſt. Porro Apoſtoli ipſi poſt abitum Chriſti Domini in cælum, tametſi poſſent ſinguli ortas definire controverſias, nihilominus a Chriſto Domino eruditi, Hieroſolymis Concilium convocarunt, ut legalium controverſiam definirent; quemadmodum habetur Act. cap. xv. *Convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.*

VI. Conciliorum generalium convocationem Imperatoribus adiudicant Lutherus, Calvinus, & Proteſtantes. Et inde generale Concilium dici contendunt, quod ab Imperatore univerſali omnium domino indicatur. Sed turpiter, ut in ceteris cum Catholicis controverſiis, aberrant Proteſtantes. Quandoquidem, ut Concilium ſit legitimum & œcumenicum, ab Eccleſiæ conſenſu recipi, & probari debet; & ut legitima convocatio dicatur, ab Eccleſiæ capite, quod eſt Romanus Pontifex, convocetur neceſſum eſt. Nomine quippe Chriſti convocandum Concilium eſt. Porro Chriſtus Petro, & Petri ſucceſſoribus hanc conceſſit auctoritatem, ſecus Imperatoribus. Petro, minime Imperatoribus, Chriſtus dixit: *Paſce oves meas.* Petri ergo, eiuſque ſucceſſorum eſt oves regere, dirigere, eaque præſcribere & ordinare quæ ſunt optimo regimini neceſſaria. Numquid Imperatores ſunt animarum Paſtores? Quo ergo iure in hoc regimen extendere auctoritatem ſuam valent? Nonne Pontifices confinia ſuæ poteſtatis tranſilirent, ſi Comitia imperii pro civili ſubditorum regimine indicerent? Eadem ratione limites ſuæ poteſtatis Imperatores prætergrederentur, ſi abſque Pontificis conſenſu, vel eo inconſulto, Concilia convocarent.

VII. Qua vero ratione convocare Concilium ad Romanum Pontificem attinet; eadem quoque Concilio convocato præſidere aut per ſe, aut per ſuos Legatos Romani Pontificis eſt. Paſtoris enim eſt gregi ſuo præſidere. Quæ omnia perenni Eccleſiæ traditione manifeſta ſunt. Petrus præfuit primo Hieroſolymitano Concilio, in quo electus fuit Mathias in Apoſtolum, & ſecundo convocato pro legalium ceſſatione. Similiter Petri ſucceſſores Conciliis poſterioribus tum orientalibus, tum occidentalibus præfuere aut ſeipſis, aut per Legatos ſuos. Nicæno præfuit S. Silveſter per *Oſium*, *Vitum*, & *Vincentium*. Conſtantinopolitano primo præfuit *Nectarius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, aut, ut alii contendunt, *Timotheus* Alexandrinus nomine Papæ *Damaſi*. Multi volunt Concilium iſtud non fuiſ-

ſe

ſe generale, niſi ex poſt facto, ſeu accedente poſtea conſenſu Concilii occidentalis, quod Romæ eodem tempore habitum fuit. Cæleſtinus I. Pontifex Romanus præfuit Epheſino I. œcumenico per *Cyrillum Alexandrinum*, poſt per *Arcadium*, & *Proiectum* Epiſcopos, & *Philippum* Presbyterum. S. Leo ſuos Legatos inſtituit *Paſchaſium*, & *Lucentium* Epiſcopos, *Bonifacium*, & *Baſilium* Presbyteros, qui præeſſent Chalcedonenſi Concilio. Concilii Conſtantinopolitani II. & quinti generalis Patres rogarunt *Vigilium* Papam tunc Conſtantinopoli degentem, ut præeſſe Concilio vellet, qui tamen præeſſe noluit, ratus ſat ſibi eſſe ut Concilii Patres ius, quod ſibi præſidendi competebat, agnoviſſent. Alii contendunt præfuiſſe per *Eutychium* Patriarcham Conſtantinopolitanum. Sexto generali Concilio nempe Conſtantinopolitano III. præfuiſſe *Agathonem* Pontificem Romanum per *Petrum*, & *Georgium* Presbyteros, atque *Ioannem* Diaconum, patet ex actionibus eiuſdem Concilii. Concilio ſeptimo, ſeu Nicæno II. præfuit *Adrianus I.* per *Petrum* Archipresbyterum Romanæ Eccleſiæ, & *Petrum* Monachum Abbatem S. Sabæ. *Adrianus II.* præfuit Concilio octavo, ſeu Conſtantinopolitano IV. per *Donatum* & *Stephanum* Epiſcopos, & *Marianum* Diaconum. Occidentalibus Conciliis omnibus præfuerunt Pontifices ſummi per ſe ipſos, excepto Tridentino, cui nomine Pauli III. tres Cardinales *Moronus*, *Marcellus*, *Reginaldus Polo*: nomine Iulii III. Cardinalis *Creſcentius*, Sebaſtianus *Pighion*, & Aloyſius *Lippomanus*: & tandem nomine Pii IV. *Hercules* de Mantua, *Hieronymus Seripandus*, *Stanislaus Hoſius*, & *Ludovicus Simonetta* præſedere.

VIII. Plura obiici ſolent, quæ convocationem Conciliorum orientalium tribuunt Imperatoribus. Si diſcutere ſingula vellem, nimis prolixa oratio foret. Paucis rem perſtringo. Utique Imperatores ipſi Concilia orientalia convocarunt, ſed ſemper annuente & conſentiente Romano Pontifice pro tempore regnante. Tum Concilia non Eccleſiæ, ſed Imperatorum ſumptibus celebrabantur, & ab Imperatore concedebatur civitas, in qua Concilia habenda erant. Idcirco ſummi Pontifices hanc exteriorem negotiorum directionem Imperatoribus libenter permittebant.

IX. Iure ſoli Epiſcopi ad Concilium vocandi ſunt. Ex conſuetudine vocantur Cardinales, ex privilegio Generales ſacrorum Ordinum, & Abbates. Hæc omnia manifeſte patent. Epiſcopos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, iſtis gregis ſui curam demandavit. Iſtorum ergo eſt ſuffragia ferre, quoties decernenda ea ſunt quæ gregis regimen ſpectant. Cardinales ſunt Pontifices collaterales, habentque in ſuis titulis iuriſdictionem epiſcopalem. Quamobrem aut ſunt Epiſcopi, & tum iure vocantur; aut ſecus, & tum ex probata conſuetudine Concilio adſiſtunt. Generales Ordinum, & Abbates ſunt ſuperiores Religioſorum, qui iuriſdictioni Epiſcoporum non ſubiacent. Ergo cum Concilium œcumenicum univerſalem repræſentet Eccleſiam, ſicut ad illud vocandi iure ſunt Epiſcopi, qui ſuos fideles re-

Digitized by Google

repræſentent; ita vocandi ex rationabili conſuetudine Generales, & Abbates, qui ſuos ab iuriſdictione Epiſcoporum exemptos ſubditos referant. Quare ſi ex privilegio iſti ab Epiſcoporum ſubiectione ſubducti fuerunt, ex privilegio quoque ad Concilium vocantur.

X. Opponunt, Concilio generali Apoſtolorum pro dirimenda legalium controverſia omnes interfuiſſe. *Convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc*. Seniorum nomine Presbyteri veniunt, curam animarum habentes. Quid quod ipſi laici præfato Concilio interfuere? Id colligitur ex *cit. cap. xv. Act. Apoſt.* ubi dicitur: *Tum placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia*. Nomine ſeniorum æque Epiſcopi veniunt, ac Presbyteri. Sermo noſter eſt de iis qui ut iudices ſuffragia ferunt in Concilio, non de ceteris adſtantibus. In præfato Concilio Apoſtoli iudicarunt. *Propter hoc ego iudico* &c. Seniores Presbyteri adfuerunt, ut conſulerent, & diſquirerent. *Cum magna diſquiſitio fieret* &c. Laici, ut audirent ſilentes, & obedientiam præſtarent. *Et tacuit omnis multitudo*. Conſuetudo eſt optimus legis interpres. Cetera omnia Concilia tum proxima apoſtolicis, tum poſteriora hanc ſemper ſervarunt formam, ut Epiſcopi ſederent tamquam iudices, docti Presbyteri ut conſultores, laici vel ut adiutores in exterioribus curis, vel ut ſpectatores. Et hæc agendi forma obſervatur in quolibet etiam politico regimine. Numquid ad Comitia omnis populus vocatur? Numquid in militia ipſa corporali milites omnes adſunt conſiliis pro victoria obtinenda haberi ſolitis? Proteſtantes, ſicuti monſtroſam conflarunt Eccleſiam, ita ordine perturbato regere eamdem contendunt.

§. II.

Quæ ſit Conciliorum generalium auctoritas in fidei, & morum cauſſis. Calvini commenta refelluntur.

I. Concilia generalia, quæ nec a Romano Pontifice confirmata ſunt, nec ab Eccleſiæ conſenſu recepta, nulla potiuntur auctoritate. Errori enim eiuſmodi Concilia obnoxia ſunt, ſicuti reipſa erravit Concilium Ariminenſe in cauſſa Arii, & Epheſinum in cauſſa Dioſcori.

II. Concilia generalia, Romani Pontificis auctoritate, & accedente Eccleſiæ conſenſu firmata & recepta, iuxta omnes Catholicos infallibilis ſunt auctoritatis in fidei & morum definitionibus. Hæc enim Concilia ſunt ipſa Eccleſia congregata; ſed Eccleſiam dono infallibilitatis a Deo ornatam eſſe, ſupra oſtenſum eſt: ergo & Concilia hoc fruuntur privilegio. Quare omnia præfata Concilia ad exem-

Digitized by Google

exemplum primi Concilii, quod eſt ceterorum forma, & exemplar, pronuntiare iure valent: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.*

III. Hæc veritas, quam perfracte inficiantur Lutherus *Lib. de Conciliis*, & *de captiv. Babylon.* Calvinus *Lib. IV. Inſt. cap.* IX. luculenter confirmatur omnium ſæculorum perenni conſuetudine. Nam omnes ii qui in fidei morumque definitionibus generalium Conciliorum auctoritati pertinaciter reſtiterunt, pro hæreticis habiti ſunt. Tamquam hæreticos execrata Eccleſia ſemper eſt & Arianos poſt Concilium Nicænum, & Macedonianos poſt Conſtantinopolitanum, & Neſtorianos poſt Epheſinum, & Eutychianos poſt Chalcedonenſe; & omiſſis ceteris Lutheranos, ac Calvinianos poſt ultimum Tridentinum.

IV. Hæc omnia unanimi conſenſu teſtantur ſancti Patres. S. Athanaſius *epiſ. ad Epictetum* inquit: *Qua audacia ſit ut poſt tanti Concilii* (Nicæni) *auctoritatem diſceptationes, aut quæſtiones inſtituant?* S. Leo Magnus *epiſ.* lxv. ad Theodoretum narrat irretractabili aſſenſu Concilii Chalcedonenſis decreta firmata eſſe. *Gloriamur in Domino cum Propheta canentes*: Adiutorium noſtrum in nomine Domini . . . . *qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit; ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut vere a ſe prodiiſſe oſtenderet quod prius, prima omnium ſede formatum, totius chriſtiani Orbis iudicium recepiſſet.* S. Ambroſius *epiſ.* XXXII. inquit: *Sequor tractatum Nicæni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Et reipſa Hilarius in exilium actus fuit ob fidem Nicæni Concilii. Quare Hieronymus *Lib. adverſus Luciferianos* ſcribit pro Athanaſio, Hilario, Euſebio, & aliis Nicænæ fidei ſtrenuis defenſoribus: *Quomodo poterant adverſum Synodum Nicænam facere, propter quam exilia ſuſtinuerunt?* Quid, ſi referre S. Auguſtini teſtimonia vellem ex *Lib. I. & II.* adverſus Donatiſtas? Manifeſta igitur traditione conſtat, generalia œcumenica Concilia in controverſiis fidei & morum finiendis errare minime poſſe.

V. Hæc Conciliorum infallibilitas, non ab Epiſcoporum multitudine derivatur, cum ſinguli & fallere, & falli valeant, ſed a Spiritus ſancti aſſiſtentia, quam, ut ſupra demonſtratum eſt, Chriſtus Eccleſiæ ſuæ conceptis verbis ſpopondit. Conciliis autem iſtis, cum Eccleſiam repræſentent, Spiritus ſanctus adſiſtit, non ut novas aut fidei, aut morum veritates revelent, aut condant; ſed ne errent in definiendis fidei, morumque articulis a Deo iam olim revelatis verbo aut ſcripto, aut tradito. Arrigant ergo aures ſurdi Proteſtantes, ut tandem Catholicorum audiant doctrinam. Scripturas ſanctas non ſubiicimus Eccleſiæ, ſeu Conciliorum iudicio, ut hinc auctoritatem, & infallibilitatem accipiant: hanc enim a Deo, a quo dictatæ ſunt Scriptoribus ſanctis, auctoritatem habent. Iudicio Eccleſiæ, & Conciliorum ſubiicimus controverſias quæ de fide, & moribus inter homines exci-

ci-

Digitized by Google

citantur; ut Concilium definiat, num articulus in diſcrimen adductus contineatur nec ne in verbo divinitus aut ſcripto, aut tradito. Eccleſia, & Concilia ſubiecta ſunt Scripturis ſanctis, diviniſque traditionibus, quia nihil de fide definire valent, niſi ea quæ poſt diligens, & maturum examen cognoverint in Scriptura, aut traditione divinitus revelata contineri. Subiiciunt ne Lutherani, & Calviniani hominum iudicio Scripturas divinas, propterea quod examinandas ab hominibus docent, ut ſinguli id credant quod in eiſdem contineri iudicant? Quæro ab illis, in hoc iudicio falli ne ſinguli valent? Si negent; ergo infallibilitatem, quam nos Concilio œcumenico tribuimus, illi ſingulis femellis adſcribunt. Si adfirment; ergo fallax eſt & commentitia eorum fides. Sed hæc obiter. Definitiones ergo Conciliorum infallibiles aſſerimus, quia ex Scripturis ſanctis certo ſcimus Spiritum divinum aſſiſtere Eccleſiæ, ſeu Conciliis, ne errent in definiendo, talem articulum aut contineri in Scripturis, aut eiſdem repugnare. Concilia hominum controverſias dirimunt, ſuamque auctoritatem a Deo acceptam non in Scripturas ſanctas, ſed in homines exercent, ut ſua particularia iudicia ſubmittant iudicio Eccleſiæ; eaque credant in Scripturis ſanctis contineri quæ ipſa lumine ſibi divinitus infuſo definit reipſa revelata a Deo eſſe. Definitiones Conciliorum non ſunt novæ revelationes, ſed divinarum revelationum legitimæ interpretationes. Quare calumniantur impudentiſſime Proteſtantes, nos eodem loco habere definitiones Conciliorum, ac ipſas Scripturas ſanctas. Millies enim hanc calumniam profligarunt catholici Theologi: millies dictum eſt, Eccleſiam, ſeu Concilia nullam poſſe fidei controverſiam definire niſi ad infallibilem verbi Dei regulam; nihil conſtituere de fide poſſe, niſi quod iudicat a Deo revelatum in Scripturis ſanctis, diviniſque traditionibus.

VI. Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* IX. *§.* 7. hæc obtrudit, ut Conciliorum infallibilitatem elevet. *Sed unum exemplum, quod eſt præ aliis memorabile, pro omnibus ſufficiat. In eo Concilio quod collegerunt Pontifices, & Phariſæi Hieroſolymis adverſus Chriſtum, quid deſideres quod quidem ad externam ſpeciem attinet? Niſi enim tunc fuiſſet Hieroſolymis Eccleſia, numquam ſacrificiis, aliiſque cæremoniis communicaſſet Chriſtus. Fit ſolemnis convocatio: præibat ſummus Pontifex: totus ordo ſacerdotalis aſſidebat: damnatur tamen illic Chriſtus, & eius doctrina e medio profligatur. Hoc facinus documento eſt, incluſam minime fuiſſe in illo Concilio Eccleſiam. At non eſt periculum, ne quid tale nobis eveniat. Quis nobis fidem fecit?*

VII. Quis nobis fidem fecit? Tibi hæretico, & Proteſtantibus hæreticis, ab hereditate filiorum, & ad filios concubinarum Eccleſiarum eiectis, nemo. Nobis ab apoſtolica ſucceſſione proficiſcentibus fidem fecit Chriſtus. *Euntes docete omnes gentes .... Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem*

ſæculi. En noſtrum fideiuſſorem & ſponſorem divinum, o Calviniani, Lutheranique. Sophiſma iſtud futile eſt, & Calvini obſtinatione dignum. Perpetua ne Eccleſia iudaica? An non prædixerunt Prophetæ tempore adventus Meſſiæ deſtruendam fore? Erravit Concilium iſtud. Sed quo tempore? Eo tempore quo erraturum prædictum erat. Infallibilitas Eccleſiæ tempore quo in terris Chriſtus vitam degit, non penes Concilium, ſed in ipſo Chriſto erat. Ille ipſe, ut caput viſibile, Eccleſiæ ſuæ præſidebat. Si etiam modo nobiſcum vitam duceret, quemadmodum tunc, non Pontifex, non Concilium, ſed ipſe controverſias definiret, ipſe ſolus iudex, fallere, & falli neſcius, Eccleſiam ſuam regeret. Aliud etiam ſupra ex Cano reſponſum datum eſt.

VIII. Sed audiamus iterum Calvinum, qui *ibidem* §. 8. hæc ſubdit. *Quid ergo? inquies. Nulla ne erit in definiendo Conciliorum auctoritas? Immo vero: neque enim hic omnia Concilia damnanda, aut omnium acta reſcindenda, & , quod dicitur, una litura eſſe inducenda diſputo. At cogis tamen, inquies, omnia in ordinem; ut cuilibet in medio poſitum ſit recipere, vel repudiare quod ſtatuerint Concilia. Minime vero. Sed enim quoties Concilii alicuius decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipſum de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari: idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præiudicii; neque tamen examen, quod dixi, impediat. Utinam eum omnes ſervarent quem præſcribit Auguſtinus Libro adverſus Maximinum tertio. Nam quum hunc hæreticum de Synodorum decretis litigantem breviter vult compeſcere: Nec ego (inquit) Nicænam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes tamquam præiudicaturus obiicere. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris . . . Sic priſcas illas Synodos, ut Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem, ac ſimiles, quæ confutandis erroribus habitæ ſunt, libenter amplectimur, reveremurque ut ſacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent quam puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam ſancti Patres ſpirituali prudentia ad frangendos religionis hoſtes, qui tunc emerſerant, accommodarunt. In poſterioribus quoque nonnullis videmus elucere verum pietatis ſtudium, notas ad hæc ingenii doctrinæ non obſcuras. Sed quemadmodum ſolent res in deterius fere prolabi, ex recentioribus Conciliis videre eſt, quantum ſubinde Eccleſia a puritate illius aurei ſæculi degeneraverit. Nec dubito quin iſtis quoque corruptioribus ſæculis habuerint Concilia ſuos melioris notæ Epiſcopos. Sed in his accidit quod in Romanis Senatus-conſultis non recte fieri olim conquerebantur ipſi Senatores. Dum enim numerantur, non appenduntur ſententiæ, meliorem partem a maiori vinci neceſſe fuit. Certe multas impias ſententias protulerunt.*

Digitized by Google

IX. Hæc ex Calvino, licet prolixa, reſcribere volui, ut illius turpiſſimam fraudem, & ineptiſſima ratiocinia Calvinianis exprobrarem. Et ad primum quod attinet, textum obtrudit S. Auguſtini, inſigni fraude in erroneum ſenſum detortum. S. Doctor, ut ad incitas redigeret Maximinum Arianum, reiicientem Concilium Nicænum, & opponentem Ariminenſe, hæc ſcribit *Lib. III. cap.* XIV. contra eumdem. *Sed nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tamquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius teneris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Germanus reſcripti Auguſtiniani teſtimonii ſenſus eiuſmodi eſt. Quoniam nec Maximinus deferebat Nicæno, nec Auguſtinus Ariminenſi Synodo, ad Scripturarum, & rationum momenta utriſque communia cauſſam appellavit. Quemadmodum ſi ego ſacrarum imaginum uſum propugnans adverſus Calvinum dicerem: Quoniam nec ego Concilii Conſtantinopolitani ſub Leone Imperatore celebrati, nec tu Nicæni ſecundi detineris auctoritate, ad principia utriſque communia diſputationem revocemus. Hinc ne inferre quiſquam poſſet, præter unum fraudulentum Calvinum, me reiicere auctoritatem ſecundi Nicæni Concilii? Si diſputationem cum Hebræo initurus prætermitterem Evangelia, quoniam ille ea non admittit, ut ex ſolo veteri teſtamento utriſque communi controverſiam ageremus; hinc inferret Calvinus, ſua exquiſita dialectica, me reiicere Evangelia. Et tamen adeo impudens Calvinus eſt, ut hoc idem teſtimonium Auguſtini repetat in *præfat. ad Antidotum Concil. Trident.*

X. Sed illius modo manifeſtæ antilogiæ, & ineptiſſima ratiocinia in examen veniant. Oecumenici Concilii definitiones ita hominum iudicio, Calvine, ſubiicis, ut cuilibet in medio *poſitum ſit illas recipere, vel repudiare*? *Minime vero*, reſpondes. Minime? Eiſdem ergo, ut ſupremi iudicis ſententiis, pares? Nequaquam. Quid igitur mi homo? Neque reiicienda, neque repudianda Concilia ſunt, clauſis oculis, quin ſaltem legantur, & examinentur, nonne? Huc ergo recidit quod, Calvine, tribuis Conciliis obſequium, & obedientiam? Ita ſane, ſubdit ille, inquiens: *Quoties Concilii alicuius decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa* &c. Quiſque igitur vel de trivio homo, qui Scripturas divinas legere ſciat, Calvino teſte, & ſuffragantibus Calvinianis, & Lutheranis omnibus, erigere tribunal valet, & ultimum in definitiones ipſas Concilii iudicium ferre, & decidere, ſint nec ne ad amuſſim Scripturarum? Quam ſit hæc Calvini doctrina portentoſa, nemo non videt, niſi calvinianæ cæcitatis velo obductus ſit. Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem *libenter*, inquit Calvinus, *amplectimur, reveremurque ut ſacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata.*

Nihil enim continent quam puram & nativam Scripturæ interpretationem. At clamant Ariani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani, Concilia præfata contra Scripturam ſanctam nova dogmata condidiſſe. Hæretici iſti & linguarum peritia, & ingenii acumine, eruditioneque in Scripturis interpretandis Calvino, & Luthero præſtabant: & tanta erant aſtutia inſtructi, ut potuerint vel doctioribus Catholicis ad momentum in Concilio Ariminenſi fucum facere. In fronte dumtaxat impudentiſſima Luthero, & Calvino cedebant. Repudiarunt illi præfata Concilia; at ſanctos illos Patres, non *aſinos*, non *cornutas beſtias*, quemadmodum Calvinus in *Antidoto* Tridentinos Patres, compellarunt. Iniuria ergo ſumma Calvinus cum ſuis, ut hæreticos, execrantur Arianos, Neſtorianos, Macedonianos, Eutychianos, ſi illi reiecerunt dicta Concilia, quemadmodum Proteſtantes repudiant Tridentinum. Redit dilemma ſupra factum. Aut admittendi ſunt omnes hæretici in Eccleſiam proteſtanticam: aut parendum Conciliorum definitionibus, examine ſublato. Poſterioribus ſæculis ab aurea illa prima ætate degeneravit Eccleſia? Non ergo idem Deus nunc & tunc Eccleſiæ ſuæ aſſiſtit? Quid hic Dei protectionem comminiſceris? clamitat Calvinus. In Eccleſia accidit quod in Romanis Senatus-conſultis non recte fieri olim conquerebantur ipſi Senatores, quia numerantur, non appenduntur ſententiæ. Ethnicorum ergo Senatui Chriſti Eccleſiam aſſimilat leviculus rabula? Merito quidem Eccleſias luthericas, & calvinicas latronum, & piratarum turbis comparant: quoniam non modo Paganos, ſed vel ipſos Atheiſtas excipere in ſinum ſuarum Eccleſiarum coguntur. Si enim Atheiſta teſtetur, ſe poſt ſeverum Scripturarum examen non reperire Deum illum quem Calviniani, & Lutherani adorant, quo iure illum damnabunt? Hæc pauca adverſus Calvini abſurda paradoxa obiter dixiſſe ſufficiat, ut nova dedecoris, & funeſtiſſimæ cæcitatis monimenta habeant Lutherani, & Calviniani.

XI. Plura alia quæ obiici Concilia ſolent, nempe Epheſinum II. Ariminenſe, Conſtantinopolitanum III. Nicænum II. Francofordienſe, & cetera, ut errori obnoxia, prætereo; quod ſint a Cano *Lib. V.* a Bellarmino *Lib. II. cap.* VIII. & innumeris aliis Theologis a Lutheranorum, & Calviniſtarum impoſturis pleniſſime vindicata, reiectis iis quæ reiici iure debent, & veritate in tuto locata.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Synodi diœceſanæ, provincialis, nationalis auctoritas, licet abſolute infallibilis non ſit, tamen in morum potiſſimum regulis conſtituendis prævalet ingenti Probabiliſtarum multitudini.

I. Concilia non generalia, nec ſummi Pontificis, aut Eccleſiæ univerſalis conſenſu confirmata, errori abſolute ſubiecta ſunt. Hanc aſſertionem confirmat Synodus Carthaginenſis nationalis ſub Cypriano, quæ in errorem de hæreticis rebaptizandis lapſa eſt. Quare Synodus Romana V. ſub Symmacho relata cap. *Concilia*, diſt. XVII. hæc decernit. *Concilia Sacerdotum eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt.*

II. Verum, tametſi Synodus ſive diœceſana, ſive provincialis, ſive nationalis; infallibilis non ſit; tamen tantæ eſt auctoritatis, ut graviſſimæ temeritatis reus eſſet qui eiuſdem canonibus non acquieſceret. In gradu tamen auctoritatis natio alis præſtat provinciali, & provincialis diœceſanæ, ut conſtat. Nam quo maior eſt Epiſcoporum congregatio, eo etiam, abſolute re ſpectata, maior eruditio, ſapientia, & cetera quæ ad maturam prudentemque definitionem formandam conducunt, præſumi debent. Quamquam enim falli abſolute queant particularia Concilia, rariſſime tamen reipſa falluntur. Vix unum, præter Africanum iam dictum, Concilium ſive provinciale, ſive nationale, ſive diœceſanum occurrit, quod in fidei dogmate erraverit. Si duobus aut tribus in Dei nomine congregatis, in medio eorum ſe futurum Deus promiſit; quanto magis aſſiſtet tot Epiſcopis, tot Sacerdotibus pro bono gregis ſibi a Deo commiſſi unitis? S. Patres aliqui in unam conveniant ſententiam, valde eam probabilem efficiunt: ad maiorem ſane probabilitatem illam efferunt plures Epiſcopi una convenientes, qui invocato Spiritus ſancti auxilio, eamdem definiunt veritatem. Epiſcopis, qui Eccleſiis gubernandis præfecti ſunt, Deus ſuum præcipue lumen ſpopondit. Quamobrem Synodus VII. generalis hæc de diœceſanis Synodis ſtatuit *act.* III. in litteris ſynodicis Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani. *Locales autem Synodos non averſamur, ſed magis amamus, amplectimur, & recipimus, earum etiam divinitus inſpiratas canonicas conſtitutiones, correctiones, & utiles earum legislationes ſumma obſervantia colimus.*

III. Quæ hoc in capite de Conciliis dicta ſunt, huc tandem recidunt, ut palam fiat Caſuiſtas, & Theologos non in fidei modo, verum etiam in morum

Digitized by Google

regulis conſulere ſacras Synodos potiſſimum debere. Quis deplorare ſatis valet non paucos Moraliſtas, qui, dum ſibi opponi Synodorum decreta audiunt, continuo reponunt, Synodos eſſe diœceſanas, infallibilitatis privilegio deſtitutas? Sed ab illis percontamur, num infallibilitatis dono præditi ſint Caramuel, Bonacina, Zanardus, Machadus, Eſcobarius, Caſtropalaus, Tamburinus, & ſexcenti alii? Pluris iſti faciunt cenſum quemdam etiam non numeroſum Caſuiſtarum, quam unius diœceſanæ, & etiam provincialis Synodi decretum. Cedo: quos poſuit Spiritus ſanctus chriſtianam Eccleſiam dirigere? Caſuiſtas? Minime gentium, ſed Epiſcopos. Nulla in Synodis laxa opinio. Vix duas a tot ſæculis reperire Synodos licet, errorem aliquem continentes. Caſuiſtarum plurium volumina laxitatibus, & erroribus ſcatent. Epiſcopi, & Parochi Paſtores ſunt populi chriſtiani, ſecus Caſuiſtæ. Paſtorum voces audire oves debent. Quot Caſuiſtæ ſcripſerunt, ut ſcriberent, ut diſputarent, ut præiudicatas opiniones, & domeſtica ſyſtemata propugnarent? Certo ſcimus Synodos ſacras ſpiritualem fidelium utilitatem, & morum ſanctitatem inculcare, regulas honeſtatis & pietatis præſcribere, miſſis diſputationibus, & ſophiſticis argutationibus.

IV. Heinc colliges, quam hallucinentur Confeſſarii, qui legentes Gennetum, Pontaſium, Natalem Alexandrum, Merbeſium, alioſque ſimiles, qui morales controverſias Synodorum decretis reſolvunt, flocci faciunt, & quorumdam Caſuiſtarum ratiunculas, ac ſophiſticas argutationes venerantur, perdiſcunt, memoriæ commendant. Quid ad nos, inquiunt, Synodi Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, illius, aut alterius diœceſis? Rationum momenta afferenda ſunt. Synodi non decidunt caſus practicos, ut noſtri Moraliſtæ. His præſtigiis non pauci faſcinati tenentur. Adeo mos prævaluit, & conſuetudo inveterata hominum mentes infecit, ut ſperare vix liceat in ſemitam veritatis revocandos aberrantes fore. Hæc ſcribimus pro iis qui a præiudicatis novi opinandi modi ſententiis præventi non ſunt. Hos ad Scripturarum, ad ſacrarum traditionum ſtudium hortamur, neglectis Caſuiſtis illis qui diſputare, & argutari, non ſancte vivere docent. Abſit ut tot recentiorum opera, doctrina ſana, & eruditione ſacra concinnata, improbem. Abſit ut condemnare illos velim qui acquieſcere meis conſiliis nolunt. Quiſque in ſuo abundet ſenſu.

CAPUT IX.

De ſummorum Pontificum, ſanctorumque Patrum auctoritate.

DE auctoritate & infallibilitate ſummi Pontificis agendum hic eſſet. Verum cum locum iſtum tanta eruditionis copia, tanta argumentorum firmitudine,

ne, & tanta perſpicuitate in ſuo celeberrimo opere adverſus Illuſtriſſimum BOSSUETUM illuſtraverit Reverendiſſimus Ioſeph Auguſtinus ORSI, ut ceteris omnibus, mea quidem ſententia, palmam præripuerit, de illo penitus ſilere decrevi. Animo deſtinaveram plura adverſus Ioannem *Dalæum* de *uſu Patrum*, Franciſcum *Budæum* de *Theologia Patriſtica*, *Barbeyracum* de *Morali Patrum* ſcribere. At duo a præconcepto conſilio dimoverunt. Unum eſt longum, quod mihi conficiendum iter supereſt. Alterum obſtinatio eſt Proteſtantium, qui, cum ipſas Scripturas proprio cuiuſque iudicio ſubiiciant, audacius ſanctorum Patrum auctoritatem aut flocci faciunt, aut cavillantur. Nulla cum iſtis ineunda diſputatio eſt: quia principia omnia negant, unde eruendæ concluſiones ſunt, quibus ad incitas redigantur. In ſolo articulo de Eccleſia, & de iudice controverſiarum fidei illorum fatuitas ſplendidiſſime coruſcat. In hac ſola controverſia, unde ceteræ omnes pendent, manus cum ipſis conſerendæ. Hic caſtra fige, & certam obtinebis victoriam. Doctiores Proteſtantium, & Reformatorum in hac controverſia ſe communi ſenſu deſtitutos, ut vidimus, produnt. Aliarum controverſiarum capita explicanda, non cum ſpe, ut illos in ordinem redigas, ſed ut veritas lectoribus præiudiciorum vacuis ſplendeat. Hoc eſt potiſſimum momentum cur a ſanctorum Patrum vindiciis adverſus Proteſtantes concinnandis abſtineam. *Tom. VI. Theol. Chriſt.* aliquorum Patrum doctrinam ab impoſturis audaculi Barbeyraci aſſero. In præſens capita præcipua quæ auctoritatem SS. Patrum ſpectant, breviſſime delibabo.

§ I.

Quinam in SS. Patrum cenſum perſcribendi.

I. IAM inde uſque a ſua inſtitutione Doctores Eccleſia habuit, habebitque uſque ad mundi conſummationem, ut S. Paulus teſtatur ad Epheſ. cap. IV. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Verum primum omnium diſtinguendi ſunt Eccleſiæ Doctores a Doctoribus qui ſunt in Eccleſia. Probabiliſtæ, & Caſuiſtæ ſe ſe mutuo Doctoris titulo appellant. Ut quis Doctor in Eccleſia dicatur, ſat eſt ut communicet cum Eccleſia, & in aliqua univerſitate Doctoris lauream obtineat. Doctores, ſeu Patres Eccleſiæ ii ſolum nuncupantur quos ob eminentem doctrinam, & inſignem ſanctitatem ad mortem uſque morum integritate teſtatam ipſa Eccleſia ut tales veneratur & colit. Tres ergo ſunt Patrum ſanctorum dotes. Doctrina eminens, ſanctitas inſignis, Eccleſiæ teſtimonium. Sal ter-

Digitized by Google

ræ, & mundi lux Doctores Eccleſiæ in Evangelio *Matth. cap.* v. appellantur: *Vos eſtis ſal terræ .... vos eſtis lux mundi*. Et rurſus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona .... Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Doctoris itaque Eccleſiæ eſt doctrinæ fulgore errorum tenebras diſſipare, & morum ſanctitate clarere coram hominibus. Sapientia mentes illuſtrat, & morum ſanctitas alios ad virtutis ſtudium inflammat.

II. Porro quemadmodum Doctor in Eccleſia non habetur, quantumvis doctrina, eruditione, & morum integritate præditus refulgeat, niſi reipſa alicuius Univerſitatis teſtimonio, vel privilegio donatus ſit; ſimiliter nemo Doctoris Eccleſiæ gradu fruitur niſi teſtimonio aut expreſſo, aut tacito eiuſdem Eccleſiæ.

III. Quinam reipſa ſunt Eccleſiæ Patres? Primum omnium eminent Apoſtoli, Evangeliſtæ, & Diſcipuli Domini, qui non tam Patres, quam Patres Patrum dici poſſunt; ut S. Auguſtinus animadvertit, explicans verſiculum illum Pſalm. xliv. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*, ideſt, inquit Doctor ſanctus, *Patres miſſi ſunt Apoſtoli. Pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi*. Gradus epiſcopalis ſingularis prærogativa eſt, quæ doctrinæ & ſanctitati unita præſtantiorem efficit Eccleſiæ Patrem. Quandoquidem Epiſcopatus eſt traditionis præcipuus canalis, per quem incorrupta Apoſtolorum doctrina ad nos pervenit.

IV. In ætates tres diſtingui Patres ſolent. Prima ætas tria prima ſæcula, ſecunda tria ſequentia comprehendit, tertia ab initio ſeptimi uſque ad tertium decimum ſæculum extenditur. Primæ ætatis Patres eo maiori digni veneratione ſunt, quo propinquiores fuerunt primævæ apoſtolicarum traditionum origini & fonti. Non propterea tamen ætatis ſecundæ Patres minori auctoritate fulgent, ſi copioſius & doctrinarum, & virtutum ſplendore Eccleſiam illuſtrarunt. Tertiæ ætatis Patres tametſi antiquitate, eloquentia, & eruditione anteceſſoribus inferiores ſint; nihilominus, cum eadem nobis tradant quæ docuerunt primi, ſummo & ipſi in pretio habendi ſunt. Poſteriores Doctores appellantur veluti pædagogi, ſi cum primis conferantur, ut advertit S. Thomas in *cap.* iv. *Epiſ. I. ad Cor. lect.* iii. ubi in illa Apoſtoli verba: *Etſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui*: hæc habet. *Dicit ergo Apoſtolus ſe patrem eorùm in Chriſto, quia eis primo Evangelium prædicavit. Unde aſſignans rationem eius quod dixerat, ſubdit: Nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui*. Pater enim ille eſt qui primo generat, pædagogus vero qui iam natos filios nutrit, & erudit. Apoſtoli poſt Chriſtum Dominum fideles genuerunt. Succeſſores genitos fideles educarunt, propagaruntque ge-

Digitized by Google

generationem. Iſti filii ſunt Apoſtolorum, & patres poſteriorum. Porro ipſa paternitas, cum prior filio ſit, antiquitatem prodit. Hæc dos antiquitatis Eccleſiæ Patribus competit. Ipſi enim aut generarunt, aut formarunt Eccleſiam & doctrinæ ſplendore, & operum ſanctitate.

V. Latinorum Patrum præcipui ſunt *Cyprianus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Leo Magnus*, *Proſper*, *Fulgentius*, *Gregorius Magnus*. Græcorum celebriores ſunt *Clemens Papa*, *Ignatius*, *Iuſtinus*, *Irenæus*, *Baſilius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyſſenus*, *Epiphanius*, *Chryſoſtomus*, *Dionyſius Areopagita*, *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Damaſcenus*, *Theophilactus*.

VI. *S. Bernardus*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura* Doctores, & Patres Eccleſiæ ſunt; tametſi iis antiquitas deſit. Quamquam nec iſtis nunc antiquitas deeſt. Nam S. Bernardus ab ann. 1153. S. Thomas & S. Bonaventura a 1274. antiquitatem poſſident. Et licet reſpectu antiquorum iuniores appellari valeant; relate tamen ad nos antiquitate fruuntur. Duabus aliis prærogativis, nempe doctrinæ luce, & morum ſanctitate, mirum in modum præfulgent. S. Bernardus contra *Petrum Abailardum*, contra *Gilbertum Porretanum* in Conciliis Senonenſi, & Remenſi pugnavit, & ab eorum erroribus Eccleſiam defendit; diſciplinam monaſticam ad primævum ſplendorem revocavit. S. Thomas antiquorum Patrum doctrinam illuſtravit, & in ordinem digeſſit. Recentiorum hæreticorum malleus dicitur, & arma adverſus omnes poſteriores hæreſes validiſſima præparavit: & in Concilio Tridentino tanto in pretio eiuſdem doctrina habita fuit, ut in non paucis punctis ex eadem compacta decreta fuerint. S. Pius V. Pontifex Maximus hæc de S. Thoma pronuntiavit: *Factum eſt omnipotentis Dei providentia, ut Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, qua apoſtolicam Eccleſiam, infinitis confutatis erroribus, illuſtravit, ex eo tempore quo cæleſtibus civibus aſcriptus fuit, multæ quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ & convictæ diſſiparentur*. Et Paulus V. inquit: *Splendidiſſimi catholicæ fidei Athletæ beati Thomæ Aquinatis, cuius ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter eludit, honorem, & venerationem in dies magis magiſque augeri plurimum in Domino gaudemus*. Similia elogia panxit Sixtus V. Doctori Seraphico S. Bonaventuræ.

VII. Antiquis Eccleſiæ Patribus non accenſui Tertullianum, Origenem, Euſebium Cæſarienſem, Ruffinum: quoniam, inquit Ildephonſus Baptiſta O. P. in ſua pro Patrum auctoritate apologia pag. 89. *doctiſſimus fuit Tertullianus, ſapientiſſimus Origenes, eruditiſſimus Euſebius Cæſarienſis; & tamen Eccleſia numquam Doctores ſuos appellavit eos, nec aliquis umquam auſus eſt eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit, non ſolum doctrina, ſed etiam ſanctitate præſtantibus*. A pluribus tamen præfatos Doctores Patribus Eccleſiæ annumerantur.

Digitized by Google

tur. Verum diſſidium iſtud nullius momenti eſt. Nam omnes fatentur eruditione ſumma & profunda doctrina iſtos eminere in iis quæ cum Eccleſia catholica docent. Verum quia ab Eccleſia catholica in multis, & gravis momenti articulis deſcivere, ideo caute legendos eſſe ipſa Eccleſia admonet.

§. II.

De SS. Patrum auctoritate in divinis Scripturis interpretandis, & controverſiis fidei definiendis.

I. MElchior CANO præ ceteris *Lib. VII. de locis theolog.* rem hanc diſpexit, & regulas optimas tradidit. Paucis ego argumentum iſtud, quod ceteroquin amplam exhibet diſputandi materiam, perſtringo. Convenit penes omnes, Patres in philoſophicis diſciplinis non plus auctoritatis habere quam quod præferunt illorum rationum momenta. Similiter in ceteris aliis quæ nec fidem, nec mores ſpectant, tantum eorum auctoritas ponderis habet, quantum valet ratio ab ipſis producta. Quandoquidem in his non ſunt traditionis cuſtodes, ſed homines errori obnoxii, non ſecus ac alii. Si tamen etiam in his quæſtionibus unanimi conſenſu in aliquam concederent ſententiam, hæc ſummo probabilitatis gradu frueretur. Quo loco autem habenda ſit auctoritas SS. Patrum in iis quæ fidem, & bonos mores ſpectant, ſequentibus regulis declarabo.

II. *Regula I.* In Theologia aliqua diſputantur quæ ad doctrinam neque fidei, neque morum utilia ſunt: idcirco neque revelata, neque tradita. Patrum auctoritatem in his quæſtiunculis amplecti neceſſario non aſtringimur. Hanc regulam præſcribit Vincentius Lirinenſis *Comm. cap.* XXXII. his verbis. *Antiqua ſanctorum Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum in fidei regula, nobis certo eſt ſequenda, atque in his præcipue quæſtionibus, quibus catholici dogmatis fundamenta nituntur.*

III. *Regula II.* In controverſiis quæ Scripturas ſanctas, vel fidem ſpectant, unius aut alterius, immo etiam plurium Patrum auctoritas, ſi alii diſſentiant, non efficit articulum de fide, ſed tantum ſententiam probabilem. Hæc regula certa eſt. Siquidem non unus aut alter, ſed plures Patres doctrinam aliquam docuerunt ut ad diſciplinam attinentem, quæ poſtea ab unanimi Patrum, ſeu Eccleſiæ conſenſu definita de fide eſt. Id patet in S. Cypriano, & pluribus aliis de hæreticis rebaptizandis. Hanc regulam confirmant ipſi SS. Patres. S. Hieronymus *epiſt.* IV. ad Cteſiſontem adverſus Pelagianos. *Si quid in meo ingeniolo vitii repererint, proferant in medium: aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ: aut reprehenſibilia, & confitebor errorem, malens emendari quam perſeverare in pravitate ſententiæ.* Similiter S. Auguſtinus *Lib. III. de Trinit.* ſub ini-

Digitized by Google

initium hæc ſcribit. *Sane cum in omnibus litteris meis non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maxime in his ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quam multos contradictores habet. Verumtamen ſicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius quam catholicam fidem; iſte ſe non amet amplius quam catholicam veritatem. Sicut illi dico, noli meis litteris quaſi Scripturis canonicis inſervire; ſed in illis & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmiter retinere: ita illi dico, noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum; at intelligendo, & amando & tuum ſit, & meum: ſi quid autem falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed iam cavendo nec tuum ſit, nec meum.* Rurſus Lib. de don. perſever. cap. XXI. *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit: nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi.*

IV. *Regula III.* In iis quæ ad fidem, & mores attinent, unanimis SS. Patrum conſenſus ſententiam reddit certiſſimam, & ineluctabilem, quæ in diſputationem revocari a Catholicis nequit. Si enim omnes Eccleſiæ Patres unanimi conſenſu in aliquem conſentirent errorem fidei, aut morum, iam Eccleſia ipſa erraret. Hoc autem fieri non poſſe, ut ſupra demonſtratum eſt, Chriſtus ipſe nobis promiſit. Hanc regulam confirmant ipſimet ſancti Patres omnes. Origenes ipſe hoc teſtatur Lib. I. Periarch. in præfat. *Cum multi ſint qui ſe putent ſentire quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa a prioribus ſentiant, ſervetur eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque ad præſens in Eccleſiis permanens: illa ſola credenda eſt veritas quæ in nullo ab eccleſiaſtica diſcordat traditione.*

V. S. Irenæus *Lib. IV. cap.* III. Clemens Alexandrinus *Stromatum Lib. VIII.* Tertullianus *Lib. de cor. milit. cap.* IV. & *Lib. de præſcript.* ex quo nonnulla ſupra reſcripſi, huius veritatis teſtes ſunt. S. Auguſtinus *Lib. II. cont. Iulian. cap.* IX. auctoritate Irenæi, Cypriani, Hilarii, Gregorii, Ambroſii, Innocentii, Baſilii, & aliorum, Pelagianorum errores profligat. Vincentius Lirinenſis in *Commonit. I. cap.* XXVIII. inquit: *Beatorum Patrum ſanctum catholicumque conſenſum ne quis ſibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in I. ad Corinthios Apoſtolus*: Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos (*quorum ipſe unus erat*) ſecundo Prophetas (*qualem in Actibus Apoſtolorum legimus Agabum*) tertio Doctores, *qui Tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei divinitus per tempora, & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu catholici dogmatis*

unum

Digitized by Google

unum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum: Plurima alia, quæ ibidem habet, prætereo. Rationem dumtaxat quam aſſignat, tranſcribo. *Cum Scripturam ſacram pro ſui & altitudine, & obſcuritate, non uno eodemque ſenſu omnes accipiant, ſed aliter atque aliter alius atque alius interpretetur, ut pene quot homines, tot illinc ſententiæ erui poſse videantur (aliter namque illam Novatus, aliter Sabellius, aliter Arius, aliter Donatus*; (arrigant aures Calviniani, & Lutherani) *neceſse fuit ut propheticæ, & apoſtolicæ interpretationis lineæ propter tam varii erroris anfractus ſecundum normam aliquam dirigerentur. Ob id ergo poſt Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas, ſanctos quoque Doctores accepimus, quo eorum catholicam, hoc eſt univerſalem, intelligentiam, tamquam Eccleſiæ regulam a Deo præſcriptam, ſequeremur*. Integrum legatur Commonitorium ab iis qui plura deſiderant.

VI. Eamdem regulam confirmant Concilia. In Concilio Chalcedonenſi *III. Part. cap.* 1. hæc habentur. *Sequimur autem SS. Patres, & Doctores ſanctæ Dei Eccleſiæ, ideſt Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Theophilum, Ioannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Auguſtinum, Proclum, Leonem, & omnia quæ ab his de fide recta, & ad condemnationem hæreticorum conſcripta & expoſita ſunt, ſuſcipimus*. Et ut prætercam Concilia Epheſinum, Trullanum, Lateranenſe, & alia plura, ultimum œcumenicum Tridentinum *ſeſs.* IV. hæc habet. *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum; aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat; etiamſi nullo umquam tempore in lucem edendæ forent*.

VII. *Regula IV.* Quando SS. Patrum in iis quæ fidei ſunt, pauci diſſident a reliquis, id tenendum eſt quod omnes uno eodemque conſenſu aperte docuiſse dignoſcitur. Hanc regulam docet Vincentius Lirinenſis *Commonit. I. cap.* IV. ubi inquit: *Quid, ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium error deprehendatur? Curabimus omnino ut paucorum inſcitiæ univerſalis Concilii decreta præponantur. Quæ ſi deſint, collatas inter ſe maiorum ſententias lector conſulat eorum, qui diverſis licet temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ catholicæ communione ac fide permanentes, Magiſtri probabiles extiterunt: & quod non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter, tenuiſse, ſcripſiſse, docuiſse cognoverit; id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum*.

VIII. *Regula V.* Quando SS. Patres non docent, quid credendum; ſed teſtantur, quid ſuo tempore in Eccleſia catholica obſervabatur, & credebatur; adfirmantque ta-

Digitized by Google

talem fidem in Eccleſia catholica per totum terrarum orbem viguiſſe; tunc non eſt neceſſe ut omnes citentur, & conſulantur, ſed pauci interdum ſufficere poſſunt, ut certo colligatur, qualis fuerit Eccleſiæ fides, vel diſciplina.

IX. *Regula VI.* Auctoritas unius aut alterius, aut paucorum Patrum, tanto eſt ſolidior, & altiori in loco habenda, quanto magis conſtat unum aut alterum, aut paucos in hac aut illa controverſia, qua de agitur, a Deo datos eſſe ad ſanam in tali controverſia doctrinam propagandam, & defendendam; & præterea ingenio, eruditione, & ſanctitate excelluerunt. His dotibus inter antiquos refulget, ut mihi videtur, S. Auguſtinus, qui a Deo excitatus fuit ad doctrinam de gratia, & prædeſtinatione propugnandam, ad profligandos Pelagianos, Semipelagianos, & ceteros qui inde proficiſcuntur errores, non modo contra gratiam, & prædeſtinationem gratuitam, verum etiam contra caſtiſſimæ ſanctiſſimæque veritatis candorem, & ſinceritatem, ut ſunt mendacia, & reſtrictiones mentales, & cetera eiuſmodi. Inter poſtremos vero Eccleſiæ Doctores præfatis prærogativis excellere S. Thomam Aquinatem teſtantur Pontifices plurimi, cuius doctrinam contra hæreticos & hæreſes antidotum ſaluberrimum, clypeum validiſſimum appellant.

§. III.

Nonnulla hæreticorum Lutheri, Calvini, Dallæi, Budæi, Pfaffii, *aliorumque ſophiſmata, & putidiſſima mendacia refelluntur.*

I. HAEreſiarchæ fere omnes aſtutia, hypocriſi, acumine, audacia, & temeritate incredibili inſtructi fuere. Hypocriſis & adultera fallentis pietatis ſpecies neceſſaria eſt ad plebem excantandam: aſtutia & acumen ad fallendos ſciolos: audacia & temeritas ad obſiſtendum doctis, & legitimis poteſtatibus. Ad prodigium ſtolidi, & prorſus dementes fuiſſent Lutherus, & Calvinus, ſi vexillum adverſum Eccleſiam Apoſtolico-Romanam erigentes, bellum non indixiſſent omnibus iſtius apoſtolicæ ſucceſſionis Patribus. Antiquorum omnium, & poſteriorum Patrum doctrinam improbandam ſuſcipiunt. Numquid ſimul illorum iudicio ſuperbas demittent cervices? Fatui hac in hypotheſi, non hæreſiarchæ fuiſſent.

II. Martinus Lutherus, qui ſicuti hæreſum pluralitate omnibus hæreſiarchis fecundiſſimus fuit, ita protervia ſumma ceteris omnibus anteivit, hæc in Patrum contemptionem *Lib. adverſus Regem Angliæ* ſcribit. *Ita ſit ut ego clamem: Evangelium, Evangelium: Chriſtus, Chriſtus: ipſi reſpondent: Patres, Patres: uſus, uſus: ſtatuta ſtatuta. Ubi vero dico Patres, uſum, ſtatuta ſæpius erraſſe, oportere eiuſmodi firmiore & certiore auctoritate munire, Chriſtum vero non poſſe errare, hi piſcibus magis muti . . . ut Scriptura dicit, ſicut aſpides ſurdæ obturant aures, ne audiant*

vo-

Digitized by Google

vocem incantantis. Utinam Septentrion magna in parte aures obturaviſſet, nec audiſſet vocem circulatoris impudentiſſimi, & ſcurræ audaciſſimi Lutheri, qui ſic pergit. *Aut hoc denuo, quod ſemper in ſumma natat ſaliva, mihi reddunt. Ambroſius ſic dicit. Tu ne doctior Ambroſio?* Ecquid ni? reſpondet inſignis ſycophanta: Doctior profecto Ambroſio, Auguſtino, Platone, Ariſtotele, Tullio, & cunctis omnium ſæculorum ſapientibus Lutherus, qui libertatem humanam de medio tollere, abolere leges, conſtuprare virgines, æquare ſolo ſanctuaria, honeſtare polygamiam, & innumera flagitiorum monſtra virtutis ſplendore illuſtrare minime erubuit.

III. Calvinus Luthero, quem Spiritus ſancti tubam appellat, verſipellior, & fraudulentior, effrenatam eiuſdem licentiam verſute temperare aliquantiſper, ſicut in hæreſi contra libertatem, ita in hæretica Patrum contemptione ſubdole ſtuduit. Is in *præfat. Inſtit.* ad Regem Galliæ directa hæc ſcribit. *Præterea calumnioſe nobis Patres opponunt . . . ac ſi eos haberent ſuæ impietatis ſuffragatores: quorum auctoritate, ſi dirimendum certamen eſset, melior victoriæ pars (ut modeſtiſſime loquar) ad nos inclinaret. Verum, cum multa præclare, ac ſapienter ab illis Patribus ſcripta ſint, in quibuſdam vero iis acciderit quod hominibus: iſti pii ſcilicet filii, qua ſunt & ingenii, & iudicii, & animi dexteritate, eorum tantum lapſus & errores adorant: quæ bene dicta ſunt, vel non obſervant, vel diſſimulant, vel corrumpunt; ut dicas prorſus illis curæ fuiſse in auro legere ſtercora. Tum improbis clamoribus nos obruunt, ceu Patrum contemptores, & adverſarios. Nos vero adeo illos non contemnimus, ut ſi id præſentis inſtituti eſset, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem, quæ hodie a nobis dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobare. Sic tamen in eorum ſcriptis verſamur, ut ſemper meminerimus omnia noſtra eſſe, quæ nobis ſerviant, non dominentur; nos autem unius Chriſti, cui per omnia ſine exceptione parendum ſit.*

IV. Si rem ſpectes, quemadmodum Lutherus, ſic & Calvinus ad Chriſtum appellat, Patribus contemptis. Ad modum quod attinet, Lutherus germanicæ nationis quamdam ſinceritatis ſpeciem retinens, internam Patrum contemptionem theutonico ſtilo aperte profert. Calvinus e contrario hanc manifeſtam contemptionem ſua vafra & fraudulenta elegantia tegere, delinire, & fucare ſtudet, ut ſibi ab invidia caveat. SS. Patres Apoſtolico-Romanæ Eccleſiæ dogmata confirmantes lapſi in errores ſunt, errarunt utpote homines. Catholici exquiſita dexteritate hos Patrum errores adorant, in auro ſtercora legunt. Aliæ Patrum doctrinæ quæ ſunt contra Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos, Sabellianos, quos æque Proteſtantes ac Catholici improbant, ſuſcipiuntur & a Luthero, & a Calvino. Mirum duos iſtos hæreſiarchas non definiviſſe tot Patres pronuntiaſſe errores, quot dicta, & omnia Patrum ſcripta ſolos continere errores. Et quoniam hoc non

Digitized by Google

dixit Calvinus, ideo Patrum veneratorem apud Regem Galliæ, pioſque homines ſe haberi contendit. Sed quid preſſius bacchantium hominum inſaniam urgeo?

V. Ioannes Dallæus tractatum edidit *de uſu Patrum*, quem feminæ inſcripſit. Calvini veſtigia premit, & ſophiſticis diſtinctiunculis rem implicat, Patrumque auctoritatem in nihilum redigere infelici conatu pertentat. *Scrivenero* Dallæi opuſculum confutavit. Natalis ab Alexandro *diſser.* XVI. *in hiſt. eccl. ſæculi* II. omnia Dallæi ſophiſmata paucis perſtringit, & refellit. Quia nimium ab inſtituto meo digrederer, ſi iſtius Calviniſtæ paradoxa refellere vellem; idcirco illa negligo, cum ſint ab aliis Catholicis penitus labefactata.

VI. Franciſcus Budæus, noviſſimus inter Lutheranos ſcriptor, opus edidit inſcriptum *Iſagoge hiſtorico-theologica ad Theologiam univerſam ſingulaſque partes*. Porro *Lib. poſterior. cap.* III. agit de *Theologia Patriſtica*, & plura conſarcinat tum pro, tum contra Patrum auctoritatem. Et primum ſincere fatetur, *Patriſticam Theologiam* in controverſiis fidei traditione niti, Patreſque poſteriores in more habuiſſe antiquiorum allegare teſtimonia, ut gliſcentes errores compeſcerent. Hæc quippe ſcribit *loc. cit. ad* §. 8. „ Veteris Eccleſiæ Doctoribus iam in more poſitum fuiſſe „ ut ad pondus aliquod a ſe dictis conciliandum, vel Eccleſiæ cum ſua ſententia „ conſenſum demonſtrandum, ſubinde ad illos qui ante ſuam ætatem vixerunt, „ provocarent, nemo forte, niſi qui illorum numquam inſpexit monumenta, dubitaverit. Horum cum deinceps iterum alii imitarentur exemplum, novaque in „ dies Patrum auctoritas incrementa ſumeret, tandemque exiſterent qui ex dictis, „ effatiſque Patrum integra Theologiæ ſyſtemata colligerent; ortam inde *Theologiam*, quam vocamus *Patriſticam*, nemo non perſpicit. Quæ licet in aprico „ poſita ſint, confirmare tamen paucis, ac illuſtrare iuvabit, ut ortum, atque „ progreſſum Theologiæ huius eo planiorem faciamus. Scripſit IRENAEUS inter „ alia epiſtolam ad *Florinum* &c. In ea *Irenæus*, ut *Florinum* refutaret . . . . ad „ Presbyteros, qui ante ſe vixerant, & Apoſtolorum diſcipuli extiterant, hoc eſt „ Patres, provocat. Inquit . . . *Hæc dogmata hi qui ante nos vixere Presbyteri, qui* „ *etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt*. Opponit deinde *Florino* auctoritatem *Polycarpi*, quippe quem adhuc vidiſſet, ac audiſſet, di„ citque, & in conſpectu Dei beatum illum & apoſtolicum Presbyterum, ſi quid „ eiuſmodi umquam audiiſſet, exclamaturum continuo, & obturatis auribus ſuis „ dicturum fuiſſe, prout ipſi in more erat: Deus bone, quæ me in tempora re„ ſervaſti, ut talia ſuſtinerem? . . . . Ut vero in aliis, ita cum primis in con„ troverſiis cum Arianis patuit, quam ſolemne fuerit ad Patrum provocare au„ ctoritatem . . . . Sic & Baſilius Magnus, dum contra Sabellianos pariter, ac „ Arium, & Anomæos diſputat, ad Patres non minus ac Scripturam, quamvis „ ad hanc præcipue, eos ablegat. *Hortamur autem vos*, inquit, *ne quovis modo*,

„ *quod*

Digitized by Google

„ *quod vobis probetur, ex nobis audire quæratis, ſed quod Domino placeat, & conſonum ſit Scripturis, nec Patribus contrarium ſit . . . . Abſterreat te dominica traditio. Dominus ita docuit: Apoſtoli prædicarunt: Patres obſervarunt: Martyres confirmarunt: ſatis tibi ſit ut dicas quemadmodum edoctus es* . . . . Inter Latinæ Eccleſiæ Doctores *Auguſtinus* cum primis occurrit, qui, etſi præcipue Scripturæ ſacræ auctoritate Pelagianos compeſceret, Patrum tamen teſtimonia non negligenda cenſuit, ne nova, quod illi iactitabant, quæ propugnabat, dogmata eſſe viderentur . . . Sufficere hæc poſſunt, inde ut conſtet iam in veteri Eccleſia ad Patrum interdum provocatum fuiſſe auctoritatem. Plura autem ſi quis deſideret, MELCHIOREM CANUM adeat de *locis theologicis Lib.VII.cap* III. ubi, dum probare adnititur *Sanctos ſimul omnes in fidei dogmate errare non poſſe*, varia quæ huc faciunt, adfert cum primis pag. 221. Adeo vero hac de re dubitari nequit, ut potius iam ea ætate interdum plus quam decebat Patrum auctoritati tributum videatur. Magis tamen ſequenti id factum tempore, exemplum luculentiſſimum præbente VINCENTIO LIRINENSI. Ipſi enim Scripturæ ſacræ, Eccleſiæ catholicæ traditionem, quæ Patrum maxime teſtimoniis nititur, adiungit, utraque fidei integritatem conſervari adſerens in *Commonitorio I. cap.* I. &c. Nos iſthæc eum in finem attulimus, ut, quanta iam ea ætate Patrum in rebus ad doctrinæ veritatem ſpectantibus fuerit auctoritas, inde intelligeretur. Hinc nemo mirabitur extitiſſe ſequenti ætate, qui Patrum effata colligendo, & in certum ordinem diſponendo, velut ſyſtemata quædam theologica conderent, & certæ Theologiæ ſyſtematicæ occaſionem darent, quod ſæculo ſexto *Iſidorum* Hiſpalenſem, & *Leontium* Cyprium, ſæculo ſeptimo *Taionem* ſive *Taium* Epiſcopum Cæſarauguſtanum feciſſe ad cap. I. . . . obſervavimus. Imitati deinceps ſunt hoc inſtitutum primi Theologiæ ſcholaſticæ conditores, inter quos Petrus Lombardus eminet."

VII. Prima hæc quatuor ſæculorum ætas, fatentibus Proteſtantibus, aurea fuit; incorrupta fides, ab erroribus immaculata Eccleſia. Hanc iſtius ætatis methodum ſemper ſervavit, ſervatque in præſens Romana Eccleſia, ut exploratum eſt: nec ipſe Budæus negat, negareve poteſt. Cur ergo Budæus cum ſuis Lutheranis huic methodo non adhæret? Cur traditiones divino-apoſtolicas, quæ ſanctorum Patrum ore, & ſcriptis ad nos, non interciſa temporum ſerie, pervenerunt, non ſuſcipiunt Lutherani? An evidentiſſime non conſtat, teſte ipſo Franciſco Budæo, Proteſtantes in finiendis de religione controverſiis normam illam reieciſſe quam ſervavit Eccleſia *ætate aurea*, quando? Quando fatentibus omnibus communiter Proteſtantibus pura ab erroribus fides, intaminata a ſuperſtitione Eccleſia, integra omnia erant. Ergo Proteſtantes ſeipſos damnant. Proteſtantes pugnantia de more loquuntur, ſeque cæcitatis velo obductos luculentiſſime patefaciunt.

VIII.

Digitized by Google

VIII. In reſcribendo *Franciſci Budæi* teſtimonio, mirabar optimam Germani hominis indolem & candorem, quo ignorantiæ, & fatuitatis eos damnat qui negant quatuor primis Eccleſiæ ſæculis ſacrarum traditionum uſum obtinuiſſe in finiendis de fide controverſiis. Verum enimvero lectionem *Budæi* perſequens, inveni Lutheranum impoſtorem, circulatorem, & calumniatorem impudentiſſimum, quem non pudet Catholicos traducere, tamquam operum ſanctorum Patrum corruptores fraudulentiſſimos. In religionis negotio Patrum opera, & quidem in controverſiis fidei cum Lutheranis adulterare, corrumpere, & machæra, ut verbo Tertulliani, utar, mutilare? Alterutrum ergo. Aut periit Catholicorum fides: aut mendaciis, impoſturis, & calumniis conſiſtit lutherana religio. Quis fidem Romanæ Eccleſiæ adhiberet, ſi hac illam uti fraude in ſuis dogmatis propugnandis ſciret? Porro qui præ nobis facti huiuſce meliores teſtes? Non minus nobis conſtat, Proteſtantes impudentiſſime mentiri, & perfracte calumniari hac in cauſſa, quam conſtet nos vivere, & Solem in meridie lucere. Cedo: Catholicus, qui Patrum opera in iis quæ dogmata ſpectant, corrumperet, adulteraret, mutilaret, religionem ne ſanctorum Patrum profiteretur? Minime. Neque ergo Romanam: neque luthericam. Nullam ergo. Alterutrum ergo: aut Athei Catholici ſunt, aut corruptores Patrum non ſunt. Primum neque Lutherani honeſti adfirmabunt. Negent ergo ſecundum neceſſum eſt.

IX. Ne autem imponere *Lutherano Budæo* videar, en quæ *loc. cit. pag.* 588. ſcribit. „ Dum Romanenſes committunt quod in hæreticis damnant, ſententiam contra ſe ipſimet ferunt. Librorum enim variorum, *ſpeciatim* eccleſiaſticorum, ſeu a Patribus profectorum corruptionem iure meritoque iis exprobrari, paſſim „ viri docti oſtenderunt, & *luculenter comprobarunt*, & quidem ex inſtituto Thomas Iameſius *tract. de ſacr. Scriptur.* Guil. Caveus *Prolegom. hiſ. litt. ſæc.* v. §. 5. „ Gaſpar Loeſcherus (Lutheranus) in *Diſsert. de latrociniis quæ in Scriptores publicos, Patres præcipue, ſolent committere hæretici*, Io. Chriſtophorus VVendlerus in *ſchediaſmate de libris a Pontificiis, aliiſque hæreticis in præiudicium doctrinæ purioris, noſtra & ſuperiori ætate ſuppreſſis & corruptis*. Nonnulla etiam „ huc ſpectantia monet Chriſtophorus Matthæus Pfaffius in *introduct. ad Hiſt. Theolog. litter. prolegom.* §. 2.

X. Videamus nunc quæ Reverendiſſimus Pfaffius *loc. cit. pag.* 7. ſcribat. *Conſtat Romānenſibus hanc dicam ſcribi, quod opera Patrum corruperint: immo Pontificios ipſoſmet & ſuis aliquando, & Proteſtantibus hanc dicam ſcribere . . . Refert hic Iameſius, qui magnam corruptionum eiuſmodi farraginem conglomerat, ſe ex nobili quodam Anglo audiviſſe, Romæ quod alantur a Pontifice non pauci pingendi artifices, quorum ſit, Conciliorum acta, & antiquorum Patrum opera exſcribere, & quidem litteris vetuſtiſſimos codices, quantum fieri poſſit, imitantibus. Quæ res magnam*

Digitized by Google

impoſturæ ſuſpicionem præbet. Audiſtin' Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitum Reverendiſſimum? Quod Romani Pontifices alant peritiſſimos ſcriptores, qui vetuſtiſſimos codices, ne pereant, tranſcribant, qui iacturæ ſubtrahant, qui tineis blatiſque ſurripiant, *magnam impoſturæ ſuſpicionem* præbet Lutherano viro, caritate, quæ mala non cogitat, ardenti. Ecqui fieri poteſt ut cum hoc Reverendiſſimo Pfaffio, qui, ut audio, apud ſuos eminet, & cum ceteris Lutheranis Scriptoribus ea honeſta, gravis, & moderata ſcribendi ratio ſervetur quæ viros ratione, nedum chriſtiana religione præditos, decet? Præclariſſimi Catholicorum eruditi viri a duobus ſæculis, & potiſſimum ætate noſtra doctiſſimi, inter ceteros Benedictini, omnia Patrum opera pulcherrimis typis ediderunt in lucem, conſultis non Romanis modo, ſed celebrioribus univerſæ Europæ codicibus, & expenſis critice ſeveriſſima. Eadem prolegomenis, præfationibus, notis, diſſertationibus eruditione, & doctrina refertiſſimis illuſtrarunt. Genuina a ſpuriis, & ſuppoſititiis ſecrevere. Hæc omnia univerſo Orbi conſtant. Quid plura? Si quis ad Romanæ Sedis tribunal reus corruptorum codicum SS. PP. in iis quæ fidem, moreſque ſpectant, convictus foret, ultimum ſupplicium, & quidem illo ſeverius quo puniri monetarum adulteratores ſolent, non evaderet. Hæc omnia tam certa ſunt, quam certum eſt nos vivere. Ergo Iameſius, Caveus, Loeſcherus, VVendlerus, Budæus, Pfaffius, & ſimiles omnes Proteſtantes, & Reformati (ad hoc quod attinet: nec enim unius criminis reus, continuo alterius ſceleris accuſari debet) mendaces, calumniatores, & impoſtores effrenatiſſimi ſunt. Quod in hoc aut illo dogmate errent Lutherani & Calviniani, commiſeratione digni ſunt; ſicut omnes ſumus, dum, fraude, & malitia ſublata, in errorem labimur. Verum Lutherani, & Calviniani paſſim contra Catholicos mendaciis & calumniis cauſſam ſuam orant. Sed, quod illos hoc in certamine dementes evincit, ea adhibent mendacia quæ nullo vel apparenti fuco obtegere valent. Mentiuntur, dum effutiunt, nos imagines, & Sanctos ut deos colere, iuſtificationem viribus arbitrii tribuere, divinam Scripturam hominum iudicio ſubmittere, & alia ſimilia: mentiuntur, inquam, & quidem manifeſtiſſime; at aliqua ſaltem, licet craſſa, cavillatione poſſunt mendacia obvolvere. Verum cum ſcribunt Romanenſes, ſeu Catholicos germanos SS. PP. codices data opera adulterare, mendacia & calumnias evulgant contra factum univerſæ Europæ luculentiſſimum, quod nulla obſcurari arte aut vafritie poteſt. Heinc Lutherani ſe pudorem, honeſtatem, frontem, & vel ipſam rationalitatem amiſiſſe ipſi patefaciunt, & deridendos, immo deteſtandos univerſæ humanæ ſocietati ſe propinant. Luthero tantum mendacium non venit in mentem: idcirco Patres contempſit. Lutheri filiis hæc aperta Patrum contemptio negotium faceſſit. Propterea Budæus Lutherum *loc. cit. §. 9.* auctoritate Hieronymi VVelleri excuſare a Patrum contemptione infeliciſſime nititur. Budæus ſe & critices peritum, &

Theo-

Digitized by Google

Theologum eruditum iactat. Quid ergo VVellerum obtrudit? Teſtimonia beati Lutheri in apricum adducenda ſunt. Sed hæc cum non extent, captanda effugia ſunt, quadrata miſcenda rotundis. Leproſi parentes leproſos generant filios. Mendaciſſimus parens Lutherus mendaces genuit filios, qui veluti ex aſſe heredes illius proterviæ, & impudentiæ, cum a vera filiorum Dei hereditate eiecti ſint, quotidie novas effingunt calumnias contra Catholicos.

XI. Hæc præter morem, & repugnante animo, adverſus incredibilem corruptorum a Catholicis Patrum codicum calumniam ſcripſi. Si interdum divinum oraculum, *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam &c.* locum habere debet, numquam opportunius adhibetur quam adverſus iſtos Luthericos, & Calvinicos blaterones, qui, fractis omnibus honeſtatis, & pudoris aggeribus, ut ſuas adulteras, & monſtroſas Eccleſias defendant, mentiri, malignari, & calumniari non ceſſant. Servent vel in ſuorum errorum defenſione modum, honeſtamque diſputandi rationem, & tum, tametſi transfugæ, deſertores, & hæretici, benigna commiſeratione tractabuntur a nobis. Hinc collige lector, quam ſit obfirmata hæreticorum proteſtantium cæcitas, quam tremenda divina iudicia. Qui ergo ſtat, videat ne cadat. Funeſta Proteſtantium exempla urgere nos debent ad reformandos mores noſtros, fidemque confirmandam. Plura alia quæ obtrudere Proteſtantes ſolent contra Patrum auctoritatem, prætereo, cum ſint a noſtris Theologis penitus profligata.

CAPUT X.

SS. Patres Chriſti IESU imitatores præcipue morum doctrinam tradiderunt. Quam turpiter aberrent illi Theologi morales qui a Patribus fidei dogmata, morum vero documenta a recentioribus accipienda effutiunt. Quas exceptiones nonnulli Caſuiſtæ dant Patribus in quæſtionibus morum, eaſdem opponunt Proteſtantes in controverſiis fidei: Pfaffii, Budæi, *& aliorum in Caſuiſtas, & Probabiliſmum obiurgationes.*

I. QUemadmodum Apoſtoli, ita Patres ſancti Apoſtolorum ſucceſſores, ad Chriſtum IESUM ſcripta & geſta conformare ſua curarunt. Chriſti Evangelia, ut alias animadverti, ea quæ ad formandos hominum mores neceſſaria ſunt, & opportuna, proponunt, explicant, inculcant. Pauca dogmata, & preſſe in iiſdem expoſita occurrunt. Fere omnia virtutum officia, morum integritatem,

Digitized by Google

vitæ ſanctitatem prædicant. Severæ, & repetitæ adverſus ſcelera, fraudes, vitiaque omnia increpationes. Sermones illi divini Chriſti Domini, & parabolæ omnes quo pertinent, niſi ut peccatores ad pœnitentiam, iuſtos ad perſeverandum, ad proficiendum, ad virtutum incrementum, ſegnes, torpidoſque ad vigilantiam, ad laborem, omnes denique ad præliandum contra hoſtes noſtros tum extraneos, tum domeſticos inflamment? Huc ſimiliter pertinent veteris Teſtamenti & prophetales, & ſapientiales libri. Apoſtoli ſancti, ut ex eorum epiſtolis, & actibus conſtat, toti fuere in morum doctrina fidelium mentibus imprimenda. Hunc clavum continenter tundebant. *Inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*: II. ad Timoth. IV.

II. Sancti Eccleſiæ Patres magiſtrum divinum Chriſtum, eiuſque Apoſtolos imitati ſunt. De fidei dogmatibus vix umquam, niſi neceſſitate extrinſecus urgente, diſputarunt. Hæreticis ſacrum fidei depoſitum invadentibus, SS. Eccleſiæ Patres eruperunt in medium, armato ſtilo, ut dogmata Chriſti ab iſtorum erroribus aſſererent, depoſitumque divinum ſartum tectum cuſtodirent. S. Ignatius Simonem Magum, Menandrum, Ebionem repreſſit; Irenæus Valentinum, Tertullianus Marcionem, Cyprianus Novatianos, Athanaſius, Hilarius, Ambroſius Arianos profligarunt; Baſilius, & Gregorius Nazianzenus Eunomianos, Cyrillus Alexandrinus Neſtorianos, Hieronymus Origenem, Iovinianum, Helvidium, Vigilantium, & Pelagium, Optatus Donatiſtas, Auguſtinus Manichæos, Pelagianos, Donatiſtas, Iovinianiſtas, Leo Eutychianos, & Priſcillianiſtas, Proſper Semipelagianos, Sophronius Monothelitas, Ioannes Damaſcenus Iconomachos. His dumtaxat occaſionibus refellendarum hæreſum libros polemicos Patres ſcripſere. Ceterum illorum ingentia volumina eo quaſi unice pertinent, ut morum Theologiam hominum mentibus imprimant. Huc illorum eloquentia, ſtudia, catecheſes, homiliæ, ſermones divinis teſtimoniis refertiſſimi: huc ampli illi tractatus adverſus uſuras, furta, libidinem, pompas, theatra, ebrietatem, crapulam, fraudes, dolos, iniuſtitias: huc tot illæ inſtructiones, quibus populum imbuunt in lege mandatorum Dei. Chriſtus Apoſtolos, eorumque ſucceſſores docens, argumenta tractanda & explicanda fidelibus, mandatorum doctrinam interpretandam imponit. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*: Matth. XXVIII. Pauci fidei articuli non valde incommodant humanis appetitionibus. Quæ mentis confinia non tranſiliunt, facillime homines amplectuntur. Verum mandatorum obſervantia ea eſt quæ fortiſſimos hoſtes, & perduelles audaciſſimos obſiſtentes experitur. Sagaciſſimus humani generis hoſtis non contra fidei articulum, ſed contra præcepti obſervantiam primos aggreſſus protoparentes eſt. Raræ adverſus fidei tentationes: continui, & validiſſimi conflictus, pugnæ, rebelliones, & prælia opinionum contra legem, & mandata. Et hoc fuit in cauſſa cur ſancti Eccleſiæ Patres ſolum oc-

occaſione data vindicandi fidem. Polemicos egerint; contra vero ex inſtituto moralem Theologiam docuerunt, pravas hominum opiniones, prætextus, excuſationes, artificia labefactarunt. Hac Theologia plena atque referta ſunt illorum ingentia volumina. Conſtat hoc univerſo mundo.

III. Quæ cum ita ſe habeant, quis ferat illorum Probabiliſtarum inſipientiam quos ſcribere non pudet, excultam a Patribus morum Theologiam non eſſe? Qui in fidei difficultatibus conſulendos Patres, in morum diſputationibus recentiores docent? *Quæ circa fidem* (inquit P. Reginaldus in Proœm. Oper.) *emergunt difficultates, a veteribus haurienda: doctrina morum a RECENTIORIBUS ſumenda*. Caramuel preſſius rem perhibet. *Tota Theologia noſtra nova eſt*. Vin' rationes audire? Quæ ſequuntur, expende. *Quærunt caſus temporum Doctores temporum. Bellus erit ille Criticus, ſi ex ſancti Auguſtini doctrina diſſolvere poſſit emergentes nodos circa ſimoniam, irregularitates &c. omneſque contractus ex Gregorii Nyſſeni, & Nazianzeni placitis componere.*

IV. Feſtiva hæc ſunt, & lepidiſſima. Morum ergo difficultates diſſolvere neſcierunt Eccleſiæ Patres? Ignorantes ne moralis Theologiæ Doctores Eccleſiæ? Duodecim ſæculis Chriſtiani abſque morum magiſtris? An tum Chriſtiani non exercebant contractus, mercaturam, emptiones, venditiones, commercia, ludos? An matrimonia non inibant, ſacramenta non recipiebant, templa non adibant? An non & ipſi ſagaces, aſtuti, acuti in excogitandis opinionibus, prætextibus, cavillationibus, ut ſuas honeſtarent uſuras, pompas, choreas, comœdias, luxum, divitiarum cumulationem, opipara convivia? Ortum ne aliquod vitium novum eſt quod Patres non damnaverint? Cur ergo haurienda a Patribus non eſt morum Theologia? Cur illorum doctrina dirimi morum quæſtiones non debent, aut non queunt?

V. Quoniam, reponunt Moraliſtæ noſtri non pauci, hodiernas quæſtiones noſtras non diſpexere Patres. Hoc idem aſſerunt Lutherani, & Calviniani de controverſiis quæ illos inter & nos Catholicos agitantur. Et ne aſſerere hoc gratis videar, reſcribo ipſius Ioannis *Dallæi* verba, qui *de uſu Patrum cap.* 11. hæc ſcribit. *Quæ ſuperſunt e tribus prioribus ſæculis ſcripta, maximam partem agunt de rebus alieniſſimis ab iis quæ hodie circa religionem in controverſiam vocantur . . . Hæc omnia perparum ad controverſias noſtras faciunt, quas iſti numquam fere, niſi caſu, atque obiter, & aliud agentes, attingunt; cum nihil minus quam nos, noſtraque in animo haberent. Occurrunt quidem hinc inde quædam apud illos in quibus utique ſibi videntur ſententiam ſuam clare expreſſam videre; ſed ut plurimum fruſtra.*

VI. Vitilitigat, & de more cavillatur Dallæus. Utique priorum ſæculorum Patres errorum portenta, quæ commenti Lutherus, Calvinus, & ceteri tum antiquiores, tum poſteriores hæretici ſunt, in diſputationem non vocarunt: quia hæc tum

Digitized by Google

e tenebris ſeptentrionalibus non emerſerant. Integros tractatus de Euchariſtia, de confeſſione, de purgatorio, de indulgentiis, & aliis eiuſmodi non edidere: quia opus minime erat. Sed cum validiſſimas pro chriſtiana religione apologias ediderunt, ſimul chriſtianas ſynaxes, & quæ in eiſdem agebantur, deſcripſere: libros quos de pœnitentia, de martyrio, & martyribus honore debito compoſuerunt, habemus. Superſunt eorum in Scripturam ſanctam doctiſſimi commentarii. Porro in his doctrina luculentiſſima habetur, qua hæreſes Proteſtantium profligantur, nedum Arianorum, & aliorum hæreticorum. Numquid controverſiæ fidei in ſacra Scriptura diſcutiuntur? Et tamen ex uno aut altero verbo eruere ſua dogmata contendunt. Cur ergo ex Patrum doctrina, qua pauci fidei articuli exponuntur, & controverſiarum capita prima explicantur, deduci non poſſunt definitiones contra hæreſes, quamvis ex inſtituto non ſint ab illis diſcuſſæ difficultates?

VII. Habent ne Caſuiſtæ citati aliud quod præbeant Dallæo, & Proteſtantibus reſponſum? Eodem ergo utantur in cauſſa propria, ſi a deceptione, qua detinentur, emergere velint. Aperiant tandem oculos, ut in hac de uſu Patrum controverſia ſe vel nolentes lapſos eſſe agnoſcant in illa ipſa abſurda in cauſſa morum in quæ prolapſi ſunt Proteſtantes in controverſiis fidei. Negant Proteſtantes in Patribus reperiri controverſias quæ nos inter & illos ardent diſcuſſas; & heinc inferunt nullam eſſe poſſe in eiſdem definiendis Patrum auctoritatem. Negant Caſuiſtæ plures opiniones caſuiſticas eſſe a Patribus diſcuſſas. Ergo concludunt, Patrum auctoritate definiri controverſias caſuiſticas minime poſſe. Ergo Caſuiſtæ non pauci nullum eſſe Patrum uſum in cauſſa morum adfirmant; quemadmodum nullum eſſe Patrum uſum in cauſſa fidei contendunt hæretici. Sed turpiter hæretici aberrant fide mala. Ergo turpiter hallucinantur plures Caſuiſtæ fide bona, qua credunt non reperiri in Patribus regulas pro dirimendis morum controverſiis. Abſit ut Caſuiſtarum aliquem hæreticis comparem; ſed ſolum hallucinationem, qua iſti præventi ſunt in negligenda Patrum doctrina pro moribus formandis, excuſare ſtudeo. Quemadmodum hæreſum monſtra poſtea invecta contra fidem ab hæreticis non occurrunt in Patribus antiquioribus; ſic laxarum opinionum portenta quæ excogitarunt Moraliſtarum nonnulli, expreſſe non profligarunt Patres: quia non eo laxitatis prolapſi tum homines erant, ut talia propugnare paradoxa auderent. Verum ſicut in Patribus reperiuntur doctrinæ quibus prodigioſa hæreticorum deliria adverſus catholica dogmata conteruntur; ita ſancti Eccleſiæ Patres documenta ſplendidiſſima, & regulas ſanctiſſimas nobis porrigunt, quibus laxarum opinionum commenta, & novum opinandi modum omnium malorum fontem labefactemus.

VIII. Opponunt ſecundo Caſuiſtæ non pauci, Patres ſanctos Rhetores egiſſe, ſtilo

Digitized by Google

ſtilo declamatorio uſos, non *præciſe* locutos; ſed Concionatorum inſtar morum regulas æquo ſeverius exaggeraſſe, & nimium generatim, indefinite, & univerſe morum argumenta interpretatos eſſe. Nullo ergo modo dirimi ex Patrum doctrina quæſtiones noſtræ, & caſus morales valent, quas docti iuniores verſant. Hanc quoque oppoſitionem inflatis genis obtrudunt Proteſtantes, & Calviniani omnes, quos inter Ioannes Dallæus *de uſu Patrum* integro *cap.* v. eam amplificat. Pauca tranſcribo. „ Ex his enim qui in litteris, & diſciplinis humanioribus verſati erant, „ quique ab ineunte ætate in eloquentia, & ſapientia Græcorum erant inſtituti, „ ſemper eum colorem ſervavere quo ſemel imbuti fuerant... Quid ſtromatibus, & „ aliis Clementis Presbyteri Alexandrini operibus variegatum, & ornatum magis? . . . Quid dicam de Tertulliano? &c. . . . Noſtratem Hilarium rerum, & „ elocutionis maieſtate ſublimem, cothurnumque illum Gallicum . . . . . prudens „ mitto . . . Satis iam vides, lector, quantis veterum libros tenebris Rhetoricæ „ humanæ ſchemata, & artes involverint: dum enim frequentius, & liberius pig- „ mentis iſtis oratoriis indulgent, factum eſt, magno noſtro malo, ut res ipſæ, „ genuinique ipſorum ſenſus nos fugerent. Quis idonee cavebit non fuiſſe adhi- „ bitas eaſdem artes in Euchariſtiæ negotio, ut divinorum myſteriorum tum di- „ gnitatem, tum reverentiam auctum iret? . . . An eſt probabile, ipſos pigmentis, „ coloribus, umbris, & luminibus ſuis peperciſſe in iis argumentis quibus iſta „ tanto poterant eſſe uſui? "

IX. Quid ad hæc citati Caſuiſtæ, doctique iuniores non pauci? Quid reſponſi adverſus Dallæum exhibent? Paucis dabo ego tum Dallæo, tum Caſuiſtis. Nugatur Dallæus, delirant Proteſtantes omnes. Si nihil certi ad fidei controverſias finiendas erui ex Patrum SS. doctrina valet, quod iſti figuris, tropis, metaphoris, ceteriſque eloquentiæ præſidiis ſcripta ſua reſpergant, ornent, muniant; nullum ex Scriptura ſancta definiri dogma poteſt, quod Evangelia, quod Prophetæ, & cetera divina ſcripta figuris, parabolis, metaphoris, & idiotiſmis hebraicis plena ſint. Alterutrum ergo confiteantur Proteſtantes neceſſum eſt: aut hæc omnia quæ obtrudunt, non impedire quominus communem SS. Patrum doctrinam adhibeamus in finiendis fidei controverſiis; aut hæc obſiſtere ne Scriptura ſancta utamur in eiuſmodi litibus dirimendis. Omnis hic ad effugium præcluſus aditus eſt. Fatemur SS. Patrum aliquem erraſſe, non quod oratoriæ facultatis ſubſidiis uſus ſit, ſed quod homo fuerit. Quædam Patrum loca ambigua, obſcura, implicata nemo inficiatur, quæque in ſpeciem & ſeiunctim accepta favere prima facie Proteſtantibus valent. At obvia ſunt teſtimonia alia perſpicua, luculentiſſima, quæ illorum iugulum petunt. Prudentis lectoris eſt, ambigua & obſcura Patrum teſtimonia cum aliis manifeſtis & perſpicuis conferre, ut inde germanus ſenſus eruatur. Regulas plures in interpretatione Scripturæ ſanctæ ſervandas præſcribit S. Auguſtinus in libris

Digitized by Google

bris de chriſtiana doctrina . Opportune in rem noſtram Facundus Hermianenſis *Lib. IX. cap.* v. ſcribit . *Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt ex dubiis & obſcuris , quæ certa & manifeſta ſunt, male interpretari; ita ſolitum eſt prudentiæ ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua , & latentia declarare.* Si plura adverſus Dallæum & Proteſtantes cupis, lege Natalem ab Alexandro *Diſſert.* XVI. *in ſæcul.* XI.

X. Nunc ad Caſuiſtas nonnullos, doctoſque iuniores, quorum ſupra recitavimus teſtimonia, orationem converto. Et primum dico, pudere, erubeſcere, & quidem ſummopere, iſtos debere, iiſdem armis ac hæreticos abuti, quamquam animo diverſo, ut novum opinandi modum, & laxarum opinionum commenta defendant. Uberrima eloquentiæ vi, figuris, metaphoris, ceteriſque dicendi artis inſtrumentis opportune, & ſpectata auditorum indole uſi ſunt PP. ſancti , ut ſcelerum horrorem ingererent, ut fidelium corda emollirent . Divinarum virtutum ſplendorem , prærogativas, & dotes amplificarunt, ut populos ad earumdem officia exercenda inducerent, inflammarentque. Verum non propterea negligunt & genuinas virtutum notiones perſpicue tradere, & regulas tum fidei, tum morum præciſe & perſpicue manifeſtare, & divina mandata ſincere , fucis miſſis , exponere . Ineptiſſimas quæſtiunculas, quas non pauci Caſuiſtæ excitarunt, non verſant Patres: quia reipſa tum temporis tot laxitatis clades paſſa non erat chriſtiana Theologia. Luxuriantium ingeniorum libertas eo adhuc habenas non laxaverat , ut vel ipſum primum divini amoris mandatum de medio fere tolleret . Una tum erat in templorum ſuggeſtibus, & in gymnaſiorum cathedris Theologia . Latuit Patres ſanctos *nova hæc Theologia*, conflata fere tota ex opiniunculis , diſtinctionibus , & humanis inventis, quam cum aliis pluribus Probabiliſta Caramuel iactat . Contra ſimilem Theologiam, ſeu verius battologiam, Chriſtus clamat : *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas hominum.* Latuit illos innumera laxarum opinionum paradoxa quæ in nonnullis mollioris Ethices Caſuiſtis damnavit Eccleſia; verum enimvero regulas morum luculentiſſimas tradidere , legem Dei explicantes , quorum uſu, & applicatione poſſumus omnes laxas refellere opiniones . Moralium morborum omnium futurorum ſigillatim non meminere Patres ; ſed antidota efficaciſſima contra omnia ſanioris doctrinæ veneficia, & præſtigias nobis in ſcriptis ſuis reliquerunt. Ne multa. Illi dumtaxat qui SS. Patrum aurea volumina numquam revolvunt, effutire poſſunt, in iiſdem non occurrere opportunam pro moralium caſuum reſolutionibus doctrinam . Legant, & continno in iiſdem offendent hodiernis plurium Moraliſtarum opinionibus repugnantem doctrinam. Legant, & repente ſe divini amoris igne, & chriſtianarum virtutum ardore ſuccenſos ſentient. Fieri enim nequit ut tantæ doctrinæ lux tenebras non diſſipet, tantæ eloquentiæ vis, tanti zeli fervor corda alioquin bene diſpoſita & parata non accendat . Neglectis ho-

Digitized by Google

hominum cogitatiunculis, Patres ſanctos diurna noctunaque manu volvant, ut divinarum Scripturarum doctrinam ab ipſis expoſitam puram, & immaculatam comparare ſibi valeant.

XI. Confirmare, quæ dixi, lubet auctoritate doctiſſimi P. Michaelis Elizalde, qui *Part. II. Lib. VI. quæſt.* XIV. §. 1. hæc habet. *Mallem ego, ut fatear ingenue, fur eſſe, vel latro, quam ſimili corde ſpirituque erga Sanctos eſſe affectus. Nam eſt ſpiritus revera hæreticus, contemptivus ſanctorum Patrum; & LUTHERANIZAT corde quiſquis ita deſipit. Iam hoc poſito, nihil ex illis iure conficitur adverſus hæreſes; & Eccleſia, Theologique omnes nugati ſunt, Sanctorum auctoritate hæreticos profligantes. Nam hæreticus noſtro nos ore confundet, & dicet, Sanctos neutiquam extitiſſe Theologos ſcholaſticos, neque preſſam, exactamque, quam ſchola docet, dictionem agnoviſſe, ac tumultuarie, pinguique, ut aiunt, minerva, alia per exaggerationem, plurima concionatorio modo locutos fuiſſe. Quid ſane ſupereſt quam quod cum Luthero blateremus, & dicamus: Plus valet unus Scholaſticus, quam mille Auguſtini, vel Cypriani? Sancta plane quæque hic tumor evertit. Silere ſancti Apoſtoli debebunt, ſilere Prophetæ, Evangelia, Concilia, quæ ſermone ſcholaſtico haud utuntur. Mallem, fateor iterum, fur eſſe, aut latro, & incantator, quam hoc ſpiritu obcæcari.* Plura paucis perſtringo. Tot diſſidia, tot mutuo pugnantes opiniones fervent ſuper intelligentia Scripturarum, ſanctorumque Patrum, & Eccleſiæ Doctorum. Contra vero nulla pugna, bellum litterarium nullum in interpretandis Caſuiſtis, & ſcholaſticis Theologis? Iſti ne omnes perſpicui, clari, omnibus pervii, & manifeſti? Numquid iſti præſtantiores, & eloquentiores ſunt Prophetis, Scriptoribus divinis, Evangeliſtis, Apoſtolis, & Eccleſiæ Doctoribus in ſuis exprimendis ſenſibus? Nemo, niſi demens, hoc dixerit. Cur ergo in iſtis exponendis diſſidium nullum, & in illis interpretandis tot contrariæ opiniones? En luculentum reſponſum. Nihil ad te, nihil ad me refert, quid dicat *Caietanus*, quid *Vaſquez*, quid *Terillus*, quid *Tamburinus*, quid *Medina*, quid *Bannez*, quid *Caſtropalaus*, quid *Leander*, quid *La-Croix*, quid *Viva*, quid *Diana*. Quoniam ſi iſtorum placita nobis non arrident, illa reiicimus; & ſi opus fuerit, deridenda propinamus. Verum ſi aliquod Scripturarum, ſanctorum Patrum, Conciliorum, Pontificum teſtimonium nobis incommodat, illud reſpuere non audemus, vitioque nobis vertimus & ſceleri eidem aperte repugnare. Idcirco quiſque pro ſuo genio, & utilitate illud ad ſe trahere, inflectere, & detorquere miro artificio, & toto virium conatu nititur. Audias velim iterum P. Elizalde, qui ibidem ſic perſequitur. „ De Scholaſticorum „ ſenſu nullæ ſunt lites, & quæſtiones, de mente vero Sanctorum, & legum cun- „ cta in lite ſunt. Reſpondeo, quia parum noſtra intereſt, quid hic Theologus, „ aut ille ſenſerit; & ſi alii contradicunt, alii conſentiunt. Nec eorum auctoritas „ eſt *probativa*. Et ſic dicemus: *Hi Theologi* hoc docent, ergo ita eſt: tranſeat

„ an-

Digitized by Google

„ antecedens, & nego conſequentiam. At ſanctorum Patrum, & legum auctoritas „ eſt *probativa* : & ſcelus cenſetur ſaltem in publico, & palam eis contradicere: quod ne fateamur, tot lites de eorum ſenſu movemus, & irridemur. . . . . „ Atque ex his denuo argumentor. Si ſancti Patres v. g. in cauſis morum, reliquiſque proprie theologicis intelligi non poſſunt . . . . etiam in cauſis fidei & „ religionis tales erunt . . . . Sed in cauſis fidei & religionis tales non fuerunt. „ Alioquin a Conciliis, & a controverſiis adverſus hæreticos relegandus veniret „ locus ab auctoritate Patrum, quod eſſet inſania. Ergo neque in cauſis mo„ rum . . . . . tales fuerunt. Idem argumentum efficitur de Scripturis Dei, quæ „ vel in cauſis fidei intelligi nequibunt, vel in cauſis morum etiam poterunt: ſi„ quidem non ſolum ut recte credere poſſimus, ſed etiam ut recte vivere ſcia„ mus, conſignatæ illæ ſunt. “

XII. Recentiores igitur Moraliſtas omnes ad ſanctorum Patrum aſſiduam lectionem hortor: tum ut inde, veluti ex limpidiſſimis fontibus, incorruptas morum ſententias hauriant; tum ut hæreticorum Proteſtantium ora obſtruant, ne calumnias in Catholicorum moralem doctrinam regerere umquam valeant. Clamitant continenter Proteſtantes, ſe ex morali Catholicorum laxa doctrina, ex Probabiliſmo, & plurimis aliis opinionibus ſcandalum perferre maximum. In medium adducunt plurimarum opinionum portenta, ut id quod ſcribunt, confirment.

XIII. Et ne aliquis ſuſpicandi anſam arripiat, me hæc pro arbitrio fingere, en quæ habet *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius* Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus auctor noviſſimus, & inter Lutheranos valde celebris in *introduct. ad Hiſt. Theol. Lib. II. pag.* 274. „ Nota eſt apud Gallos diſtinctio inter eos qui ſectantur *la Morale rigi„ de, & la Morale relachee*: quam poſteriorem & noſtri Caſuiſtæ damnant, queis „ PROBABILISMUS, peccatum philoſophicum, *attritionis ſufficientia*, reſervatio„ nes mentales, directio intentionis, qua factum in ſe malum excuſatur, *ſummo „ ſcandalo* . . . Inter eos qui principia laxiora in doctrina morali chriſtiana ſe„ ctantur, & tradidere, eminet maxime quoad recentiores *Balthaſſar Francolinus* „ S. I. cuius eſt liber : *Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus duplici „ libro, quorum uno veteris Eccleſiæ ſeveritatem, altero præſentis Eccleſiæ benigni„ tatem a rigidorum quorumdam Scriptorum calumniis vindicat. Balthaſſar Franco„ linus S. I. Theologus* Romæ. 1705. 8. 2. vol. Edidit ille, & poſtea hunc libellum. „ *Balthaſſar Francolinus S. I. Theologus Clerici Romani Inſtitutor ab Anonymi Scri„ ptoris accuſationibus vindicatus, Auctore eodem, qui accuſatur & vindicatur. „ Romæ* 1707. 12. “ Hactenus Pfaffius non adeo, ut ceteri Proteſtantes, efferatis in ſcribendo animis adverſus Catholicos. Advertendum, doctum Lutheranum non improbare honeſtatem & bonitatem attritionis ſervilis, quemadmodum Lutherus & antiqui Lutherani; ſed dumtaxat *ſufficientiam* eiuſdem. Opiniones Francolini laxas obii-

Digitized by Google

obiicere Catholicis nequit Pfaffius, cum eaſdem doctiores Catholici iam prius improbaverint.

XIV. Franciſcus Budæus, ſimiliter Lutheranus, plurium voluminum Auctor, paſſim evomendi adverſus Catholicos bilem anſam arripit. *In Iſagoge Hiſtor. Theolog. Lib. poſter. cap.* IV. *§.* VI. *pag.* 670. ubi fuſe de morali Theologia ſcribens immenſam farraginem agglomerat, & Catholicis his verbis inſultat. *Ianſeniſtarum nimirum, ex quorum numero Nicolius fuit, laus hæcce propria eſt, quod doctrinam moralem reſtituerint velut, & a Ieſuitarum corruptelis vindicaverint . . . Licet autem in biſce, & aliis eiuſdem generis Romanenſium ſcriptis quædam minime contemnenda occurrant, quorum etiam in vita uſus eſſe poteſt; fatendum tamen, ſi errores, quos fovent, dogmatici conſiderentur, nonnullos ita comparatos eſſe, ut aut genuinæ doctrinæ moralis fundamenta labefactent, aut nævos etiam graviores eidem adſpergant, quibus mirum in modum deformatur, uſuſque, quem ceteroquin habere poterat, invertitur.*

XV. Plura hic mendacia obtrudit Budæus. Et primum iniuria ſumma indefinite Ieſuitis corruptæ Moralis dicam adſcribit. Nam, ut in loco palam faciam, ſapientiores Ieſuitæ, Bellarminus, Comitolus, Blanchi, Elizalde, Gonzalez, Muniessa, Camargo, Antoine, & plures alii, Probabiliſmo totius corruptionis fonti bellum implacabile indicunt. Quod plures Ieſuitæ, ſicut & aliarum quarumcumque Religionum plures Caſuiſtæ, laxas docuerint opiniones, non ideo homo honeſtus, & verax univerſum cœtum, integram communitatem traducere ſine mendacio valet, tamquam laxatæ Moralis cauſſam. Errores dogmatici, quos Catholicis affingit Budæus, unde labefactari infert Theologiæ moralis fundamenta, ſunt mera Proteſtantium hæreticorum deliria. Nec vacat diutius tempus terere in iis refellendis quæ ſponte ſua corruunt.

XVI. Ex his omnibus conſtat, quam inconſiderate PP. Terillus, Fibo, La-Croix, & alii Probabiliſmum, atque adeo molliorem Ethicen, univerſis fere Ieſuitis tribuant. Ut igitur & ſcandalum Proteſtantium, & calumniandi occaſio auferatur, improbato Probabiliſmo, & laxis opinionibus ſublatis, eo dirigenda ſtudia ſunt, ut ſanior doctrina ad ſuum primævum ſplendorem, & antiquam maieſtatem revocetur. Hoc autem ut fiat, neglectis non paucis Caſuiſtis, ſancti Eccleſiæ Patres conſulendi ſunt, & ab ipſis non tantum pro fidei litibus componendis, ut contendunt Caramuel, Celotius, Reginaldus, & alii; verum etiam pro morum quæſtionibus dirimendis regulæ, & documenta accipienda ſunt. Nihil tam abſonum, nihil tam abſurdum, quam Patres ſanctos revereri ut magiſtros in iis quæ ad fidem, ſecus in iis quæ ad mores pertinent, quæſtionibus. Abſoluti ſunt, non limitati, Eccleſiæ Doctores. In omnibus ergo controverſiis, ad æternæ ſalutis negotium attinentibus, conſulere ſanctos Eccleſiæ Patres debemus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Theologia ſcholaſtica, & de Scholaſticorum auctoritate.

I. PLura de Theologia ſcholaſtica dicenda forent, quæ ſilentio præterire, tamquam inſtituto meo minus opportuna, iuvat. Quædam præcipua curſim delibabo. Melchior Cano *Lib. VIII. cap.* 1. falſe Lutheranos ſcholaſticæ Theologiæ contemptores defricat. VVicleffus, eiuſque diſcipulus Lutherus hanc ſcholaſticam Theologiam nihil aliud eſſe contendunt quam inanem falláciam, & veritatis ignorantiam. Neglectis Scholaſticis, Patres, & Concilia in contemptionem adduxerunt. Nulla eſt controverſia, in qua Lutherani adverſus Catholicos certantes communi ſenſui non renuntient. Abuſus artis, & hominum vitia in artem ipſam regerunt. Si Lutherani calamum acuiſſent in plurium Scholaſticorum futiliſſimas diſputationes, & inanes verborum pugnas, quæ maxime tempore apoſtaſiæ Lutheranæ fervebant, nullius cenſuram incurriſſent. At quod facultatem ipſam recta via & ratione diſputandi, omnibus ad vivum reſecatis, & ſingula ad rectam methodum redigendi, ordinateque digerendi aggreſſi ſint, ſemetipſos deridendos propinarunt. Siquidem ſcholaſticen illam, quæ, neglectis Scripturis ſanctis, Conciliorum decretis, & antiquorum teſtimoniis, in rebus nihili occupatur, ſoliſque hominum argutationibus, & opiniunculis conſtat, catholici Theologi efficacius quam Lutherani inſectati ſunt; & tamquam corruptelam a divina Theologia exterminare pro virili non ceſſant. Verum ſicut nulla ſcientia quam homines tractant, vitiis hominum caret; ita neque Theologia ſcholaſtica ab hoc malo immunis eſt.

II. Plura hic dicenda adverſus Lutheranos occurrerent, quæ brevitatis ſtudio prætereo. Burckerus, Budæus, Pfaffius, & ceteri Proteſtantes omnes ſycophantam & apoſtatam Lutherum, quem ***Beatum Reformatorem caſtiſſimæ chriſtianæ Theologiæ*** appellare haudquaquam illos pudet, miris præconiis extollunt, quod in ſcholaſticen facultatem furenter debacchatus ſit. Audi quæ Reverendiſſimus Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus Pfaffius ſcribit in *Introduct. ad Hiſt. Theol. Lib. II. §. 3.* „ His vero tenebris & quiſquiliis ſcholaſticis cum Orbis chriſtianus, & „ litteratus premeretur, & ſub denſa hac præiudiciorum nocte acerbiſſimas la„ crymas funderet, divino prorſus beneficio accidit ut *Martinus Lutherus*, Mo„ nachus olim Auguſtinianus, poſtea Theologus Vitembergenſis excellentiſſimus, „ inſpecta Theologiæ ſcabie, antiqua præiudicia mirabili animi fortitudine, men„ tiſque divinitus illuminatæ acie perrumperet, & alii cum ipſo ***novam viam*** „ hic inirent, ut vel veſtigia ipſius penitus calcarent, vel ſaltem cum ipſo a

„ re-

Digitized by Google

„ *receptis Eccleſiæ Romanæ articulis* abirent &c. *De operibus beati noſtri Refor-*
„ *matoris pauca hic adponemus* &c. “ Intellexiſtin'? Novam viam Lutherus inivit. Et hoc teſtimonium verum eſt. Liberum arbitrium de medio ſuſtulit, legum obſervationem impoſſibilem effutiit, & potiſſimum caſtitatem Deo ſacratam, quam ut ſacrilega libidine fœdaret, virginem Chriſto deſponſatam conſtupravit. Quod horrendum ſcelus cum Veſtalibus perpetratum vel ipſi Ethnici pœna capitis, immo incendio puniebant. Theologiæ ſcholaſticæ ſcabiem abſterſit, ut *a receptis Eccleſiæ Romanæ articulis abiret*. Huc adverſus Scholaſticen Lutheri conatus pertinent. Hæc tamen Lutheri via nova non eſt; cum illam calcaverint hæreſiarchæ omnes, qui, ut ſuis erroribus velum prætenderent, & vulgus excantarent, Eccleſiæ catholicæ abuſus maledicentiſſima arte ſemper exaggerarunt: non quod eorumdem abolitionem cuperent; ſed ut hac hypocriſis fraude viam ſibi ad hæreſes propugnandas aperirent. Nemo inficiatur & Theologiæ ſcholaſticæ abuſus, &, quod peius eſt, plures in Eccleſia catholica corruptelas & olim, & nunc graſſari. Quid inde? Abolenda ne propterea aut vera Theologia, aut vera catholica Eccleſia? Hoc pertentavit Lutherus. Dignus laude evaſiſſet, ſi contra abuſus Scholaſticorum, morumque corruptelam ſua collineaſſet molimina. Sed verſutus hypocrita, ſanctiſſimæ Religionis, quam ritu ſolemni profeſſus erat, excuſſit iugum; & a vera Chriſti Eccleſia, in qua regenitus fuerat, aliorum hæreſiarcharum more, impudentiſſime deſcivit. Tantum porro abeſt ut ſcholaſticæ Theologiæ abuſus ipſe correxerit, quin illos in immenſum auxerit, accumularitque. Cuius rei teſtes ſunt eiuſdem opera, in quibus omnia confuſa, perturbata, ſtrigoſiſſima. Nec tamen inficior, plura in Luthero, quemadmodum in ceteris hæreticis omnibus, reperiri commendanda; illumque Catholicis occaſioni fuiſſe ut Theologiam ſcholaſticam a vitiis purgarent, alioſque graviores abuſus exterminarent. In hunc quippe finem Deus hæreſes permittit, ut alias ex S. Auguſtino ſupra demonſtravi. Non eſt itaque quod Pfaffius, quod Budæus, quod ceteri Proteſtantes pæanas canant, ſuoque infeliciſſimo hæreſiarchæ plaudant, quaſi ſcholaſticam Theologiam reformaverit; ſed eſt unde flendi, & reſipiſcendi argumenta hauriant, ſi in ſemitam regredi veritatis aveant. At hoc Dei donum eſt, a quo iugi oratione implorandum.

III. In ſcholaſtico certamine argumentum in primis de quo diſputatur, ſpectare debemus. Si iſtud neque ad fidem attinet, neque ad bonos mores; libere in utramque partem diſputare de eo Theologi valent. Et quamquam ab una parte plurimi ſtarent, non ob id vetitum eſt viris doctis aliter ſentire: quoniam non numero, ſed rationum pondere ſimiles dirimuntur quæſtiones. Heinc arguendi, immo ſibilis excipiendi illi ſunt quos cenſuris Theologos catholicos inurere minime pudet, quoties propriæ ſcholæ præiudicatis ſententiis adverſantur.

IV.

IV. Argumentum ſeu materies Theologiæ ſcholaſticæ, teſte S. Thoma *I. Part. quæſt.* 1. *art.* 7. eſt Deus, & ea quæ ad Deum cognoſcendum, amandumque conducunt. Iſtius ſcientiæ principia ſunt ea quæ in ſacris litteris revelata, aut divinitus tradita habentur. Scientia iſthæc ex Scriptura ſancta, traditionibus, Conciliis, & SS. PP. ſuas deducit concluſiones. Rem totam paucis exponit S. Thomas *I. Part. quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 2. his verbis. *Argumentum ex auctoritate eſt maxime proprium huius doctrinæ, eo quod principia huius doctrinæ per revelationem habentur: & ſic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta eſt. Utitur tamen ſacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem . . . ſed ad manifeſtanda aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina . . . Auctoritatibus autem canonicæ Scripturæ utitur proprie, & ex neceſſitate arguendo. Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Eccleſiæ, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter.*

V. Theologiæ ſcholaſticæ officium eſt doctrinam per Scripturas, per Concilia, per decreta Pontificum, ſanctoſque Patres diſperſam in unum colligere, & collectam in tractatus diſtribuere, & diſtributam via, rectaque ratione & methodo explicare. Quæ abſcondita in Scripturis ſunt, & in traditionibus abdita, e tenebris in lucem deducere. Fidei, morumque dogmata rationum momentis firmare: & ſophiſmata diſſolvere tum adverſus hæreticos, tum contra quoſcumque alios. Finis iſtius divinæ ſcientiæ eſt fidei morumque præceptiones tradere, quibus imbuti homines ad cognoſcendum amandumque Deum & Ieſum Chriſtum inflammentur; ut habetur Ioan. cap. XVII. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Cetera quæ Theologia ſcholaſtica tradit, quæ in hunc finem non conferunt, extra Theologiam ſcholaſticam ſunt, & ad eam proprie non pertinent.

VI. Numquam religio ab Apoſtolorum tempore ſine aliqua Theologia ſcholaſtica fuit, ut ex iis quæ diximus, ſatis conſtat. Nam ſicut condita lege continuo oriuntur vitia, ſic promulgata religione chriſtiana eruperunt hæreſes, quas ſancti Eccleſiæ Patres ratiociniis, & demonſtrationibus ex Scripturis ſanctis, & traditionibus erutis labefactarunt. Quid autem hoc eſt, niſi Scholaſticum agere? Hoc autem præſtitere SS. Patres, occaſione dumtaxat data, ut ſupra indicatum eſt; & modo hanc, modo illam controverſiam verſarunt. Idcirco omnia dogmata in unum corpus digeſta non compoſuerunt; ſed tractatus varii, & diſperſi in eorum operibus occurrunt.

VII. Primus omnium diſperſam Theologiam in unum corpus coegit, ordinateque digeſſit *S. Ioannes Damaſcenus* natione Græcus. Is ſæculo octavo ex divinis Scripturis ſanctiſque Patribus Libros quatuor *orthodoxæ fidei* compoſuit. Primus continet tractatus *de Deo, de divina eſſentia, & de divinis attributis.* Secundus

de

Digitized by Google

de creatione mundi, *& de prædeſtinatione*. Alii duo, tertius, & quartus, *de myſteriis SS. Trinitatis*, *& Incarnationis*, *de reſurrectione mortuorum*. Tribus quoque libris Parallelorum plures alias controverſias in ordinem redegit. Alios tractatus omiſit.

VIII. Sæculo XI. in occidente *S. Anſelmus* corpus Theologiæ ſcholaſticæ edidit. Damaſceni, & Anſelmi veſtigia preſſit ſæculo XII. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, *Magiſter ſententiarum* nuncupatus, qui ex Scriptura ſancta, Conciliis, & Patribus, præcipue ex Auguſtino, potiſſimos Theologiæ ſcholaſticæ tractatus collegit, digeſſitque in ordinem. Tantam ſibi exiſtimationis famam comparavit, ut poſteriores Auctores ſuos in hoc opus commentarios edere honori ſibi verterint. Cenſura quam Melchior Cano *Lib. XII. cap.* III. in Magiſtrum ſententiarum tulit, hæc eſt. „ Ceteri ſcholæ Auctores perturbatione ratio-„ nis, atque ordinis multum omnino peccaverunt, *Magiſtrum* videlicet ſecuti, „ in cuius quatuor ſententiarum libris multa quidem lectio Sanctorum apparet, „ & pro tempore illo haud mediocris ſane eruditio. Sed præter *diſtinctionum* vo-„ cabula, in quas libri illi diviſi ſunt, nihil diſtinctum fere videas, recteque, & „ ordine diſtributum. Teſtimoniorum congeriem dicas potius quam diſpoſitio-„ nem, & rationem diſciplinæ. De Trinitate prima eſt illi diſputatio. Ita prius „ relata quam abſoluta perſequitur. Nam de iuſtitia, & miſericordia Dei in *IV.* „ *Sent.* quaſi præteriens diſputavit. De virtutibus in III. De vitiis quibuſdam „ item in IV. Innumera ſunt eiuſmodi confuſe ab illo perturbateque tractata. „ Quamobrem Scholaſticis, qui huius veſtigiis inhæſerunt, confuſa etiam fere „ ac perturbata ſunt omnia. Nec Magiſtrum ego volo fraudare ſuo veteri no-„ mine, magnum utique, ut ætate illa, virum, & quem illum coluerint poſte-„ ri. Nec Scholaſticorum laudi, quam multorum ſæculorum firmavit opinio, „ detrahere quicquam volo. Sed ingenue ac libere dico quid in illis deſideretur, „ quidque illi præſtarent homines ingenio, doctrinaque præſtantes, niſi differendi „ artem neglexiſſent. “

IX. Sæculo XIII. inter omnes *Magiſtri* Commentatores eminet S. Thomas, qui non modo eiuſdem Magiſtri libros præclaris commentariis illuſtravit, verum etiam *Summam* edidit *Theologicam*, quæ aliorum ipſius librorum veluti epitome eſt. Tantum in hac ingenii acumen, tanta Scripturarum ſanctarum, Patrum, Conciliorum, & naturalis Philoſophiæ eruditio, & doctrina elucent, ut poſt S. Auguſtinum par ingenium non appareat. In ea Summa, ſubdit ibidem *Melchior Cano*, „ mirabilis eſt contextus rerum, ſummus quæſtionum, & articulorum or-„ do, & compoſitio diſciplinæ incredibilis. Adeo reſpondent extrema primis, „ media utriſque, omnia omnibus. Nam de argumentorum copia quid attinet „ dicere? Cum de infinitis prope quæſtionibus in utramque partem differendi

„ tan-

Digitized by Google

„ tanta illi facilitas, & abundantia fuerit, ut non contra omnia ſemper, ſicut „ Archeſilas, diſputarit; & tamen in omnibus rebus, quidquid ex utraque „ parte dici poſſet, expreſſerit. "

X. Summam aliam S. Thomas edidit contra Gentes, quæ, quam fuerit illius ingenium prodigioſum, luculenter prodit. Cum Gentiles Philoſophi magno ſuo tempore in pretio Philoſophiam Ariſtotelæam, nulloque in loco Scripturas ſanctas, Patres, & Concilia haberent, ſola Ariſtotelis Philoſophia religionis noſtræ dogmata adverſus illos confirmare aggreſſus felici conatu eſt. In hoc præſtantiſſimum opus hæc ſcribit Cardinalis Pallavicinus *Lib. VII. cap.* XIV. *in Hiſt. Concil. Trident.* „ Philoſophiæ lumen triplici de cauſa maxime Theologiæ „ ſervit. Primo quia aliarum ſectarum errores impugnat, qui per ipſum revin- „ cuntur. Deinde quia ſophiſmata diluit chriſtianæ fidei obiecta, quaſi abſurda „ myſteria complectenti. Tertio quia aliarum cognitionum opulentiam compa- „ rat, quæ tamquam conſecutiones deducuntur & ex fidei dogmatis, & ex na- „ turæ notionibus ſimul coniunctis.

„ Ad hæc tria commoda illis mirifice uſus eſt laudatus S. Thomas, præſertim „ in *Summa contra Gentes*. Quod ſi ad hæc emolumenta conſequenda, ſibi, ſuiſ- „ que ceu ducem ſelegit Ariſtotelem, tam putide, tam inique deluditur a Sua- „ vi, ut in eo potius incomparabilis ille Doctor de Eccleſia optime meritus ha- „ bendus ſit.

„ Etenim par eſt animadvertere, poſtquam Deus fidem conſtituit per homines „ debiles, & vulgares, ſed ab eo ſapientia ac virtute divinitus corroboratos, quo „ in opere auctoris divinitas clarius eluceret: poſt ea, inquam, tempora voluiſſe „ ut doctrinæ præſtantia in Eccleſia ſua, tamquam in ſede perpetua, conſide- „ ret: idcirco per cunctas ætates viri ſcientia præclariſſimi, iidem ſacri Docto- „ res fuere. Iam vero contigit ut ſub duodecimum circiter ſalutis noſtræ ſæcu- „ lum Arabum ſecta magnam ſibi doctrinæ laudem adepta fuerit, qui Bœticæ „ præcipue imperantes, Cordubam in Athenas prope converterant, atque per A- „ verrois ſolertiam Ariſtotelis Philoſophia caput erexerat, quæ diutius ſaltem in „ Occidentis provinciis vel ſopita, vel ſepulta iacuerat. Eam vero & ordinate „ & ſubtiliter explicantes, peripateticis rationibus refellebant, irridebantque fi- „ dei noſtræ myſteria, quaſi falſitatis convicta, eorumque aſſeclas, quaſi cre- „ dulos ex inſcientia.

„ His in Eccleſiam aggreſſionibus oppoſuit divina providentia S. Thomam, qui „ optime gnarus in quacumque regione dominari eam religionem quæ a viris „ ſapientia ſupra ceteros conſpicuis traditur, nullamque inter humanas doctrinas „ nactus, ſeu maiori habitam in honore, ſeu dignam, ut haberetur, quam Ari- „ ſtotelicam, in eam impenſiſſimo ſtudio operam dedit, atque illius Philoſophi

„ li-

„ libros longe luculentius explicavit quam quicumque Arabum , atque Græco-„ rum . Quapropter magna illius Philoſophiæ notitia , nec minori ſibi exiſtima-„ tione comparata , vividi ingenii vi , atque acumine in iiſdem Ariſtotelis princi-„ piis ſolutionem deduxit argumentorum , quæ non ab aliis modo , ſed ab ipſo „ excuſa fuerant , rectæ fidei dogmatis reluctantia . "

XI. Heinc colligas velim , quam vaniſſimi ſint ſaperdæ non pauci , quod vitio S. Doctori vertant Philoſophiæ rationes , & principia frequenter ſuis immiſcuiſſe articulis . Quid, inquiunt, commercii inter religionis noſtræ dogmata, & ariſtotelea theoremata ? Quæ coniunctio lucis cum caligine , doctrinæ chriſtianæ cum ethnica ? Plures ipſe ſic delirantes audivi , & continuo verſa alea e contrario argutare . Quid Patrum teſtimonia , quid Scripturarum oracula ingeris , ut uſuras, ut contractus iſtos fenebres , ut plurima alia vetita evincas ? Expendendum, quid principia iuris naturæ dictent , quid ratio præſcribat . Neque enim trunci homines ſunt & ſtatuæ . Sic in tranſverſum aguntur, & ſecum pugnant ſcioli vani . Uſum Philoſophiæ in diſciplinis theologicis tradendis modo damnant, modo probant , prout illorum intereſt ; varioque humore exagitantur . Mirabilem rationis & fidei concordiam angelica perſpicuitate patefacit S. Thomas. Et, quod ad eiuſdem gloriam , & Eccleſiæ utilitatem magis conducit , id præſtitit, dum temporis ratio poſtulabat . Superflua fortaſſe nunc forent plura in Ariſtotelis Philoſophiam commentaria ; at neceſſaria erant ſæculo XIII. quo illa S. Thomas edidit . Rationum vero momenta a Metaphyſica arceſſita , quibus frequenter Angelicus ſuos aſpergit articulos , opportuna ſemper ſunt , utpote illa quæ fœdus & harmoniam fidei cum recta ratione demonſtrant. An non omnes qui recte ſapiunt, unum luculentiſſimum fidei noſtræ credibilitatis argumentum collocant in conformitate dogmatum noſtrorum cum ratione ? Et quia argumentum iſtud in univerſa S. Thomæ Theologia mirum in modum coruſcat , lectorumque oculis continenter occurrit ; idcirco cenſuris inuritur AQUINATIS Theologia ? Immo heinc maiorem promeretur laudem , & ſplendidius eminet . Conticeſcant ergo , magnoque ſuffundantur pudore imperitiſſimi rabulæ , qui aliunde falſæ eruditionis fumum captare ſibi nequeunt , quam ab ineptiſſimis cenſuris , quibus arrodere ſapientum opera pertentant, & in Sole ipſo *Aquinatis* maculas comminiſci .

XII. Confirmat hæc omnia Melchior Cano *Lib. XII. cap.* XII. „ D. Thomas adverſus Gentes Theologiæ negotium conficere ratione debuit : quia Scripturæ te-„ ſtimonia apud eas vel ſecundo , vel nullo etiam loco ſunt . At apud nos, qui „ chriſtianos diſcipulos inſtituimus, primas partes auctoritas habet, ſecundas ra-„ tio. Quin & hunc diſſerendi ordinem tamquam naturæ noſtræ conſentaneum „ magis Auguſtinus probat de mor. Eccl. cath. cap. 11. quamvis Manichæis ſe ſe

„ attemperans, id agat interdum quod in diſputando fatetur eſſe vitioſum. *Na-*
„ *turæ*, inquit, *ordo ita ſe habet, ut cum aliquid diſcimus, rationem præcedat au-*
„ *ctoritas: ſed quoniam cum iis nobis res eſt qui omnia contra ordinem & ſen-*
„ *tiunt, & loquuntur, nihilque aliud maxime dicunt, niſi rationem prius eſſe*
„ *reddendam; morem illis geram, & quod fateor in diſputando vitioſum eſſe,*
„ *ſuſcipiam*: de ver. relig. cap. xxxiv. Quo exemplo Thomas ad eumdem mo-
„ dum ſe gentibus accommodavit: nam in Summa Theologiæ auctoritas fere
„ rationi præparat hominem; ratio deinceps ad intellectum cognitionemque per-
„ ducit. “

XIII. Aridum etiam ſtilum, incultamque dictionem Angelico Doctori barbatuli quidam, & delicatuli obiectant, qui illam ipſam optimæ dictionis formam, quam iactant, penitus ignorant. Dictio quippe, & ſtilus argumento quod illuſtratur, non argumentum, ſeu materies ſtilo inſervire debet. Porro ſi argumenta & ſublimia, & innumera, quæ S. Doctor tractat, prudens expenderit, non modo argumentationis robur, ſed orationis quoque perſpicuitatem admirabitur. Nullibi fere in tanta voluminum multitudine vel vox ſuperflua. Si aliquem verborum delectum, & ſcholæ phraſes excipias, atticus quidam nitor, & brevitas, quæ plurima complectitur, ubique emicant. Una veluti oculorum acie & veritatem quam inquiris, & quæ opponere contra eamdem ſophiſtæ & rabulæ poſſunt, ſtatim tenes. Hæc obiter in Principis Scholaſticorum obſequium.

XIV. Theologia ſcholaſtica vera ſummopere utilis, & tantum non neceſſaria. Nam Theologia ſcholaſtica doctrinam divinam per ſacras litteras, per Concilia, per Patrum volumina, per Pontificum decreta diſperſam colligit, & collectam ordinate diſtribuit. Quis autem hic magnam non videt utilitatem a ſcholaſtica Theologia invectam? Pauci quippe ſunt qui tanto & ingenio, & otio abundent, quo poſſint marte ſuo eamdem ex tot locis colligere, & diſtribuere. Si vero conſideretur Scholaſtica, quatenus ex ſacris litteris, traditionibus, Conciliis, & Patribus ſuas colligit concluſiones ad iuſti ratiocinii normam, atque vi & ratione ſuas aſſertiones demonſtrat, non utilis modo, verum etiam quodammodo neceſſaria dici poteſt.

XV. Auctoritas plurium Scholaſticorum obruere, inquit Melchior Cano *Lib. VIII. cap.* iv. Theologum non debet; ſed, ſi paucos viros graves ſecum habeat, aut evidentem rationem, poterit ſane adverſus plures ſtare. Si omnes Theologi aliquam gravis momenti doctrinam doceant, nemo abſque ſumma temeritatis nota ſuſtinere oppoſitum valet. Concordi vero omnium Scholaſticorum ſententiæ in fidei morumque materia obſiſtere, ſi hæreſis non eſt, hæreſi proximum eſt, inquit Melchior Cano: quem, ſi plura hoc de argumento cupis, conſule.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Theologia ſcholaſtico-caſuiſtica. Utriuſque abuſus, & corruptelæ.

I. NON aliud inter Theologos ſcholaſticos & caſuiſtas diſcrimen eſt, niſi quod illi primam Theologiæ partem, in qua de Deo, eiuſque attributis, de Trinitate, de Angelis, ceteriſque chriſtianæ religionis myſteriis agitur, illuſtrant; iſti ſecundam Theologiæ partem exornant, in qua de vitiis, & virtutibus, de iure naturali, & poſitivo, de divinæ, & eccleſiaſticæ legis mandatis diſputatur. Iſtius ſecundæ partis digna tractatio longe difficilior priore eſt. Illa principia certa habet, & a contingentibus circumſtantiis ſeiunctas concluſiones deducit. Hæc poſterior principia ſimiliter certa habet. ſed eadem caſibus contingentibus applicat. Utriuſque partis Profeſſores abuſus plurimos in ſacram ſcientiam invexerunt. Prioris partis corruptelas deſcribit Melchior Cano *Lib. IX. cap.* VII. ubi hæc habet. „ Præclare cum eo agetur cui præceptor contigerit & „ eruditus, & pius: qui cum certa ab incertis ſeparet, tum variis quæſtionibus „ declinatis, utiles, ac neceſſarias ſeligat, doceatque diſcipulos eſſe quamdam „ doctam, ut ita dicam, ignorantiam, ſapientiuſque eſſe quædam neſcire quam „ ſcire. Alterum enim eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, mul„ tamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemque non ne„ ceſſarias. Quo in genere multos etiam e noſtris peccaſſe video, ut eas quo„ que quæſtiones latiſſime perſequerentur, quibus Porphyrius abſtinuit, homo „ impius, ſed in hac re prudens tamen, ut Platonis, Ariſtoteliſque diſcipulum „ poſſis agnoſcere: qui nec quicquam niſi opportunis & loco & tempore tra„ ctavere, nec quæſtiones ullas perſecuti ſunt quæ iuvenum ingenia obruerent, „ non iuvarent. Noſtri autem Theologi, importunis vel locis, longa de his „ oratione differunt quæ non iuvenes portare poſſunt, nec ſenes ferre. Quis „ enim ferre poſſit diſputationes illas *de univerſalibus, de nominum analogia, de* „ *primo cognito, de principio individuationis* (ſic enim inſcribunt) *de diſtinctione* „ *quantitatis a re quanta, de maximo & minimo, de infinito, de intenſione & re-* „ *miſſione, de proportionibus, & gradibus*, deque aliis huiuſmodi ſexcentis, quæ „ ego etiam, cum nec eſſem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum „ temporis & diligentiæ adhibuiſſem, animo vel informare non poteram. Pude„ ret me dicere non intelligere, ſi ipſi intelligerent qui hæc tractarunt. Quid „ vero illas nunc quæſtiones referamus? *Num Deus materiam poſſit facere ſine* „ *forma, num plures Angelos eiuſdem ſpeciei condere, num continuum in omnes* „ *ſuas partes dividere; num relationem a ſubiecto ſeparare*, aliaſque multo va-

 „ nio-

„ niores, quas ſcribere hic nec libet, nec decet, ne qui in hunc forte locum in-
„ ciderint, ex quorumdam ingenio omnes ſcholæ Auctores æſtiment. "

II. Si Melchior Cano vaniſſimas quæſtiones, quas prioris generis *Scholaſtici* ad hominum ingenia torquenda commenti ſunt, vellicavit: mea nunc intereſt opinionum portenta, & diſtinctiuncularum chimæras quas *Scholaſtico-caſuiſtæ* fabricarunt, in medium promere. Verborum pugnæ, opinionum prælia ſunt plurimæ diſputationes quas *Scholaſtici ſpeculativi* in primam Theologiæ partem magna animorum contentione hactenus invexerunt. At animarum prælia ſunt paradoxa moralia quæ *Scholaſtici caſuiſtæ* excogitarunt. Prioris generis futiles quæſtiones mentem dumtaxat torquent: ſecundæ claſſis opiniunculæ corda corrumpunt, mores inquinant, animas in orcum detrudunt. Aliquod & nos diſtinctionum ſpecimen exhibeamus *Scholæ caſuiſticæ*. Et primum ſola *planta probabiliſtica* tot eſt diſtinctionum, & ſubdiſtinctionum multitudine circumſepta, ut vix eam recta aggredi valeamus. Paucas delibo. *Probabile, magis probabile, minus probabile, æque probabile, Probabilius, Probabiliſſimum. Probabilitas intrinſeca, extrinſeca, formalis, obiectiva: in exceſſu modico, in exceſſu notabili, aut defectu modico, vel notabili probabilitatis. Probabilitas ſimultatis, ſimultas probabilitatis. Probabilitas vel ex ratione urgenti, forti, graviter, leviter, tenui, moventi; vel ex auctoritate modernorum claſſicorum, vulgarium. Probabilitas immediata ex ratione: mediata ex alia probabilitate. Probabilitas putativa, apparens, evidens. Probabilitas directa, reflexa, magis accedens, minus recedens a veritate. Speculativa, practica, practico-practica. Probabiliter probabilis, dubie probabilis, certo probabilis. Certe practice probabile, non certe practice probabile, præſumptive probabile. Generatim probabile, ſpecificative, pro tali caſu probabile. Certitudo probabilitatis, probabilitas certitudinis. Probabilitas directa ab ignorantia vincibili, invincibili, leviter, graviter culpabili. Probabilitas rigida, benigna, favens libertati contra legem, legi contra libertatem. Tuta ſine culpa vel formali, vel materiali, cum periculo, ſine periculo culpæ, immo cum merito. Hæc præcipienda, illa conſulenda, hæc permittenda.*

III. Solus *Probabiliſmus* eiuſmodi diſtinctionum ſatellitibus ſtipatus incedit. Hac ſe defendit militia contra hoſtes falſitatis latitantis ſub talium involucro diſtinctionum. Hæc diſtinctionum caterva eludit omnes ferme damnatas ab Eccleſia theſes, eludit luculentiſſima Scripturarum teſtimonia, ut in hoc Theologiæ curſu palam fiet. Quid, ſi opinionum portenta referrem quæ in qualibet Theologiæ moralis parte ediderunt? In ſolo tractatu de magno matrimonii ſacramento tot abſurdas excogitarunt opiniones circa modos, & corporum poſituras, ut tam lutulentas, ſpurcas, nefandaſque caſtæ aures non ferant. Monſtrum dumtaxat pandam illud quod ſub recenſita diſtinctiuncularum turba ex inſidiis erum-

Digitized by Google

erumpit, & univerſam morum integritatem peſſumdat. Monſtrum iſtud peccatum eſt philoſophicum, quod, licet anathemate confixum ab Eccleſia ſit, diſtinctionum beneficio adhuc conſiſtit, ſerpit, graſſatur. Nemo peccat, inquiunt Probabiliſtæ, niſi qui cognoſcit eſſe peccatum. Quoniam nihil volitum, quin præcognitum. Neceſſaria itaque eſt advertentia actualis malitiæ, ut peccetur. Eccleſia damnavit dumtaxat, ſi quis aſſerat, actu de Deo non cogitantem peccare non poſſe: quia Dei ignoratio invincibilis non eſt. Minime autem proſcriptum eſt docere, illum non peccare qui aut actu de hoc aut illo præcepto naturalis divinæque legis non cogitat, aut opinione probabili imbutus in concurſu etiam probabilioris iudicat ſe non peccare. Siquidem *qui ſequitur opinionem probabilem, nempe gravi aliqua ratione, vel auctoritate nixam, agit prudenter. Sed qui agit prudenter, non peccat. Ergo qui ſequitur opinionem probabilem, non peccat*. Monſtrum iſtud, ſuis recenſitis diſtinctiunculis armatum, univerſam evertit morum Theologiam. Nam humanum ingenium in hoc lapſæ naturæ ſtatu erroribus craſſiſſimis & turpiſſimis obnoxium eſt. Nihil illi facilius quam probabilitatis reflexæ, aut directæ velo omnia quæ ſibi placent, obtegere, dummodo in diſputationem ſemel adducta ſint. Vidimus Caramuelem, contra Fagnanum *probabilizantem*, atheiſtam in paradiſum extollere. Et atheiſtas, ſin *poſitivos*, ſaltem *negativos*, paradiſo aptos fateantur oportet omnes illi qui ignorantiam Dei invincibilem defendunt.

IV. *Scholaſtici ſpeculatores*, priorem Theologiæ partem excolentes, veluti in ublimiori arce conſtituti, de alto, & non abſque ſupercilio reſpectant *Scholaſticos Caſuiſtas* ſecundæ Theologiæ parti dantes operam, veluti in humiliore loco poſitos. *Caſuiſtas* illos vocant, veluti vulgus Theologorum, homines ſcilicet retuſi ingenii, & tenui ſuppellectili ornatos. Verum ſi *Scholaſtico-caſuiſticam* cum *Scholaſtico-ſpeculatrice* conferamus, non minus acutulos ſe produnt illi quam iſti. Alteram diſtinctionem capitalem *Scholaſtico-caſuiſtæ* præ manibus continenter habent, qua peccatum in *mortale*, & *veniale* tribuunt. Ex Probabiliſmi armamentariò bilances accipiunt, quibus malitiam ponderant. Ecquænam ſunt bilances iſtæ? Probabiliſticæ opiniones. Differentiam *mortale* inter & *veniale* crimen in hominum exiſtimatione non raro collocant. Exiſtimaſti, te mortale perpetraſſe flagitium: mortale eſt. Putaſti, illud veniale fuiſſe: veniale eſt, aiunt & ſæpe & plurimi. Verum ſicuti regula honeſtatis non opinio humana, ſed prima æterna Dei lex eſt, applicata per rectam rationem; ita regula diſtinctionis peccati mortalis a veniali non hominum opinio, ſed maior aut minor diſſonantia a recta ratione, & conformitate ad primam regulam. Verum de hac difficillima diſtinctione plura in loco.

V. Nunc cum Melchiore Cano videndum, cuius naturæ ſit hæc ſive *ſcholaſti*-

Digitized by Google

co-ſpeculativa, ſive *ſcholaſtico-caſuiſtica* facultas. Num theologica, an battologica, num Theologi, an Sophiſtæ & rabulæ nuncupandi utriuſque claſſis tractatores? Ut mihi, quoad fieri poteſt, ab invidia caveam, verbis utar eiuſdem Melchioris Cano *Lib. XII. cap.* v. ubi hæc habet. „ Quæſtio igitur theologica, quo-„ niam circa eam omnis Theologi verſatur labor, quid ſit, & quæ illius par-„ tes, in primis explicabimus . . . Ne vero quempiam fallat huius nominis am-„ biguitas, intelligendum eſt, quæſtionem theologicam aliquando appellari pro-„ nuntiatum omne quod a Theologo quovis forte etiam & temere fuerit ad-„ dubitatum. At ſi adeo late Theologiæ materiam, quæſtionemque tendamus, „ quæſtio theologica non iam ex natura huius facultatis, ſed *ex hominum vel* „ *ſtultorum arbitrio* æſtimabitur. Ita fiet ut in Theologiæ quæſtionibus illas po-„ namus: *Num ſi forma aquæ per divinam poteſtatem a materia ſeparetur, in* „ *materia, vel forma ſeorſum baptiſmus conficiatur? Num aſinus baptiſmum* „ *poſſit bibere? Ceteraſque his ſimiles, quas ſtudio brevitatis omitto*, ne faſti-„ dium ſtomacho lectoris faciam. Mihi profecto non eſt cordi ſtultas, & ſine „ diſciplina quæſtiones, quas vitare Apoſtolus præcipit, in Theologiæ finibus „ comprehendere . . . . *Futiliſſimæ* ſcilicet illæ *quæſtiones theologicæ* vocari nec „ debent, nec vero poſſunt, ut quæ ex principiis Theologiæ finiri nequeant, & „ ſolvi; atque adeo ne concluſiones quidem eſſe doctrinæ eius, ſed indoctorum „ hominum commentitiæ chimæræ. Quam ergo intelligimus theologicam quæ-„ ſtionem? Opinor eam quæ plane ad rem facit, hoc eſt ad Theologiam ſpe-„ ctat. Non autem ſpectant vanæ, ineptæ, noxiæ, ſed ſolidæ, aptæ, commo-„ dæ. *Ego*, inquit, *ſum Deus tuus docens te utilia*: Iſa. xlviii. Theologia er-„ go, quæ Dei nimirum doctrina eſt, nullo modo inutilia colligit. Quin ſuper „ fidei fundamentum, quod ab Apoſtolis eſt poſitum, aurum, argentum, lapides „ pretioſos ſuperædificat. Nam qui ligna, fenum, & ſtipulam, ii non hoc ex „ Theologia, ſed ex errore faciunt. Maneat igitur, eam eſſe proprie theologi-„ cam concluſionem quæ ex Theologiæ principiis, ut effecta e cauſis ſuis, orie-„ tur. Unde illud conſectarium eſt, nullam Theologiæ quæſtionem exiſtiman-„ dam quæ non poſſit ad eiuſmodi initia referri, exque iis apte & congruenter „ argumentando definiri. Quamquam ſint quæſtiones quaſi appendices, quas, „ quoniam gratia explicandi illas quæ vere & proprie theologicæ ſunt, apposi-„ te, & graviter adiunguntur, iure quodam vel ſimilitudinis, vel propinquita-„ tis, vel etiam ordinis, theologicas itidem haud abſurde appellaveris. "

VI. Heinc habes a Theologorum cenſu eiectos tum *Scholaſtico-ſpeculativos*, qui primam Theologiæ partem futiliſſimarum quæſtionum farragine onerant, tum illos *Scholaſtico-caſuiſtas* qui in chriſtianam morum doctrinam quæſtiones ingerunt non modo vanas, & inutiles, ut primi, verum etiam pernicioſas, & morum inte-

Digitized by Google

tegritati exitiales. A Theologorum cathalogo utriuſque claſſis, illos reiice qui Academicorum more in utramque partem diſputant, & contrarias opiniones æque honeſtas defendunt, vanas multiplicant quæſtiones, & per vias directe oppoſitas vi commentitiæ probabilitatis te in cælum ducere fallaciſſime contendunt. Non eſt ergo quod Scholaſtici ſibi *Theologi* nomen uſurpent ſupra Caſuiſtas, dum iuxta illi, ac iſti, non Dei doctrinam, quæ aut in fide, aut in moribus homines imbuat, ſed commentitias hominum opiniones in chriſtianam Theologiam damno ſummo intrudunt.

CAPUT XIII.

Qui nomine Caſuiſtarum veniant. Omnes ne reiiciendi? Qui præferri ceteris debeant.

QUoniam frequenter hoc in opere Caſuiſtarum mentio occurrit, operæ pretium exiſtimavi explicare qui inter Caſuiſtas collocandi, quinam præferendi. Sed antequam, quid ipſe ſentiam, patefacio, lubet aliorum referre placita, præſertim P. Francolini, & P. Zaccaria, qui opera *P. La-Croix* commentatoris *Buſembau* amplificavit.

§. I.

Nobilis Caſuiſtarum natio, quam ex Abelly *perhibet* P. Francolinus.

I. P. Balthaſſar Francolinus *Lib. III. de pœnit. diſcipl. cap.* VII. *§.* 25. hæc ex Abelly ſcribit *num.* 5. „ Oſtendit facultatem moralem eſſe antiquiſſi„ mam; & primum Caſuiſtam fuiſſe *Moyſem*. Caſuiſtas in lege nova fuiſſe *Apo„ ſtolos*, deinde qui ipſis ſucceſſere, Epiſcopos, ſolitos aliquando ad conſervan„ dam unitatem, & ad conciliandam ſuis ſententiis auctoritatem conſulere ſum„ mum Pontificem: aucto vero fidelium numero demandatum ab Epiſcopis fuiſ„ ſe id munus expediendi caſus conſcientiæ Presbyteris doctioribus ſuarum Ec„ cleſiarum Pœnitentiariis . . . obſervat, & monet, a prædictis cenſoribus, qui „ redarguunt Caſuiſtas, redargui multos viros ſanctos, in album Divorum ab „ Eccleſia relatos, qui fuere Caſuiſtæ, nimirum D. Thomam . . . S. Bonaventu„ ram . . . S. Antoninum . . . S. Raymundum &c.

„ Hic obſervare (ſubdit ipſe Francolinus) mihi liceat, hos quos recenſet Au„ ctor, alioſque plures, quos recenſere poterat viros ſanctiſſimos, eoſdemque Ca„ ſuiſtas, aut homines privatos fuiſſe, aut caſus conſcientiæ reſolviſſe, antequam „ ad infulas eveherentur, aut eſſent declarati Doctores Eccleſiæ, aut a Pontifi-

„ cibus huic muneri deſtinati . Non igitur dedecet privatos Doctores, ut inſcite „ garriunt aliqui, quæſtionibus dubiiſque moralibus reſpondere. “

II. Acutus Caramuel, ut adverti *Tom. I. hiſt. Probabiliſmi & Rigoriſmi diſſ.* 1. *cap.* 11. in ſuo *Apologem.* originem Probabiliſmi repetit a mundi creatione, & inter Angelos in cælo natum Probabiliſmum contendit. Terillus Hieroſolymis tempore Chriſti Domini prodiiſſe Probabiliſmum docet. Quid ergo mirum, ſi *Abelly*, & Francolinus Caſuiſtas efficiant *Moyſem*, *Apoſtolos*, & ſucceſſores Epiſcopos, ac tandem S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Raymundum, S. Antoninum, atque adeo omnes Eccleſiæ Doctores, quorum diſcipuli fuere illi? Si caſuiſticæ facultatis nomine uſum cogitandi, diſcurrendi aut modo ſcientifico, aut probabili intelligis; non modo Moyſes, ſed Adam ipſe cum omnibus poſteris Caſuiſta fuit: ſemper enim homines ab orbe condito per regulas aut certas, aut probabiles, & ſuas, & aliorum conſcientias direxerunt. Hoc igitur in ſenſu omnes homines Caſuiſtæ fuere. Verum Caſuiſtarum nomine peculiarem claſſem Theologi intelligunt.

III. P. Franciſcus Antonius Zaccaria in ſuo Supplemento ad P. La-Croix *pag.* 4. Caſuiſtas tribuit in partes duas his verbis. „ Ac primum *aio*, Caſuiſtas veluti „ in claſſes diſpertiendos eſſe: quarum altera grandium voluminum Scriptores „ complectitur, *Suarios*, *Vaſquios*, *Laymanos*, *Bonacinas*, *Dianas*, *Sporerios*: Summiſtas altera, & compendiorum auctores, quos inter Buſembaum .... Quod „ autem ad primos illos Caſuiſtas ſpectat qui pluribus voluminibus Theologiam „ moralem complexi ſunt .... oculis careat oportet qui Patres ab illis neglectos queratur. *In his enim frequentius nihil quam aut Patrum teſtimonia de-„ ſcribere, aut locos indicare, ubi de hac, illave re loquantur Patres. Et ve-„ ro ſi* (Suarez, Vaſquez, Valentia, Becanus excipiuntur) *Gobatus*, *Fagundius*, „ *Sanchez* ſingulis locis, ubi Patres conſulendos monent, eorumque libros adnotant, horum teſtimonia verbatim addidiſſent, futurum cenſeo ut longe ex- „ plicatior in iſtorum voluminibus Patrum auctoritas prodiret quam in *Natalis* „ *Alexandri*, Gennetti, Pontaſii, Beſombii, & ceterorum libris. Illud etiam for- „ taſſis pateret, quanti horum interfuerit Caſuiſtas ludibrio exponere, *ne ſcilicet* „ *turpes plagiarios ſe ſe omnium obtutibus proderent. Nimirum Caſuiſtarum ſcri-* „ *nia compilaſſe magnos iſtos Theologiæ e Patribus ductæ prædicatores, atque ma-* „ *giſtros, tam certum eſt quam quod maxime.* “

IV. Si dixerimus hæc non ab eruditis Theologis omnibus modo, ſed vel ab ipſis inferioris claſſis Moraliſtis improbari, a vero ne aberrabimus? Plura ſimul diſparata infarcit Auctor. Iniuria ſumma detrudit e primo Theologorum ſubſellio in infimam Caſuiſtarum claſſem doctiſſimos PP. Suarez, Vaſquez, Valentiam, Becanum. Hos fuiſſe in Patribus verſatiſſimos, demens foret, ſi quis negaret. Pa-

Digitized by Google

Patrum doctrinam allegarunt iſti larga manu ad confirmanda dogmata catholica adverſus heterodoxos, & ad controverſias theologicas dirimendas, quæ in ſcholis inter Theologos, non Caſuiſtas, agitantur. Cum primus eorum ſcopus non fuerit Caſuiſtas agere: ideo nec iſti adeo frequenter e Patrum doctrina caſuum conſcientiæ reſolutiones derivant. Vaſquez præſertim in Patribus ſe verſatum prodit; ſed ab ipſorum quoque doctrina interdum recedere religioni ſibi non vertit. Hos ego Theologos doctiſſimos, a P. Zaccaria detruſos in poſtremam Caſuiſtarum aciem, erectos volo in primam Theologorum claſſem, in qua ſemper refulſere. Diſtinctionem Theologos inter & Caſuiſtas infra dabo.

V. Ad Caſuiſtas ergo venio *grandium voluminum*, *Laymanos*, *Bonacinas*, *Dianas*, *Sporerios*, *Gobatos*, *Sanchezios*, citatos a P. Zaccaria, atque adeo ad *Caramueles*, *Caſtropalaos*, *Eſcobarios*, *Tamburinos*, *Leandros*, ceteroſque *grandium voluminum* parentes. In iſtorum voluminibus, inquit P. Zaccaria, Patrum auctoritas explicatior prodiret, ſi verbatim teſtimonia Patrum quos citant, tranſcripta eſſent, quam in Natalis Alexandri, Genetti, Pontaſii, & ceterorum libris. Subdit Natalem Alexandrum, Genettum, Pontaſium, atque adeo Merbeſium, ceteroſque ſanioris chriſtianæ Moralis aſſertores *ludibrio exponere Caſuiſtas*, *ne ſcilicet turpes plagiarios ſe ſe omnium obtutibus proderent*. *Nimirum Caſuiſtarum ſcrinia compilaſſe magnos iſtos Theologiæ e Patribus ductæ prædicatores atque Magiſtros, tam certum eſt quam quod maxime*. Hæc reſcripſi, non ut refellerem, ſed ut lectorum obtutibus illa exhiberem. Nos enim mitiſſimos eſſe oportet pro veritate pugnantes, illo ipſo tempore quo adverſarii, pro laxiore Ethice decertantes, eruditis, & ſupra fortunæ ictum conſtitutis Theologis, & quidem magni nominis, liberrime inſultant.

VI. Quid, ſi in vivis eſſet ſupremus ille, ut cum Cardinali Pallavicino loquar, elapſi ſæculi Theologus P. Michael Elizalde Soc. Ieſu? Ipſe toties clamat, præſertim, ut alias adnotavi, *III. Part. Lib. VIII. quæſt.* VIII. *§. 8. pag.* 150. „Hæc „ſit noſtra breviſſima & æquiſſima reſponſio, cum his ſcilicet libris (Caſuiſta„rum) id faciendum eſſe quod per ipſos, eorumque Auctores cum ſanctis Pa„tribus, Doctoribuſque Eccleſiæ factum eſt: quod item factum eſt cum Pro„phetis, cum Evangelio, cum Apoſtolis .... Iacuit diu *Auguſtinus* in foro „conſcientiarum regendarum .... tantumdem ſaltem iaceat *Diana*, & ad fo„rum eius loco redeat Auguſtinus. Si vel Ambroſium, vel Caramuelem vive„re oportet, quis non Ambroſium præhabeat? Si populi vel ex Chryſoſtomo, „& Gregorio, vel ex *Tamburino*, & *Eſcobario* regendi ſint, ſi vita fidelibus „ex alterutris inſtituenda; quis eos non præferat quos Doctores vitæ noſtræ „Eccleſia ſancta mater & magiſtra noſtra nobis porrexit? *Hæc clara ſunt*, *nul*„*li iniuriam facimus*: *& ſi perſecutionem propter iuſtitiam patiemur*, *beati* *a*

„*Do-*

Digitized by Google

„ *Domino habebimur*. “ Plura huc pertinentia alibi ex ſapientiſſimo iſto Ieſuita tranſcripſi.

VII. Quid ad hæc eruditus La-Croixii Commentator? Elizalda cum Ven. Bellarmino, Gonzalez, Munieſſa, Comitolo, Camargo, fuit Tutioriſta, inquiet cum P. Sanvitali. Ita ne vero? P. Antonius Terillus non eſt forte inter primores Probabiliſtas, immo princeps Probabiliſmi reflexi? Porro iſte P. Antonius Terillus *in præfat. ad tract. de conſc. probab.* hæc inter plurima ſuo loco referenda ſcribit. *Innumerabiles ſunt qui a 30. annis, ſummis caſuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Non ſatis illis viſum eſt, ſi ab aliis dicta, novo ordine, novaque methodo, & ad legentium captum faciliori digeſta (quod tamen laude dignum fuiſſet) vulgarent. Ergo ad nova promenda animoſiores effecti in opiniones laxiores oculos animumque coniecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placituras. Verum ne propter apertam ab UNANIMI ANTIQUORUM opinione defectionem temeritatis arguerentur, cœperunt rationes aliquas excogitare quibus & ſuum a maiorum doctrina receſſum honeſtarent, & apud imperitum vulgus de ſuæ ſententiæ veritate plauſum aliquem obtinerent . . . Immo incredibile non eſt eos ſubtili SATANAE INSINUATIONE deceptos, ſub humanitatis cuiuſdam lenocinio, mutuique honoris ſpecie, quibuſvis aliorum dictis probabilitatem ideo attribuiſſe, ut quam ipſi prærogativam prioribus ultro dediſſent, eam ipſis poſteriores non inviderent.*

VIII. Oro eruditum P. Zaccaria ut unum ex Antiprobabiliſtis deſignet qui tam ſevera ferula exceperit, & tam immani ludibrio expoſuerit Caſuiſtas, & quidem *innumerabiles*. Auſim dicere, vix Paſchalem adeo aperte maledixiſſe Caſuiſtis. Ediſſerat, quinam ſint iſti innumerabiles qui laxius ſcripſere. Sed quæro, an inter ceteros laxius non ſcripſerint Dianæ, Bonacinæ, Caramueles, Eſcobarii, Tamburini, Sanctii, & Sanchezii? Ad hæc quæſita perſpicuum reſponſum optarem ab erudito Commentatore. Plura alia huiuſce Auctoris venuſta placita, quæ habet non modo in hoc Supplemento P. *La-Croix*, ſed etiam in aliis opuſculis, alibi ad æquiſſimas critices leges expendam.

§ II.

Qui ſint inter Caſuiſtas collocandi: num omnes reiiciendi: qui præferendi.

I. THeologos tribui in claſſes duas, Scholaſticorum, & Caſuiſtarum, (ut nunc omittam Dogmaticos, & Polemicos) vel penes ipſum vulgus notum eſt. In omnibus ſacris Ordinibus, Univerſitatibus, Academiis, alii ſunt Lectores Theolo-

logiæ ſcholaſticæ, dogmaticæ, & caſuiſticæ. Legendæ Theologiæ morali communiter deſtinantur, ut toties lamentatur P. Elizalde, qui docendæ Logicæ Ariſtoteleæ vix idonei reputantur. Quid frequentius in Theologorum libris occurrit, cum de re morali diſputandum eſt, quam ſimilia: *Sed hæc ad Caſuiſtas*? Heinc patet, quam contra communem exiſtimationem ſcripſerint Abelly, Francolinus, & Zaccaria, qui inter Caſuiſtas collocarunt Moyſem, Apoſtolos, Patres, SS.Thomam, Bonaventuram, Suarez, Vaſquez, Becanum &c.

II. Qui ergo inter Caſuiſtas numerandi? Illi quorum opera inſcribuntur, *Theologia moralis*, *Tractatus moralis*, *Summa moralis*, *Caſus morales* &c. *Alphabetarium morale*, *Dictionarium morale* &c. Illos ego inter Caſuiſtas recenſeo qui poſt infelicem Probabiliſmi ortum ex inſtituto de Theologia morum ſcripſerunt, ut ſunt inter ceteros Lopez, Sanchez, Caſtropalaus, Filliucius, Bonacina, Diana, Caramuel, Eſcobar, Leander, Tamburinus, Sporer, La-Cruz, Reginaldus, Baunius, Salmanticenſes morales, Antonius a Spiritu ſancto, VVigandt, La-Croix, Viva, & mille alii, quos brevitatis ſtudio prætereo.

III. Numquid omnes reiiciendi? Abſit. Immo nemo unus. Illi ipſi qui laxiores, & damnatas opiniones docuerunt, plura utilia habere poſſunt. Illud ſolum addo, caute & attente legendos eſſe; videndumque, utrum doctrinam doceant Scripturis ſanctis, Patribus, & Conciliis conſentaneam, ut alibi fuſius explicatum eſt. Summa vigilantia legendi potiſſimum ſunt qui Theologiam moralem docent iuxta novum opinandi modum, ab Alexandro VII. declaratum alienum a ſimplicitate evangelica, & a doctrina Patrum, atque a Conventu Cleri Gallicani damnatum.

IV. Quinam ergo præferendi? Paulus Comitolus, Gabriel Antoine, Merbeſius, Gennetus, Pontaſius, Beſombes, Natalis Alexander. Alii dicent Viva, La-Croix, Buſembau, Tamburinum. Quiſque abundet in ſuo ſenſu. Una eſt via, & quidem arcta & anguſta, quæ ducit ad vitam. Lata & ſpatioſa ad perditionem. Priores, quos nunc indicavi, ducunt Chriſtianos per viam arctam; poſteriores per contrariam. Nam quod duæ iſtæ Theologorum claſſes doceant oppoſitas doctrinas, nemo vel in dubium revocat. Veritas autem manifeſta eſt, inter duas vias *arctam*, & *latam* a Chriſto indicatas, non dari mediam ab humana mente confictam. Et ad hoc quod attinet, pluſquam ſatis.

C A P U T XIV.

De iuris canonici neceſſitate, & auctoritate.

I. MOrum Theologia adiunctam neceſſario habet iuris canonici peritiam. Vide quæ de iuris iſtius origine, progreſſu, & auctoritate ſcribo *Tom. VI. Theo-*

Digitized by Google

Theolog. Chriſt. Pauca hic delibabo. Melchior Cano *Lib. VIII. cap.* VI. inquit. Si a Theologis animarum cura non eſt aliena, ſed potius animas regere eorum quaſi peculiare munus eſt; proculdubio canonici iuris ſcientia illis eſt neceſſaria. Porro animas regere, fideles in doctrina ſana exhortari nequaquam poſſumus, iuris canonici ſcientia deſtituti. Siquidem non modo divinas leges in Scriptura ſancta contentas, verum etiam eccleſiaſticas docere populum Theologi debent. Quomodo autem, ſi has illi ignorant leges, eaſdem exponere populo valent? Atqui ſcire eiuſmodi leges nequeunt, ſi canones ignorant. Ergo canonum ſcientia Theologis, ſeu morum magiſtris neceſſaria eſt. Quamobrem Cardinalis Turrecremata in procœmio Decreti, ut Cano advertit, docet, morum doctrinam in ſpecie ſecundum gradus ſingulos, & ordines officiorum Eccleſiæ ſine iuris eccleſiaſtici cognitione haberi non poſſe. Morales autem ſermones abſoluti eſſe nequeunt, ſi generatim, & non ſpeciatim habeantur, ut ſubdit idem Cano, auctoritate ipſius Ariſtotelis in Ethicis allegata. Hoc ipſum confirmat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. in cap. *Quia Nonnullis* de Magiſtris, ubi præcipit ut Theologus in Eccleſia cathedrali ad docendum conſtitutus Sacerdotes doceat in ſacra pagina, & in his præſertim informet quæ ad animarum curam ſpectare noſcuntur. In canonibus autem plurima ſunt inſtituta quæ ad curam animarum attinent. Nequit igitur canones Theologus ignorare.

II. Accedit quod Theologorum præcipue moralium munus eſt confeſſiones ſacramentales audire, pœnitentias iniungere. Sed eiuſmodi præſtare nequeunt iuris peritia deſtituti. Neceſſaria ergo iiſdem eſt canonum ſcientia. Melchior Cano iure reprehendit Caietanum, tot alioquin titulis ſuſpiciendum, quod in Sum. verb. *Confeſſori neceſſaria* &c. doceat, pœnitentes excommunicationibus, ſuſpenſionibus, irregularitatibus, aliiſque pœnis gravatos, remittendos ad Iuriſperitos, ne Confeſſor ipſe alterius facultatis onere prægravetur. Fieri quippe hoc ſine magnis incommodis minime poteſt. Nam feminæ interdum in eiuſmodi pœnas incurrunt, quas pro conſcientiæ remedio Iuriſperitorum domos adire abſurdum eſt, & muliebri verecundiæ valde indecorum. Deinde, inquit Cano, cum Iuriſperiti ſcientiam & verba locare ſoleant, ad confeſſionis ſacramentum non erit acceſſus, niſi prius pecunia data. Quid quod homines vel ipſi Sacerdoti crimina ſua detegere non parum erubeſcunt & verentur? Si vero ad Iuriſperitos quoque remittantur, ſacramenti iſtius onus gravius efficietur quam ut ferri ab infirmis poſſit. Præterea nullæ cauſſæ frequentius ad Theologum & Confeſſorem referuntur quam matrimoniales. Dirimere iſtas ille nequit, canonibus ignoratis. Innumera ſunt alia incommoda & abſurda quæ canonum ignorationem conſequuntur. Neceſſaria igitur Theologis eſt, & magno uſui futura canonum ſcientia. Utinam Confeſſores, miſſis tot Caſuiſtarum voluminibus, librum Decretalium revolverent, in quo agitur de

de baptiſmo, de ſacra unctione, de pœnitentia, de celebratione Miſſarum, de matrimonio, de ordinibus, & de ceteris ſacramentis, de irregularitate, ſuſpenſione, excommunicatione, interdicto, pœniſque ſimilibus, de ſimonia, periurio, aliiſque criminibus. Quæ ſi Theologus ignoret, ſuo erit officio ineptus.

III. Ad auctoritatem iuris canonici quod attinet, paucis rem expediam'. In his quæ fidem ſpectant, Theologus Canoniſtarum ſuffragiis non eget; ſed his in controverſiis Canoniſtæ Theologos conſulunt. Similiter in iis quæ ad mores pertinent per iura divina, aut naturalia regendos, Theologorum auctoritas prævalet Canoniſtarum placitis. Ius enim naturale, & divinum Theologorum eſt interpretari, & exponere. Duo quippe iura iſta in Scriptura ſancta continentur. Ad Theologos autem pertinet divinas exponere Scripturas, legeſque in eiſdem contentas. Canoniſtæ autem potiſſimum in iure humano eccleſiaſtico occupantur. Quapropter in controverſiis de eccleſiaſticis legibus auctoritas Canoniſtarum præferenda eſt Theologorum ſententiæ. Res ſcipſa patet. In qualibet facultate eiuſdem periti conſulendi ſunt. Sed quæ eccleſiaſticis legibus præſcribuntur, in iure canonico continentur. Ergo iſtius iuris profeſſores ceteris omnibus qui hanc facultatem non profitentur, anteponendi ſunt. Si plura alia de iure canonico cupis, lege *cit. Tom. VI. Theol. Chriſt.*

C A P U T XV.

De tribus reliquis Theologiæ chriſtianæ locis, nempe de Hiſtoria, Philoſophia, & ratione naturali.

I. HOc uno capite tria poſtrema loca comprehendo. Quam ſit Theologo hiſtoria ſacra utilis, colligere quiſque inde valet quod Eccleſia per plura annorum millia non aliter fere quam per traditionem gubernata fuerit. Nam ab orbe condito uſque ad Moyſen abſque ſcriptura, per ſolam rerum divinitus geſtarum oralem narrationem inſtruebantur fideles. Quæ hiſtoria, cum litteris conſignata non fuerit, traditio nuncupatur, qua parentes ſuis filiis, & iſti ſucceſſoribus narrabant legem & mirabilia Dei, quæ aut ſuis oculis viderant, aut a parentibus audierant. Adam, quæ doctus a Deo fuit, tradidit immenſæ gentium multitudini, quæ terram repleverat. Noe filios ſuos imbuit, idemque præſtitit Abraham. Moyſes, Deo inſpirante, traditiones, a Patriarchis ſanctis ore acceptas, collectas litteris Dei iuſſu prodidit. Et ſicut ab Adamo uſque ad Moyſen, ita a Moyſe uſque ad Chriſtum per traditiones, & ſacras hiſtorias ſcripto exaratas religio divina conſervata eſt. Poſtremo quid aliud fuit Apoſtolorum prædicatio quam eorum quæ a Chriſto audierant, enarratio? quæ poſtea & dicta, & geſta in novum teſtamentum redacta ſunt. In hoc deſcribitur Chriſti Ieſu conceptio, nativitas, vita,

Digitized by Google

ta, ſermones, prodigia, miracula, mors, reſurrectio, aſcenſio in cælum, Apoſtolorum prædicatio, Gentilium converſio, & Chriſti regni conſtitutio per univerſum orbem.

II. Quamvis plurima quæ ad religionem attinent, oſtendi ratiocinio poſſint, nempe Deum eſſe mundi creatorem, providum, gubernatorem, & unicum ſupremumque omnium moderatorem; animam eſſe ſpiritualem, atque adeo immortalem: tamen non omnes ratiocinii vim, qua hæc demonſtrantur, tenere idonei ſunt. Quamobrem Deus, qui humanam novit imbecillitatem, iis uſus eſt in ſuæ religionis doctrina ſuadenda argumentis quæ omnium intelligentiæ, & ſenſibus expoſita reperiuntur. Eiuſmodi ſunt mundi creatio, peccatum primi hominis, diluvium, prodigia, & portenta tum in Aegypto, tum ex Aegyptio regreſſu in promiſſionis terram per mare Rubrum, & deſertum; Chriſti nativitas, miracula, prædicatio Apoſtolorum, Gentiles fidem ſuſcipientes, Crucis exaltatio, eiuſque adoratio ab illis præſtita qui prius illam loco infamiæ habebant. Et ne hæc ſtupenda miracula in dubii ſuſpicionem revocare quis poſſet, novis miraculis antiqua confirmata ſunt. Nonne hodiedum per hiſtoriam vera, & apoſtolica Eccleſia dignoſcitur, & ſecernitur a ſpuriis & adulteris? Et reipſa SS. Eccleſiæ Patres methodum hiſtoricam in rudium inſtructione ſervarunt. Legas velim S. Auguſtini librum de *catechizandis rudibus*, ubi ſub tractatus finem totius religionis noſtræ epitomen, variis obſervationibus intermixtam, invenies. Verum de hoc iam egimus ſupra, dum neceſſitatem ſacrarum traditionum oſtendimus.

III. Nihil, ut mea minima præfert opinio, ſecundum Scripturas ſanctas, validius ad formandam Ethices chriſtianæ nativam imaginem conducit quam Sanctorum acta: quoniam, inquit *Lib. de mendac. cap.* XV. S. Auguſtinus, ſi quid obſcurum, ſi quid ambiguum in Scripturis ſanctis occurrit, luculentiſſimis ſanctorum hominum exemplis manifeſtatur. *Divinæ Scripturæ non ſolum præcepta continent, ſed etiam vitam, moreſque Sanctorum, ut ſi forte occultum eſt, quemadmodum accipiendum ſit quod præcipitur, vel conſulitur, in factis iuſtorum intelligatur.* Tritum illud proverbium, exempla magis quam verba movere, hic præcipue locum habet. Siquidem cum ſublimem divinamque doctrinam & præceptiones, quas in Evangelio ſuo Chriſtus Dominus pro morum reformatione, & inſtitutione nobis dedit, ſerio meditamur, tremit & contremiſcit imbecillitas humana. Impares vires noſtras ad tantum ferendum iugum reputamus. Verum enimvero, cum homines cuiuſque ætatis, ſenes & iuvenes; cum infirmioris ſexus mulierculas, & virgunculas mores ſuos ad hanc excelſam evangelicæ moralis amuſſim conformaſſe ſpectamus, tum ignaviæ & ſocordiæ noſtræ pudore tacti animum erigimus, & ad illorum premenda veſtigia accendimur, & veluti adiectis calcaribus incitamur, atque urgemur.

IV. Seligenda dumtaxat ſincera Sanctorum acta ſunt a probatis Auctoribus ſcriptis

Digitized by Google

ptis conſignata. Recordari enim opportune exiſtimo mon itum Melchioris CANO *Lib. II. de loc. theolog. cap.* VI. ubi hæc habet. *Dolenter hoc dico potius quam contumelioſe, multo a Laertio ſeverius vitas Philoſophorum ſcriptas quam a Chriſtianis vitas Sanctorum: longeque incorruptius, & integrius Svetonium res Cæſarum expoſuiſſe quam expoſuerint Catholici, non res dico Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum, & Confeſſorum. Illi enim in probis aut Philoſophis, aut Principibus nec vitia, nec ſuſpiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt. Noſtri autem plerique vel affectibus inſerviunt, vel de induſtria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non ſolum pudeat, ſed etiam tædeat.*

V. Hæc *Cani* cenſura cautiores effecit poſteriores Scriptores qui Sanctorum geſta deſcribunt. Unam ego præ ceteris legendam propono lectoribus meis eccleſiaſticam hiſtoriam Reverendiſſimi P. Auguſtini ORSI ſacri Palatii Magiſtri, qui ſeptem iam volumina in lucem emiſit tanto eruditorum plauſu ſuſcepta, ut quadriennio tertium iam edita ſint. Miſſis huiuſce aurei operis dotibus, quæ critices, & chronologiæ leges ad amuſſim ſervatas, eruditioniſque ſelectam copiam ſpectant, unam tantum in tranſcurſu patefaciam. Hæc autem eſt orationis maieſtas, quæ rerum granditati reſpondet, uberrima eloquentiæ vis, quæ animos legentium penetrat, illicit, movet, ſuaviter illabitur, & pro rerum diverſitate irruit, atque ſecum abripit lectores. Quæ ipſe expertus ſum, & in dies experior, ſincere fateor. Cum ſanctorum Martyrum utriuſque ſexus heroica geſta vividis nativiſque coloribus depicta a celeberrimo Hiſtorico contemplor, talia mecum ipſe reputo. Ecce. Qui heri dæmonia ut numina colebant, qui ſaxis, & brutis thus adolebant, qui in omnium vitiorum cœno volutabantur, chriſtianæ fidei luce perfuſi continuo illecebras mundi, idololatriæ præſtigia, pravas cum lacte hauſtas conſuetudines execrati ſunt: carnem ſenſuſque exagitant, divitiarum privationem, uxorum ſeparationem, bonorum omnium proſcriptionem, exilia, carceres invicto ſuſtinent animo, tyrannos adeunt, fidem Chriſti profitentes eculea aſcendunt, carnifices deridet, & atrociora quæ excogitare potuit ſæva hominum crudelitas tormenta libentiſſimo animo exultabundi patiuntur. Quis Chriſtianorum talia legens non ſibimetipſi improperat? Quid? Ego fidei chriſtianæ lacte innutritus, quotidiano ſacramentorum epulo cæleſti altus, & ſaginatus, tot divini verbi prædicationibus, adhortationibuſque excitatus adeo languidum in evangelicæ legis obſervantia, adeo inconſtantem, & veluti fluctuantem animum ſentio, adeo mundi illecebris addictus, tam vehementer amore deliciarum, voluptatum, divitiarum, honorum, dignitatum accendor? Quid, dum Confeſſorum, Virginumque martyria ieiuniorum, patientiæ, penuriæ, afflictionum lego, iſtorumque heroica univerſæ vitæ officia, & geſta meditor? Lege igitur, chriſtiane lector, quam tibi eccleſiaſticam propono hiſtoriam, lege & alias Martyrum, & Confeſſorum, meditare

San-

Digitized by Google

Sanctorum acta, in quibus Moralis chriſtiana executionis penicillo expreſſa reſplendet. Heinc doctrina evangelica ex una parte; illinc ex altera Sanctorum geſta ita obſident cor humanum, ita permovent, & urgent, ut celerem te ſtrenuumque efficiant in via mandatorum Domini. In eccleſiaſtica hiſtoria, cuiuſcumque conditionis, ætatis, & ſtatus, ſanctos viros, Clericos, & laicos, Epiſcopos, Monachos, Eremitas, Reges, mercatores, opifices, agricolas, milites imitandos invenies, & Moralem evangelicam quæ tuum ſtatum ſpectat, operibus depictam intueberis. Plura dicenda forent, niſi præſtituta brevitas impediret.

VI. Paucis nunc explicare convenit hiſtoriæ humanæ commodum, & utilitatem in Theologia tradenda. Melchior Cano *Lib. XI. cap.* 11. teſtatur, omnes viros doctos in hoc conſentire, rudes omnes eſſe Theologos illos in quorum lucubrationibus muta hiſtoria eſt. Multa enim e theſauris ſuis hiſtoria ſuppeditat, quibus ſi careamus, & in Theologia, & in quacumque ferme alia facultate inopes ſæpenumero, & indocti reperiemur, inquit totidem verbis Melchior Cano. Hiſtoriæ autem humanæ nomine non Eccleſiaſticam modo intelligimus, verum etiam profanam. Errores manifeſtos, in quos lapſi ſunt Scriptores, alioqui graves, ob hiſtoriæ profanæ ignorationem, ob oculos Cano perhibet. Sat ſit tranſcribere quæ S. Auguſtinus *Lib. II. de doctr. chriſt. cap.* XXVIII. obſervat. *Quidquid igitur de ordine temporum tranſactorum indicat ea quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adiuvat ad ſanctos libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olimpiades, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis, & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum, quia per tot annos ædificatum eſſe templum dictum eſt a Iudæis, quod imaginem dominici corporis habebat . . . De utilitate autem hiſtoriæ, ut omittam Græcos, quantam noſter Ambroſius quæſtionem ſolvit, calumniantibus Platonis lectoribus, & dilectoribus, qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari, & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didiciſſe, quando longe ante humanum adventum Domini Platonem fuiſſe negari non poteſt. Nonne memoratus Epiſcopus, conſiderata hiſtoria gentium, cum Platonem reperiſſet Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuiſſe in Aegyptum, ubi tunc ille Propheta erat, probabilius eſſe oſtendit quod Plato potius noſtris litteris per Hieremiam fuerit imbutus, ut illa poſſet docere, vel ſcribere quæ iure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebræorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua ſecundum carnem venit Dominus noſter, nec ipſe quidem Pythagoras fuit, a cuius poſteris Platonem Theologiam didiciſſe iſti aſſerunt. Ita conſideratis temporibus fit multo credibilius, iſtos potius de litteris noſtris habuiſſe quæcumque bona, & vera dixerunt, quam de Platonis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; quod dementiſſimum eſt credere.*

VII.

Digitized by Google

VII. Iam vero regulas quaſdam indicemus quas in legenda Hiſtoria ſervandas aſſignant docti eruditique viri. *Regula* I. in hiſtoriarum delectu. Spectanda in primis eſt Scriptoris integritas, & Honeſtas. Animadvertendum, quo tempore Hiſtoricus vixerit, num ea narret quæ ipſe oculis vidit, aut ſuo tempore contigerunt. Si enim viri probi narrent, aut quæ ipſi ſuis viderunt oculis, aut quæ ab illis qui reipſa viderunt, audiere; nemo prudens iiſdem denegare fidem iure valet. Immo vel ipſi ethnici Hiſtorici mendacii accuſari nequeunt, niſi argumenta, quibus mendaces probentur, occurrant. Plura ſcribunt Iulius Cæſar, Saluſtius, Svetonius, Tacitus, Plutarchus quæ aut ipſi ſpectarunt, aut ab oculatis teſtibus acceperunt. Si quis pro ingenio fidem iſtis adhibere recuſaret, dementiæ notam non evaderet. Quam regulam confirmat Melchior Cano *Lib. XI. cap.* VI. „ Quæ omnino res locum habet, cum „ quæ narrant Hiſtorici, ea vel ipſi ſe vidiſſe teſtantur, vel ab his qui viderunt, „ accepiſſe. Qualia ſunt pleraque in epiſtolis Cypriani, Ambroſii, Hieronymi, „ Auguſtini, in libris quoque huius de *Civitate Dei*, in Dialogis Gregorii, breviter in omnibus fere Doctorum Eccleſiæ probatiſſimorum ſcriptis, in quibus „ mendacium ſuſpicari, quod ad memoriam ſempiternam transferre illi ſcribendo „ voluerint, piaculum eſt. “

VIII. *Regula* II. Hiſtoriæ quæ certo Auctore carent, aut Auctorem præferunt obſcurum, ut ſuſpectæ habendæ ſunt. Immo licet Auctorem certum, & præclarum prodant; non continuo, critice nulla adhibita, tali Auctori adiudicandæ ſunt. Quo in errore, inquit Cano *loc. cit.* olim non vulgus ſolum, ſed Gratianus etiam verſatus eſt, ut librorum deceptus indicibus, crederet omnia quæ Hieronymi, & Auguſtini nominibus ſcripta erant, Hieronymi, & Auguſtini vere etiam eſſe. Sic librum qui de vitis Patrum inſcriptus eſt, Hieronymi nomine vulgus circumferebat; cum pauciſſimas tamen Patrum vitas ille ſcripſerit. Has vitas ipſe Gelaſius Papa Hieronymo abiudicat.

IX. *Regula* III. Hiſtoriæ non propterea reiiciendæ abſolute ſunt, quod aliquam falſam narrationem contineant; ſed *quod bonum eſt tenete*. Si enim, inquit ibidem Cano, ex quibuſdam fictis falſiſque narrationibus hiſtorias gentium æſtimemus; nulla omnino erit quam non ſimiliter reiiciamus. Neque enim doctrinas veras alicuius Scriptoris reiicimus, propterea quod aliqui errores ſint eiſdem immixti.

X. *Regula* IV. Hiſtorici qui affectui in geſtorum narratione indulgent, parvæ ſunt auctoritatis. Hoc in genere peccarunt nonnulli acta deſcribentes Sanctorum, de quibus iure queritur Melchior Cano, cuius verba iam retuli *num.* 4. Quare ex ipſa hiſtoria prudens lector colligere facile poteſt, qua iudicii ſeveritate, qua prudentia, iudicioque inſtructus Hiſtoricus fuerit, ut eiuſdem auctoritati deferat. Expendendus quoque eſt finis hiſtoriæ ſcribendæ, examinandæ circumſtantiæ loci, temporis, & cetera eiuſmodi, quæ eumdem ad ſcribendum impulere. Quare illi

Digitized by Google

qui a Principibus ſtipendia accipiunt, ut eorumdem facinora & geſta poſteritati ſcripto conſignent, non abſque ſevera critice legendi ſunt. Si plura hoc de argumento cupis, conſule laudatum Melchiorem Cano.

XI. Locus nonus, unde Theologus eruere argumenta valet, eſt Philoſophorum auctoritas, quæ interdum utilis eſt ad ipſos Philoſophos aut edocendos veritatem, aut dedocendos falſitatem. Clemens Alexandrinus in libris Stromatum Philoſophiæ uſu religionem chriſtianam Philoſophis ipſis ſuadere ſtuduit. Similiter S. Thomas, ut ſupra dictum eſt, ipſorum Philoſophorum principiis Philoſophos ſui temporis revicit. Utilis inſuper eſt Philoſophiæ doctrina tum ad refellendos ſophiſtas, qui cavillatoriis ratiunculis obſcurare catholica dogmata adnituntur; tum ad diſputandi artem melius tenendam. Cavendum tamen ne in rebus fidei, morumque plus iuſto Ethnicis iſtis tribuatur. „ Sunt enim (inquit Melchior Cano *Lib. IX.* cap. IX.) „ quibus Averroes Paulus eſt, Aphrodiſæus Petrus, Ariſtoteles Chriſtus, Plato non „ divinus, ſed Deus: cuiuſmodi nos ipſi, præſertim in Italia, vidimus multos, „ qui Scriptura ſacra neglecta, ad horum Philoſophorum doctrinas tamquam ad „ Syrenum ſcopulos adhærebant, poſtque galeros etiam, & infulas, non Prophetas, non Apoſtolos, non Evangeliſtas, ſed Cicerones, Platones, Ariſtoteles perſonabant. “

XII. Decimus locus, ex quo Theologus argumenta repetit, eſt naturalis rationis uſus. Non modo utilis, ſed neceſſaria eſt Theologo naturalis ratio; immo, hac ſublata, ceteri loci inutiles ſunt. Quoniam ſi rationem demas, quid inter hominem & pecudem intereſt? Plura de rationis naturalis uſu & abuſu in Theologia dixi ſupra. Et hæc pauca de locis theologicis, unde tum pro fidei, tum pro morum regulis explicandis haurire ſuas doctrinas Theologi morales debent, dicta ſufficiant.

FINIS TOMI PRIMI APPARATUS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

A

ADAM naturam accepit a Deo integram & ſanam. *pag.* 5. *num.* 1. fuit totius humani generis parens, non tantum Iudæorum. *ibid.* Præadamitæ numquam extiterunt. *ibid.* V. *Natura*. Adamum & Evam cur Deus tentari permiſerit, exponit Auguſtinus. *pag.* 6. *num.* 1. quomodo tentati a dæmone. *pag.* 7. *num.* 2. Adam lapſus eſt non ſeductus, ſed ſuperbia impulſus. *ibid. num.* 3. Plura commiſit crimina in ſuo primo peccato. *pag.* 10. *num.* 1. Præcipuum fuiſſe ſuperbiam docent SS. Auguſtinus, & Thomas. *ibid. n.* 2. & *ſeq.*

Arbitrium hominis omni libertate ſpoliatum per peccatum originale mentiuntur Novatores. *pag.* 22. *num.* 4. refelluntur. *ibid. num.* 5.

Articuli VVicleffi Angli damnati in Concilio Conſtantienſi. *pag.* 2.* (*a*) Articuli Ioannis Hus damnati in eodem Concilio. *pag.* 3. *

Audientes quinam dicebantur in primæva Eccleſia. *pag.* 186. *num.* 5. eorum pœnitentia. *ibid.*

B

Bibliotecha Ianſeniana merito proſcripta. *pag.* 53.* Epiſtola Romani Philalethis de iuſta eiuſdem proſcriptione. *pag.* 54. *

Bulla Leonis X. contra errores Lutheri. *pag.* 5.* Bulla Cœnæ Domini. *pag.* 14.* Gregorii XIII. contra propoſitiones Baii. *pag.* 20.* Innocentii X. contra quinque propoſitiones ex Libro Ianſenii excerptas. *pag.* 25.* Eiuſdem adverſus libros continentes propoſitionem qua aſſeritur æqualitas SS. Petri & Pauli. *pag.* 26.* Alexandri VII. plures laxas propoſitiones damnantis. *pag.* 27.* Eiuſdem alias laxas aſſertiones proſcribentis. *pag.* 29.* Innocentii XI. plures laxas propoſitiones condemnantis. *pag.* 30.* Eiuſdem decretum damnans duas propoſitiones circa omnipotentiam Dei creaturæ donatam. *pag.* 33.* Decretum damnans uſum ſcientiæ acquiſitæ per confeſſionem. *pag.* 34.* Bulla Innocentii XI. proſcribentis propoſitiones Michaelis de Molinos. *pag.* 34.* Decretum Alexandri VIII. proſcribentis duas propoſitiones de amore Dei, & de peccato philoſophico. *pag.* 41.* Aliud eiuſdem damnantis plures theologicas propoſitiones. *ibid.* Breve Innocentii XII. damnantis theſes quæ in Galliis docebantur prætextu amoris erga Deum puriſſimi. *pag.* 43.* Bulla Clementis XI. damnantis plures propoſitiones excerptas ex libro Gallico idiomate impreſſo ſub titulo *Le Nouveau Teſtament in Francois* &c. & aliter *Abregè de la Morale de l' Evangile* &c. *pag.* 46.* Decretum ſacræ Congregationis Indicis damnans librum cui titulus *Biblioteque Ianſeniſte*. *pag.* 53.* Aliud eiuſdem Decretum damnans folia edita ſub hoc titulo *Epiſtola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam*. *pag.* 64.* Bulla Benedicti Papæ XIV. confirmantis & innovantis Conſtitutionem Clementis Papæ XI. *Ex illa die* in cauſa Rituum ſeu Cæremoniarum Sinenſium editæ. *pag.* 64.* Alia eiuſdem ſuper Ritibus, Cæremoniis, Uſibus, Conſuetudinibus in Regnis Maduren-

 ſi,

(*a*) Aſteriſcus numero additus ſignificat, indicata reperiri in priori voluminis parte, quæ Conſtitutionum Romanorum Pontificum pro reformanda fidei & morum Theologia Collectionem exhibet.

Digitized by Google

ſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Indiarum Orientalium cum inſertis Bullis aliorum Pontificum. *pag.* 85. * Eiuſdem alia contra Clericos ſæcularibus negotiis ſe immiſcentes. *pag.* 109. * Decretum eiuſdem circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis. *pag.* 112. * Epiſtola encyclica eiuſdem circa ieiunium non facile relaxandum. *pag.* 113. * Alia eiuſdem, declaratoria ſuperioris Conſtitutionis. *pag.* 115. * Alia eiuſdem declaratoria duarum præfatarum Conſtitutionum. *pag.* 116. * Bulla eiuſdem confirmatoria & ampliativa Conſtitutionis Gregorii XV. contra Sacerdotes ſollicitantes, & complicem in materia turpi abſolventem. *pag.* 120. * Alia eiuſdem, declaratoria præcedentis. *pag.* 124. * Bulla eiuſdem qua ceſſiones commodi exigendi fructus beneficiorum prohibentur. *pag.* 126. * Alia eiuſdem qua præſcribitur ordo & forma in iudiciis cauſarum matrimonialium. *pag.* 128. * Alia eiuſdem circa occultorum matrimoniorum contractionem. *pag.* 134. * Alia eiuſdem ſuper clauſura Monaſteriorum quorumcumque Regularium. *pag.* 138. * Alia eiuſdem ſuper clauſura Monialium. *pag.* 141. * Alia eiuſdem de doctrina chriſtiana pueris tradenda. *pag.* 144. * Alia eiuſdem ad Epiſcopos directa de Parochorum electione. *pag.* 149. * Alia eiuſdem ad Ordinarios directa de Miſſa a Parochis pro populo applicanda, deque reverenti divini Officii in Choro recitatione. *pag.* 157. * Alia eiuſdem qua nonnulla circa uſuram declarantur. *pag.* 164. * Alia eiuſdem de Epiſcoporum reſidentia. *pag.* 167. * Alia eiuſdem contra quamdam pravam praxim in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ. *pag.* 177. * Alia eiuſdem de Regularibus ab Epiſcopo diœceſano ordinandis. *pag.* 180. * Alia eiuſdem qua conceditur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis. *pag.* 188. * Alia eiuſdem qua certus ordo præſcribitur pro cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis mature diſcutiendis, & valide definiendis. *pag.* 196. * Alia eiuſdem ſuper deſignatione Confeſſariorum extraordinariorum pro Monialibus. *pag.* 206. *

C

Caritas eſt forma & ædificium chriſtianæ perfectionis. *pag.* 114. *num.* 10. arctiſſime cum humilitate coniungitur. *ibid.*

Caſuiſtæ ſtudium Scripturarum, SS. Patrum, & Conciliorum neglexere. *pag.* 44. *num.* 8. inde orta laxior Moralis, & corruptio diſciplinæ. *pag.* 47. *num.* 6. Caſuiſtæ cur libros impleant diſſidiis, litibus, pugnis. *pag.* 51. *num.* 5. quorumdam Caſuiſtarum libri caute legendi. *pag.* 73. *num.* 5. Caſuiſtarum doctrina diſſimilis a doctrina Scripturæ, & Patrum. *pag.* 89. *num.* 4. quomodo contexta ſint Caſuiſtarum volumina. *pag.* 90. *num.* 3. quam inepte doceant, caſus temporum requirere Doctores temporum. *pag.* 93. *num.* 1. Caſuiſtarum opiniones per dimidium falſæ declarantur in Scripturis. *pag.* 97. *num.* 10. Caſuiſtæ bilances habent omnino oppoſitas. *pag.* 98. *num.* 11. doctrinam tradunt cum doctrina Auguſtini pugnantem. *pag.* 101. *num.* 16. Caſuiſtæ quando inceperint ex P. Francolino. *pag.* 295. *num.* 1. inter Caſuiſtas enumerat primo Moyſem, deinde Apoſtolos. *ibid.* In duas claſſes eos partitur P. Zaccaria. *pag.* 296. *num.* 3. Immerito inter Caſuiſtas recenſet illuſtriores Theologos. *ibid. num.* 4. Quid faciendum de libris Caſuiſtarum docet Elizalda. *pag.* 297. *num.* 6. Caſuiſtas plures opiniones laxas inveniſſe ex ſatanæ inſinuatione, teſtatur Terillus. *pag.* 298. *num.* 7. quinam ſint in Caſuiſtarum catalogo recenſendi. *pag.* 299. *num.* 2. quinam reiiciendi, & quinam præferendi. *ibid. num.* 3. & *ſeq.*

Communio eccleſiaſtica quænam. *pag.* 190. *num.* 13. duplex, alia laica, alia eccleſiaſtica. *ibid.* alia media, quæ *peregrina* dicitur. *ibid.* & *num. ſeq.* alia agapica, & eucologica. *ibid. num.* 15.

Con-

Digitized by Google

Concilium. *pag.* 251. *num.* 1. quotuplex ſit. *ibid. num.* 2. *& ſeq.* Concilia nationalia quo ſenſu aliquando generalia dicantur. *pag.* 252. *num.* 4. Concilia generalia œcumenica quænam dicenda ſint. *ibid.* Conciliorum origo a divino iure proficiſcitur. *ibid. num.* 5. Concilium generale congregandi facultatem Imperatori falſo tribuunt hæretici. *pag.* 253. *num.* 6. refelluntur. *ibid.* Soli Romano Pontifici competit auctoritas convocandi Concilia, eiſque præſidendi. *ibid. num.* 7. *& ſeq.* Quinam ſive ex iure, ſive ex conſuetudine Conciliis intereſſe poſſint. *pag.* 254. *num.* 9. Quinam primo Apoſtolorum Concilio interfuerint. *pag.* 255. *num.* 10. Concilia etiam generalia nec a Romano Pontifice confirmata, nec Eccleſiæ conſenſu recepta, nullius ſunt auctoritatis. *ibid. num.* 1. Concilia generalia Romani Pontificis auctoritate confirmata, & Eccleſiæ conſenſu munita & recepta, infallibilis ſunt auctoritatis. *ibid. num.* 2. Id unanimi conſenſu docent Patres. *pag.* 256. *num.* 4. Conciliorum infallibilitas unde ſit repetenda. *ibid. num.* 5. Calvini Conciliorum infallibilitatem pernegantis ſophiſmata refelluntur. *pag.* 257. *num.* 6. *& ſeq.* Quomodo teſtimonio Auguſtini abutatur ad elevandam Conciliorum auctoritatem. *pag.* 258. *num.* 8. refellitur. *pag.* 259. *num.* 9. Aliæ Calvini antilogiæ, & ineptiſſima ratiocinia refelluntur. *ibid. num.* 10. Concilia non generalia, nec Summi Pontificis, aut Eccleſiæ univerſalis conſenſu confirmata, errori abſolute ſubiecta ſunt. *pag.* 261. *num.* 1. Concilia provincialia, nationalia, & diœceſana tantæ ſunt auctoritatis, ut graviſſimæ temeritatis rei forent qui eorum canonibus non acquieſcerent. *ibid. num.* 2.

Concionatores quænam potiſſimum ex ſacro ſuggeſtu enuntiare debeant. *pag.* 155. *num.* 1. *& ſeq.* quam efficaciter eos hortetur S. Carolus Borromæus. *pag.* 157. *num.* 3. Concionatorum nonnulli defectus corriguntur. *pag.* 161. *num.* 4. quam pulchre inſtruantur a P. Michaele Elizalda. *pag.* 162. *num.* 5. *& ſeq.* cavere debent ne abſtracta ſolum vitiorum ſimulacra condemnent, ſed in quo vitia ſita ſint exponant. *pag.* 165. *num.* 6.

Confeſſarius noſſe debet humanæ naturæ indolem & infirmitates. *pag.* 3. *num.* 2. a quibus cavere debeat. *pag.* 8. *num.* 4. quid vitare ut munus ſuum exacte perficiat. *pag.* 9. *num.* 5. controverſias dirimere debet magis auctoritatibus utendo quam rationibus. *pag.* 46. *num.* 3. *& ſeq.* Confeſſarios ignorare Scripturas pernicioſum declarat S. Bonaventura. *pag.* 79. *num.* 14. Quos ſacræ Scripturæ veteris Teſtamenti libros potiſſimum Confeſſarii legere debeant. *pag.* 80. *num.* 2. Ex novo Teſtamento potiſſimum legenda Evangelia, & D. Pauli Epiſtolæ. *pag.* 81. *num.* 3. *& ſeq.* quam utilitatem inde percipient pro animarum directione. *ibid.* In ſacræ Scripturæ ſtudium incumbere debent. *pag.* 151. *num.* 1. ſuper notitia Scripturarum examinandi ſunt ab Epiſcopis. *pag.* 152. *num.* 2. *& ſeq.* Inculcare debent ſpiritum legis evangelicæ, electorum paucitatem, & multitudinem reproborum. *pag.* 155. *num.* 2. Zelo & fortitudine inſtructi ſint & muniti. *pag.* 158. *num.* 4. Quam graviter hallucinentur Confeſſarii qui decreta ſynodalia ad morales controverſias ſpectantia parvipendunt. *pag.* 262. *num.* 4. V. *Theologus*.

Conſiſtentia, genus pœnitentiæ in antiqua Eccleſia. *pag.* 187. *num.* 7. cui pœnitentiæ ſubiiciebantur conſiſtentes. *ibid.*

Conſtitutiones pontificiæ ad rem moralem pertinentes. V. *Bulla*.

D

Diſciplina antiqua Eccleſiæ in quo a præſenti differat. *pag.* 191. *num.* 16.

Doctor Eccleſiæ diſtinguendus a Doctore in Eccleſia. *pag.* 265. *num.* 1. V. *SS. Patres*.

Doctrina alia librorum ſpiritualium, alia Caſuiſtarum. *pag.* 88. *num.* 2. Doctri-

ctrina revelata ſcripta & tradita, eſt ſufficiens ad perfectam Theologiam comparandam. *pag.* 94. *num.* 5. Id evincit experientia in ſanctis Patribus. *pag.* 96. *num.* 6. Quomodo ſacris litteris Philoſophorum doctrinam adiunxerint illi. *ibid. num.* 7. Quomodo per doctrinam ſacræ Scripturæ, & per traditionem diſſolvi poſſint omnes quæſtiones ad fidem, moreſque pertinentes. *pag.* 97. *num.* 9. *& ſeq.* Quid ſentiat Auguſtinus. *pag.* 99. *num.* 13. Doctrina Concionatorum quam diverſa a doctrina Caſuiſtarum. *pag.* 169. *num.* 1. Quibus potius ſit adhærendum. *p.* 170. *num.* 2. & *pag.* 172. *num.* 4. V. *Neceſſitas. Sacra Scriptura.*

E

Eccleſia vera interpres divinæ doctrinæ. *pag.* 89. *num.* 3. Nullam quæſtionem unquam definivit inconſultis Scripturis, & Patribus. *ibid.* Quid ſit. *pag.* 193. *num.* 1. quando initium habuerit. *ibid. num.* 2. quomodo deſcribi poſſit. *ibid. num.* 3. *& ſeq.* Quo ſenſu Patres aliquando affirment, aliquando negent peccatores eſſe in Eccleſia. *pag.* 194. *num.* 6. Error Donatiſtarum excludentium omnes peccatores ab Eccleſia refellitur. *pag.* 195. *num.* 7. Quinam ſint extra Eccleſiam. *ibid. num.* 8. Quatuor notæ veræ Eccleſiæ enumerantur. *pag.* 196. *num.* 1. Quænam ſit Unitas quæ notam Eccleſiæ conſtituit. *ibid. & ſeq.* Quomodo hanc unitatem explicaverint Patres. *ibid. num.* 3. *& ſeq.* Altera nota Sanctitatis exponitur. *pag.* 197. *num.* 8. Quam falſo ſuas Eccleſias ſanctas vocent hæretici. *ibid. num.* 9. Univerſalitas Eccleſiæ explicatur. *pag.* 198. *num.* 10. Donatiſtarum obiectiones contra Univerſalitatem Eccleſiæ diluuntur. *ibid. num.* 11. *& ſeq.* Calviniſtarum audacia retunditur. *pag.* 199. *num.* 12. Eccleſia viſibilis eſſe debet fatentibus ipſis hæreticorum primipilis. *pag.* 202. *num.* 1. Eccleſia indeficiens eſt, & falli neſcia. *pag.* 203. *num.* 3. Deliria Calviniſtæ le Vaſſor refelluntur. *ibid. num.* 4. *& ſeq.* Numquam licet ab Eccleſia recedere. *pag.* 205. *n.* 8. Diſtinctio infallibilitatis activæ & paſſivæ a Calviniano inducta refellitur. *pag.* 207. *num.* 10. Eccleſia quomodo Scripturas præceſſerit. *pag.* 212. *n.* 6. Non niſi ab Eccleſia verum Dei verbum accipi poteſt. *pag.* 213. *num.* 7. *& ſeq.* Quam inepte iactent hæretici ſe velle Eccleſiam reformare. *pag.* 214. *num.* 11. Tertulliani invicta doctrina de veræ Eccleſiæ auctoritate. *pag.* 214. *num.* 9. *& ſeq.* Neceſſitatem definitionis Eccleſiæ in dirimendis controverſiis fidei evincit obſcuritas ipſa ſacræ Scripturæ. *pag.* 218. *num.* 3. *& ſeq.* Ipſa Scriptura iubet controverſias fidei ad Iudicem dirimendas deferri. *pag.* 219. *num.* 7. Praxis apoſtolicæ ſucceſſionis evincit Eccleſiam eſſe iudicem controverſiarum fidei, *pag.* 220. *num.* 8. Ipſa naturalis ratio idem evincit. *ibid. n.* 9. Solam Eccleſiam Romanam ius habere excludendi hæreticos ab Eccleſia, quomodo evincat Lochius adverſus Proteſtantes. *pag.* 222. *num.* 2. Apud quos Eccleſiæ infallibilitas ſita ſit iuxta omnes Catholicos. *pag.* 228. *num.* 9. Paradoxa Epiſcopii refelluntur ex Tertulliano. *pag.* 226. *num.* 1. *& ſeq.* & *pag.* 231. *num.* 14. *& ſeq.* Eccleſiæ perpetua ſucceſſio quomodo perduret in Romana. *pag.* 234. *num.* 20. Eccleſia errare non poteſt. *pag.* 233. *num.* 22. Num Eccleſia, ſive Synagoga Hebræorum erraverit. *ibid.* Hæreticorum calumniæ adverſus Eccleſiam retunduntur. *pag.* 236. *num.* 24. falſo Iurieu Calviniſta ex doctrina probabiliſtica præiudicium infert adverſus Romanam Eccleſiam. *pag.* 246. *num.* 7. refellitur. *pag.* 248. *num.* 10. Licet in Eccleſia aliquæ graſſentur laxæ opiniones, nihil tamen inde inferre valent hæretici contra eius Sanctitatem. *pag.* 248. *num.* 12. Eccleſia iuxta Auguſtinum ſimilis eſt ſagenæ congreganti ex omni genere piſcium, & agro frumento, & loliis pleno. *ibid.* Crimina privatorum Eccleſiæ veritati non nocent. *pag.* 249. *num.* 14. Eccleſiæ decreta in doctrina tam fidei quam morum ſunt ſumma animi ſubmiſſione excipienda. *p.* 250. *n.* 16.

Electi inter fideles adultos longe minori numero ſunt quam reprobi. *pag.* 117. *num.* 3. ita docent quam plures magni no-

Digitized by Google

nominis Theologi. *pag.* 118. *n.* 4. Evincunt veteris Teſtamenti paginæ. *ib. n.* 1. *& ſeq.* demonſtrat oraculum Ieſu Chriſti: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. *pag.* 119. *num.* 1. nec non alia Evangelii teſtimonia. *pag.* 120. *num.* 2. & parabolæ a Salvatore propoſitæ. *ibid. num.* 3. & *pag.* 121. *num.* 5. oſtendit Apoſtolus Paulus. *pag.* 122. *n.* 7. *& pag.* 123. *num.* 9. Idem confirmant SS. Auguſtinus & Thomas, ceterique Patres. *pag.* 125. *num.* 1. *& ſeq.* Cavillationes cuiuſdam Theologi oppoſitum ſuſtinentis refelluntur. *pag.* 129. *n.* 11. *& ſeq.* Paucitatem electorum evincit viæ ad cælum ducentis arctitudo & anguſtia. *pag.* 132. *num.* 1. nec non violentia neceſſaria ad regnum Dei rapiendum. *ibid. num.* 2. Conformitas cum Chriſto Ieſu. *ibid. num.* 3. Signa prædeſtinationis in paucis elucentia. *pag.* 133. *num.* 4. Erronea perſuaſio dari viam mediam inter arctam iuſtorum & latam reproborum. *pag.* 134. *num.* 7. *& pag.* 250. *num.* 16. Alia rationum momenta. *pag.* 135. *num.* 11. *& ſeq.* & *pag.* 137. *num.* 13. Magnam quoque Sacerdotum etiam Clauſtralium partem perire, evincunt veteris Teſtamenti ſententiæ. *pag.* 138. *num.* 2. necnon Chriſti Domini in Evangelio oracula. *pag.* 139. *num.* 4. Confirmant ſancti Patres. *pag.* 140. *num.* 9. *& ſeq.* & firmiſſima ratio ex D. Thoma deſumpta. *pag.* 141. *num.* 12. *& ſeq.* Religioſorum cuiuſcumque profeſſionis damnationem timendam oſtendunt peccata omiſſionis. *pag.* 144. *num.* 1. *& ſeq.* Debitum ad perfectionem tendendi. *pag.* 145. *num.* 5. Perniciosa doctrina aſſerentium, ſola vota obſervantes implere profeſſionem ſuam, licet conſtitutiones ad culpam non obligantes obſervare negligant. *pag.* 145. *num.* 6. *& ſeq.* refellitur. *ibid.* Idem confirmat neceſſitas ſervandi vota. *ibid. & pag.* 147. *num.* 8. Electorum paucitas præcipue inculcanda a Concionatoribus, & Confeſſariis. *pag.* 155. *num.* 2. *& ſeq.* Damnationis multorum in cauſa eſt nimia de divina miſericordia confidentia. *pag.* 158. *num.* 5.

Elizalde (P. Michael) Ieſuita doctiſſimus in interpretatione ſacræ Scripturæ duplicem *Suitatem* admittit. *pag.* 55. *num.* 12. Quid nomine *Suitatis* intelligat. *ibid. num.* 13. Quænam ſit iuxta illum *Suitas* antecedens, & quænam conſequens. *ibid. num.* 12. Eius mens explicatur. *ibid. num.* 13. Aſſerit, Probabiliſtas iudices legis fieri, & leges interpretandi Scripturas violare. *pag.* 57. *num.* 16. Diſtinctionem duplicis legis directæ, & reflexæ a Probabiliſtis invectam refellit. *pag.* 58. *num.* 1. Pſalmum CXVIII. adverſus Probabiliſtas interpretatur. *pag.* 62. *num.* 6. A Cardinali Pallavicino Theologus ſui ævi Sapientiſſimus merito appellatur. *pag.* 63. *num.* 7. Duplicem doctrinæ diſtinctionem, ad ſimpliciter bene vivendum, & ad perfectius vivendum, a Probabiliſtis invectam, explodit. *pag.* 87. *num.* 1. Caſuiſtarum libros caute legendos monet. *pag.* 92. *num.* 8. Rationem reddit cur Eccleſia verſiones vulgares ſacræ Scripturæ vetuerit. *pag.* 101. *num.* 17. Præclariſſima monita tradit Concionatoribus ſacris. *pag.* 162. *num.* 5. *& ſeq.* Teſtimonia Evangelii in ſpeciem pugnantia ex Auguſtino præclare conciliat. *pag.* 170. *num.* 2. Caſuiſtas ſanctorum Patrum contemptores redarguit. *pag.* 281. *num.* 11. Quid faciendum foret de libris Caſuiſtarum docet. *p.* 297. *n.* 6.

F

Flentes quinam dicerentur in primæva Eccleſia. *pag.* 186. *num.* 4. Cui pœnitentiæ ſubiacebant. *ibid.*

H

Hæretici quinam ſint. *pag.* 85. *num.* 6. quo ſenſu utiles fuerint in Eccleſia Dei. *ibid. num.* 7. Quam inaudita & perniciosa iactent paradoxa. *pag.* 209. *num.* 1. *& ſeq.* quam falſe eos vellicet & perfricet Tertullianus. *pag.* 212. *num.* 6. *& ſeq.* adulteri veritatis ab eodem appellantur. *pag.* 214. *num.* 10. Quam iniuſte ex Lochio ſe invicem damnent Lutherani, & Calviniſtæ. *pag.* 222. *num.* 2. quam iuſte ab Ecclе-

cleſiæ Romanæ ſinu expulſi ſint teſte eodem Lochio. *ibid.* Hæreticorum audacia adverſus SS. PP. quanta ſit. *pag.* 269. *num.* 1. & *ſeq.* Nonnulli fatentur antiquos Patres traditionem allegare conſueviſſe adverſus hæreticos. *pag.* 271. *num.* 6. eorum putidiſſimæ calumniæ refelluntur. *pag.* 273. *num.* 9. ex Probabiliſmo anſam arripiunt calumniandi Eccleſiam Romanam. *pag.* 282. *num.* 13.

Hiſtoriæ ſacræ utilitas. *pag.* 301. *num.* 1. Sanctorum Acta quamplurimum conducunt ad formandam imaginem Ethices Chriſtianæ. *pag.* 302. *num.* 3. Seligenda tamen Acta ſincera. *ibid. num.* 4. Hiſtoria Eccleſiaſtica Reverendiſſimi Sacri Palatii Magiſtri merito commendatur. *pag.* 303. *num.* 5. Hiſtoriæ humanæ utilitates. *pag.* 304. *num.* 6. Pro Hiſtoricorum delectu nonnullæ aſſignantur regulæ. *pag.* 305. *num.* 7. & *ſeq.* Spectanda inprimis Scriptoris integritas & honeſtas. *ibid.* Hiſtoriæ quæ certo carent Auctore, aut Auctorem obſcurum proferunt, ſuſpectæ habendæ ſunt. *ibid. num.* 8. Hiſtoriæ quæ falſam aliquam narrationem continent, non propterea ex integro reiiciendæ. *ibid. num.* 9. Auctores qui in Hiſtoriæ narratione affectui indulgent, tenuioris ſunt auctoritatis. *ibid. num.* 10.

Humilitas antidotum directe oppoſitum ſuperbiæ. *pag.* 111. *num.* 1. eſt fundamentum totius ædificii chriſtianæ legis. *ibid. num.* 2. Virtus eſt difficilior & cognitione, & executione. *ibid. n.* 3. quantum eam commendent Patres. *ibid.* præcipue importat ſubiectionem hominis ad Deum. *pag.* 112. *num.* 4. Duplex eſt ex D. Bernardo. *ibid. n.* 5. Sine humilitate alias virtutes nec retineri, nec comparari poſſe teſtantur Patres. *pag.* 113. *num.* 6. Motiva quæ ad humilitatem conducunt, ex Auguſtino deprompta exhibentur. *pag.* 114. *num.* 8. & *pag.* 115. *num.* 11.

I

Ignorantia pœna peccati originalis. *pag.* 15. *num.* 4. quam pernicioſa ſit. *ibid.* quam monſtroſus titulus illius libri inſcripti de privilegiis ignorantiæ. *pag.* 19. *num.* 11. quanta cura ſit adhibenda ad diſpellendam ignorantiam. *pag.* 20. *num.* 1. quam ſpiſſæ, & funeſtiſſimæ ſint ignorantiæ tenebræ. *ibid. num.* 2.

Inſtinctus interior non eſt verus interpres Scripturarum. *pag.* 288. *num.* 1. V. *Scriptura ſacra.*

L

Lex divina eſt a fidelibus omnibus non ſolum legenda, ſed & ſervanda. *pag.* 66. *num.* 1. & *ſeq.* Legis evangelicæ finis duplex, ſanctitas morum in hac vita, & beatitudo in alia. *pag.* 108. *num.* 1. quænam ſint media conſequendi finem legis evangelicæ. *ibid. num.* 1. & *ſeq.*

Libelli pacifici Martyrum quinam dicebantur. *pag.* 189. *num.* 12. quomodo in eis aliquis abuſus irrepſerit. *ibid.* quid ſtatuerint Epiſcopi ad eos tollendos ſuis litteris communicatoriis. *ibid.*

N

Natura varias habet ſignificationes. *pag.* 3. *num.* 1. quo in ſenſu accipiatur ab Auctore. *ibid.* Naturæ vires, indoles, infirmitates, compertæ eſſe debent Theologo Chriſtiano. *ibid. num.* 2. & *ſeq.* Naturæ morbos agnovere Philoſophi, at eorum cauſam ignorarunt. *pag.* 4. *num.* 4. Natura humana in Adamo innocente ſana fuit & integra. *pag.* 5. *num.* 1. Quænam fuerint naturæ integræ dotes & privilegia. *ibid. num.* 2. & *ſeq.* erat propaganda in poſteros, niſi protoparentes peccaſſent. *pag.* 6. *num.* 5. Naturæ infirmitas quæ peccatum conſecuta eſt, exponitur. *ibid. num.* 1.

Neceſſitas doctrinæ revelatæ quanta ſit ex S. Thoma *pag.* 32. *num.* 2. & *ſeq.* etiam ad morales quæſtiones dirimendas. *pag.* 34. *num.* 5. Neceſſitas admittendi interpretem doctrinæ revelatæ falli & fallere neſcium. *pag.* 217. *num.* 1. & *ſeq.* V. *ſacra Scriptura.*

O

Opera peccatorum & infidelium non omnia

Digitized by Google

mnia ſunt peccata. *pag.* 22. *num.* 5. *&* *pag.* 27. *num.* 2. *& ſeq.* Oppoſita propropoſitio damnata ab Alexandro VIII. *pag.* 28. *num.* 4. Num poſſit homo aliquod opus morale elicere abſque auxilio Dei. *pag.* 23. *num.* 4. *& pag.* 28. *num.* 4. *& ſeq.* Negat Ariminenſis, affirmat Soto. *ibid.* Quid docuerit D. Thomas *pag.* 24. *num.* 8. Cujus naturæ ſint hæc opera. *pag.* 25. *num.* 9. Quid ſenſerit S. Auguſtinus. *pag.* 26. *num.* 11. Opera licet natura ſua bona, pravo fine inficiuntur. *p.* 28. *n.* 3. Utrum ex præcepto omnia opera noſtra in Deum referre teneamur. *p.* 29. *num.* 7. *& ſeq.*

P

Peccatum originale quis primo ſit inficiatus. *pag.* 12. *num.* 1. quam difficilia viſa ſint Auguſtino Pelagii argumenta queis peccati originalis exiſtentiam impugnabat. *ibid.* Per peccatum originale extinctum liberum arbitrium mentiuntur Novatores. *ibid. num.* 2. Peccati originalis exiſtentiam evincunt ſacræ Scripturæ. *pag.* 13. *num.* 3. *& ſeq.* Definivit Tridentina Synodus. *ibid. num.* 6. Peccatum originale nihil phyſicum ademit facultatibus noſtris. *pag.* 14. *num.* 2. Hominem privavit iuſtitia originali. *ibid. num.* 3. Mentis ignorantiam induxit. *pag.* 15. *num.* 4. Quatuor modis vulneratus fuit iuxta Auguſtinum intellectus per peccatum originale. *ibid.* Ex his vulneribus orta multitudo & varietas ſententiarum circa turpitudinem & honeſtatem humanarum actionum. *pag.* 16. *num.* 5. Peccatum originale inordinatum amorem erga proprium bonum invexit. *ibid. num.* 6. Nec non libidinem & amorem voluptatis in parte ſenſitiva. *pag.* 17. *num.* 7. in qua concupiſcibilis iuxta D. Thomam iraſcibili prævalet. *pag.* 18. *num.* 8. Induxit etiam difficultatem recti, calamitates innumeras, & mortem. *ibid. num.* 9.

Peccatum actuale quomodo infligat animæ vulnera ſimilia iis quæ inflixit peccatum originale. *pag.* 19. *num.* 11.

Philoſophorum auctoritas interdum utilis. *pag.* 306. *num.* 11.

Præadamitæ invecti ab Iſaacco Pereira *pag.* 5. *num.* 1. hunc errorem eiuravit Romæ. *ibid.*

Probabiliſtæ leges directas, & reflexas inepte diſtinguunt. *pag.* 58. *num.* 1. A ſecundis priores deſtrui docent. *ibid.* Omnem regulam iuſtæ interpretationis ſacræ Scripturæ violant vi ſuorum principiorum. *pag.* 60. *num.* 2. Cur Probabiliſtarum libri vacui ſint teſtimoniis ſacræ Scripturæ, & SS. PP. *pag.* 61. *num.* 3. Novum genus beatitudinis extra legem Dei comminiſcuntur. *ibid. num.* 4. fruſtra ad veram probabilitatem expoſtulant quod non repugnet evidenter ſacræ Scripturæ. *pag.* 75. *num.* 7. fruſtra obiiciunt etiam hæreticos ſacrarum Scripturarum ſtudium inculcare. *pag.* 84. *num.* 2. reſpondetur. *ibid. num.* 3. Probabiliſtæ, qui ut remotiores videantur ab errore Ianſenii, laxas promovent opiniones, reprobantur ab Epiſcopis Hiſpaniæ. *pag.* 87. *num.* 7. queis principiis paſſim utantur. *pag.* 103. *num.* 1. quam adverſa ſint eorum principia principiis a Chriſto iactis. *pag.* 104. *num.* 4. Probabiliſmo ſuo a via evangelica abducunt. *pag.* 105. *num.* 6. Quid agendum ut ab opinionum inter ſe pugnantium labyrintho exeamus. *ibid.* Probabiliſtarum iniuſtæ querimoniæ. *pag.* 116. *num.* 1. refelluntur. *ibid. num.* 2. Probabiliſtæ modum illum opinandi ſequuntur quem de novo irrepſiſſe dolet Alexander VII. *pag.* 243. *num.* 2. Abſurda quæ ex Caſuiſtarum doctrina conſequuntur, Eccleſiæ Romanæ exprobrant hæretici. *pag.* 244. *num.* 3. *& ſeq.* Probabiliſtarum inobedientiam decretis S. Sedis decantant. *pag.* 245. *num.* 5. Num falſo & per iniuriam. *ibid num.* 6. Quam falſo aſſerant Probabiliſtæ, innumeros Auctores Probabiliſmum docuiſſe. *pag.* 246. *num.* 8. Quomodo adverſus Eccleſiam hac eorum falſa aſſertione abutantur hæretici. *ibid. & pag.* 247. *num.* 9. Probabiliſtæ ſeſe mutuo Doctoris titulo decorant. *pag.* 263. *num.* 1. falſo aſſerunt non excultam a Patribus morum Theologiam. *pag.* 277. *num.*

Digitized by Google

num. 3. Quomodo cum hæreticis conveniant, qui fidei controverſias noſtris temporibus excitatas, a Patribus minime diſcuſſas mentiuntur. *pag.* 278. *num.* 6. Probabiliſtæ docent, Patres Rethores egiſſe, non præciſe locutos. *ibid. num.* 8. Idem in ſuorum defenſionem errorum afferunt hæretici. *ibid.* Ambo refelluntur. *pag.* 279. *num.* 9. *& ſeq.* Suis diſtinctionibus Theologiam corrumpunt. *pag.* 292. *num.* 2. Suis principiis morum Theologiam evertunt. *ibid. num.* 3. Unde gravitatem, vel levitatem peccati deſumant. *pag.* 293. *num.* 4.

Propoſitio damnata ab Alex. VIII. de operibus infidelium. *pag.* 38. *num.* 4.

R

Religioſi Clauſtrales quam timere debeant æternæ damnationis periculum. *pag.* 140. *numer.* 7. *& ſeq.* quam ſtricto teneantur debito ſuæ profeſſioni reſpondendi. *pag.* 141. *num.* 12. quomodo facile a puſillanimitate vincantur. *ibid. num.* 13. quomodo talenta ſua impendere debeant. *pag.* 144. *num.* 1. *& ſeq.* ad perfectionem tendant oportet. *pag.* 145. *num.* 5. non ex libertate, ſed ex debito ſuæ profeſſionis. *pag.* 146. *num.* 7. Votum caſtitatis quomodo obſervandum. *ibid. numer.* 6. Vota quoque paupertatis, & obedientiæ cuſtodienda. *pag.* 147. *num.* 8. Opera ipſa pietatis, niſi ſpiritu Dei vivificentur, inania eſſe poſſunt. *ibid.* Plurimi ſunt qui Deo largiente ſpiritu cæleſti ducuntur. *pag.* 148. *num.* 9. ad perfectionis ſtudium a SS. Bernardo & Auguſtino hortantur. *ibid. num.* 10. *& ſeq.* quibus mediis uti debeant ut pericula evadant, & proficiant. *pag.* 150. *n.* 13.

Rigoriſmus quam immerito iactatus a Recentioribus. *pag.* 27. *numer.* 1. & quam præpoſtere. *pag.* 30. *num.* 5. Rigoriſmum quinam declinent, & placentia quærant ex SS. Bernardo & Thoma. *pag.* 78. *num.* 12.

S

Sancti Patres ſunt veri Eccleſiæ Doctores. *pag.* 263. *num.* 1. Quinam reipſa dicendi ſint Eccleſiæ Patres. *pag.* 264. *num.* 3. in tres diſtingui ſolent ætates. *ibid. num.* 4. Latinorum Patrum præcipui enumerantur. *pag.* 265. *n.* 5. Num aliqui ſint ab hoc choro excludendi. *ibid. num.* 7. In his quæ nec ad doctrinam fidei, nec ad mores pertinent, Patrum auctoritatem amplecti minime adſtringimur. *pag.* 266. *num.* 2. In controverſiis ad ſacram Scripturam, vel fidem ſpectantibus unius vel etiam plurium Patrum auctoritas, ſi alii diſſentiant, non efficit articulum fidei. *ibid. num.* 3. In his quæ ad fidem, vel mores attinent, unanimis SS. PP. conſenſus ſententiam reddit certiſſimam & ineluctabilem. *p.* 267. *num.* 4. *& ſeq.* Quando nonnulli SS. Patres in iis quæ fidei ſunt, diſſident a reliquis, id tenendum eſt quod omnes unanimi conſenſu docuiſſe dignoſcuntur. *pag.* 268. *num.* 7. Quando SS. PP. non docent quid credendum ſit, ſed teſtantur quid ſuo tempore creditum ſit in Eccleſia, tunc neceſſe non eſt ut omnes citentur. *ibid. num.* 8. Quando unius Patris auctoritas ſit auctoritate alterius Patris altiori loco habenda. *pag.* 269. *num.* 9. Quomodo hæretici SS. PP. auctoritatem modo recipiant, modo reiiciant, modo interpretari ſtudeant. *ibid. num.* 2. *& ſeq.* Sancti Patres ſolum occaſione data vindicandi fidem Polemicos egerunt, ſed ex inſtituto moralem Theologiam docuerunt. *pag.* 276. *num.* 2. Non ex profeſſo morum doctrinam tradidiſſe, falſo aſſerunt Probabiliſtæ. *pag.* 277. *num.* 3. Hæretici dicunt, fidei controverſias noſtris temporibus agitatas, minime ex profeſſo a SS. PP. diſcuſſas. *ibid. num.* 6. Sanctos Patres Rethores egiſſe, non præciſe locutos, pronuntiant Probabiliſtæ. *pag.* 278. *num.* 8. Figuris Rethoricæ fidei dogmata a Patribus exaggerata mentiuntur Proteſtantes. *ibid.* refelluntur. *pag.* 279. *num.* 9. Aſſidua SS. PP. lectio commendatur. *pag.* 282. *num.* 12.

Sapientia duplex, alia carnis, alia ſpiritus. *pag.* 93. *num.* 2. Sapientia ſpiritus alia

Digitized by Google

alia infuſa, alia acquiſita. *ibid.* Utriuſque diſcrimen ex D. Thoma. *ibid.* Sapientia acquiſita eſt ipſa ſacra Theologia. *ibid.*

Scriptura ſacra eſt Dei Verbum ſcriptum. *pag.* 37. *num.* 1. Quot modis Deus ad homines ſcripſerit. *ibid. num.* 2. Quibus libris componatur ſacra Scriptura. *pag.* 38. *num.* 4. Senſus ſacræ Scripturæ duplex, litteralis, & ſpiritualis, ſeu myſticus. *ibid. n.* 5. Explicantur. *ibid. num.* 6. Variæ ſacræ Scripturæ editiones. *pag.* 39. *num.* 7. Quænam authentica declarata ſit ab Eccleſia. *ibid. num.* 8. Num omnes eius apices ſcripti ſint Spiritu ſancto afflante. *pag.* 40. *num.* 9. Evangelia a quibus, & quo idiomate ſcripta. *pag.* 41. *num.* 2. Neceſſitas legendi ſacram Scripturam ex D. Ioanne Chryſoſtomo oſtenditur. *pag.* 42. *num.* 4. Sanctus Thomas, ceterique Patres, & Theologi aſſidui in Scripturarum ſtudio. *pag.* 43. *num.* 6. *& ſeq.* earum ſtudium neglexere Caſuiſtæ. *pag.* 44. *num.* 8. & *pag.* 45. *num.* 2. Neglectus ſacrarum Scripturarum radix eſt laxatæ Ethices, & corruptæ diſciplinæ. *pag.* 47. *num.* 6. Sacram Scripturam omnibus indiſcriminatim perviam & intelligibilem garriunt Novatores. *pag.* 48. *num.* 2. refelluntur. *ibid.* in his quæ morum & fidei regulam ſpectant, communiter obvia eſt & perſpicua. *pag.* 50. *num.* 4. Animo reverenti, & implorato divino lumine accedendum eſt ad ſacras Scripturas legendas. *pag.* 51. *num.* 6. *& ſeq.* quomodo in hoc errare potuerint etiam Scriptores catholici. *pag.* 54. *num.* 10. *& ſeq.* Quinam ſint qui ſacras Scripturas detorqueant. *pag.* 57. *num.* 15. *& ſeq.* Studium Scripturarum inculcant SS. Ioannes Chryſoſtomus & Auguſtinus. *pag.* 64. *num.* 8. Methodus interpretandi ſacram Scripturam ex S. Auguſtino. *pag.* 76. *num.* 8. Quam pernicioſum ſit ſacram Scripturam vel detorquere, vel ignorare. *pag.* 77. *num.* 9. *& ſeq.* & *pag.* 79. *num.* 14. Patres, & Theologi quotquot fuere quatuordecim prioribus ſæculis, doctrinam fidei & morum ex ſacræ Scripturæ fonte deprompſerunt. *pag.* 79. *num.* 15. Quinam ſacræ Scripturæ libri legendi ſint a Theologis Moralibus & Confeſſariis. *pag.* 80. *num.* 1. *& ſeq.* Neceſſitas perſcrutandi Scripturas. *pag.* 90. *num.* 6. *& ſeq.* Scriptura divina ſufficiens eſt ad totum id explicandum quod ad ius divinum pertinet. *pag.* 94. *num.* 3. Sacræ Scripturæ verſiones cur merito vetitæ ſint ab Eccleſia. *pag.* 101. *num.* 17. Tridentinum Concilium ſtudium ſacræ Scripturæ inſtitui iuſſit in Monaſteriis, Academiis &c. *pag.* 102. *num.* 18. Scripturæ ſtudium maxime commendatur a piiſſimo P. Ludovico Granatenſi. *pag.* 106. *num.* 8. Sola ſacra Scriptura dirimi nequeunt omnes controverſiæ de Religione. *pag.* 209. *num.* 1. *& ſeq.* Calvini mendacia refelluntur. *pag.* 210. *num.* 2. Eiuſdem argumenta ad criſim revocantur. *pag.* 211. *num.* 5. Interpretationem Scripturæ omnibus concedunt hæretici. *pag.* 222 *num.* 2. *& pag.* 230. *num.* 11. Immania quæ inde ſequuntur abſurda. *pag.* 231. *num.* 13. Quo ſenſu dixerit Chriſtus, ſcrutandas eſſe Scripturas. *pag.* 333. *num.* 19. Internus inſtinctus non eſt idoneus interpres ſacræ Scripturæ. *pag.* 238. *num.* 1. Argumenta hæreticorum diſſolvuntur. *pag.* 239. *num.* 3. *& ſeq.*

Senſus ſacræ Scripturæ quotuplex. V. *Scriptura ſacra.*

Synodus. V. *Concilium.*

Subſtratio genus pœnitentiæ in antiqua Eccleſia. *pag.* 187. *num.* 6. Quinam illi ſubiiciebantur. *ibid.*

Superbia fuit primum Adæ peccatum. *pag.* 10. *num.* 2. Prima origo omnium malorum. *pag.* 47. *num.* 7. Superbiæ oppoſita eſt humilitas. *pag.* 111. *num.* 1. V. *Humilitas.* Superbia eſt origo perditionis hominum. *pag.* 115. *num.* 11. quam pernicioſa ſit Chriſtianis. *ibid.*

T

Theologi Aſcetici quam bene in doctrinis conveniant, & cur. *pag.* 51. *num.* 5. Qui-

Digitized by Google

5. Quinam Theologi nomen non mereantur ex Cano. *pag.* 65. *num.* 2. Quinam ſint veri Theologi Scholaſtici. *ibid. num.* 3. Theologi non ſolum in fidei, ſed etiam in morum regulis conſulere debent ſacras Synodos. *pag.* 261. *num.* 3. Quam immerito nonnulli Theologi propter perſecutiones a veritate defendenda abſtinent. *pag.* 160. *num.* 1. *& ſeq.* Theologi Caſuiſtæ quinam ſint. V. *Caſuiſtæ*. Theologis Iuris Canonici notitia neceſſaria eſt. *pag.* 299. *num.* 1. *& ſeq.* Theologus Iure Canonico uti debet ad quæſtiones de legibus eccleſiaſticis dirimendas. *pag.* 301. *num.* 3. Theologo neceſſarium eſt & utile ſtudium hiſtoriæ eccleſiaſticæ. *ibid. num.* 1. *& ſeq.* Quænam hiſtoria potiſſimum legenda. *pag.* 303. *num.* 5. etiam hiſtoriæ profanæ ſtudium utile eſt Theologo. *pag.* 304. *num.* 6. V. *Hiſtoria*.

Theologia duplex, alia ſpiritualis pro animabus perfectioni ſtudentibus, alia caſuiſtica pro ceteris, quam immerito inducta. *pag.* 51. *num.* 5. Ad Theologiam Moralem probe addiſcendam neceſſarium eſſe Scripturarum ſtudium, evincunt tum antiqui, tum novi fœderis luculentiſſima teſtimonia. *pag.* 66. *num.* 1. *& ſeq.* Idem confirmant ſua auctoritate Concilia. *pag.* 72. *num.* 1. & inculcant ſancti Patres. *ibid. num.* 2. Theologiæ Moralis præcipuus locus eſt ſpiritus legis evangelicæ. *pag.* 107. *num.* 1. Examen & inveſtigatio non eſt ſufficiens in Theologia ſive naturali, ſive ſupernaturali ad controverſias dirimendas. *pag.* 241. *num.* 6. Theologiam ſcholaſticam immerito vituperant hæretici. *pag.* 284. *num.* 1. *& ſeq.* In Theologia ſcholaſtica liberum eſt Theologis in utramque partem diſputare. *pag.* 285. *num.* 3. Theologiæ ſcholaſticæ quodnam ſit obiectum. *pag.* 286. *num.* 4. quodnam ſit eius officium. *ibid. num.* 5. Numquam Religio ab Apoſtolorum tempore ſine aliqua Theologia ſcholaſtica fuit. *ibid. num.* 6. Quinam primi Theologiam in unum corpus collegerint. *ibid. num.* 7. *& ſeq.* Theologia ſcholaſtica ſummopere utilis. *pag.* 290. *num.* 14. Auctoritas multorum Scholaſticorum quanti ſit facienda. *ibid. num.* 15. Theologiæ ſcholaſticæ corruptelæ quænam ſint. *pag.* 291. *num.* 1. In quo differat Theologia ſcholaſtica a caſuiſtica. *ibid.* Quænam corruptelæ in Theologiam caſuiſticam invectæ ſint. *pag.* 292. *num.* 2.

Traditio generatim accepta quid importet. *pag.* 175. *num.* 1. Traditio divina eſt doctrina a Deo revelata maioribus noſtris, & ſucceſſoribus de aure in aurem communicata. *ibid. num.* 2. Traditio divina alia *dominica*, alia *apoſtolica*. *pag.* 176. *num.* 3. Traditio humana quænam ſit. *ibid. num.* 4. Alia civilis, alia eccleſiaſtica. *ibid.* eccleſiaſtica alia univerſalis, alia particularis. *ibid.* rurſum alia perpetua, alia temporanea. *ibid.* Traditiones aliæ vim præcepti habent, aliæ liberæ ſunt. *ibid.* Regulæ ad dignoſcendas traditiones divinas, apoſtolicas, eccleſiaſticas. *ibid. num.* 5. *& ſeq.* Traditiones reſpuunt hæretici. *pag.* 177. *num.* 1. ſed admittendas luculenter evincunt Scripturæ teſtimonia. *pag.* 178. *num.* 3. *& ſeq.* Chriſtus ſola traditione legem ſuam mundo dedit. *pag.* 179. *num.* 7. Traditione propagarunt Apoſtoli. *ibid.* Cur Evangelia nonnulli conſcripſerint. *ibid. num.* 8. Traditiones confirmarunt Concilia, & Patres. *pag.* 181. *num.* 11. Sophiſmata hæreticorum adverſus traditiones diſſolvuntur. *pag.* 182. *num.* 15. nonnulla Auguſtini teſtimonia queis abutitur Calvinus, explanantur. *ibid. num.* 16. *& ſeq.* Impudentiſſimum eiuſdem mendacium retunditur. *pag.* 184. *num.* 20. Variæ Eccleſiæ traditiones circa ſortes in fide, lapſos, & pœnitentes. *pag.* 185. *num.* 1.

V

Via media inter arctam iuſtorum & latam reproborum non eſt admittenda. *pag.* 134. *num.* 7. *& pag.* 250. *num.* 16. V. *Electi*.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google